




Consultationes de variorum morborum curationib.

<https://hdl.handle.net/1874/433945>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:


<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

O. oct.


95



302

1





Medici
Octavo n.º 25.

III 9

sedendo coepit. Per Rachel apppe
que et omis dicitur. ecclesia figurat
Dedere autē est similitudine peni
tencie appetit sicut septem est.
Surgite post se sedentis. Rachel
origo sola sedendo operuit. qz
sua ecclesia vram sepies terrone
occupisencie suae penitendos
it. Desat coopione suoz. p. pte
tam d. Hena quoz imisse sunt
iniquitates et quoz tecta sunt
peccata. Nos igitur mala illa

fuo ab illa demu
seruiente liborum
egum humorem en
illa qua eo pucro ope egum
sopmclat. ab huano genere
dempto compescit. Superem
seperum etactous eius cu it
eiusdem dyaboli. qui ap pefus
ppetitione suaoz stuz. cōsa
mat. Sedua tr. Suta penar. Se
delum corde destruit. Sed q
per acta sunt. audiamus. S

N. 73. B

CONSULTATIONES DE VARIORVM MORBORVM CVRATIONIB. IO. BAPTISTAE MONTANI VERONENSIS, philosophorum ac medicorū omnium sui temporis facilè principis, primū à Valentino Lublino summa diligentia collectæ atq; æditæ,

NUNC AVTEM OPERA ET studio Hieronymi Donzellini, & Philippi Becchij, medicorum præstantiss. primæ centuriæ, adhuc dimidia, eiusdem autoris, accessit,

QVAE AB INFINITIS, QUIBUS SCATEBAT, mendis vindicatæ, atq; ita recognitæ sunt, vt suo iam demum autore dignæ esse videantur.

Cum indice & rerum & verborum memorabilium locupletissimo.

BASILEÆ APVD MICHAELM IHINGRINIUM M. D. LVII.

ex dono p. chely



CONSTITUTIONES
TOMAS DE VARIO

DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE

DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE

DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE

DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE
DE MORBORVM CURACIONE

CLARISSIMO VIRO,

PIETATE, VIRTUTE AC ERV-
tione eximio, domino Martino à Drembeck,
Medicæ facultatis Lipsensis Doctori atq; Deca-
no dignissimo, Domino ac præceptori
suo, Philippus Bechius
S. P. D.



NISI totam philosophiam, laudata-
rum artium procreatrice quandam,
& quasi parentem, frugiferam atq;
fructuosam esse, nec ullam eius par-
tem incultam atq; desertam inuenio,
Martine doctissime atq; integerrime, tamen nullam in
ea, meo quidem iudicio, partem, ipsa medicina feracio-
riorem, neq; uberiorem aut præstantiorem esse planè
existimo. Video enim philosophiæ, animi solùm cultu-
ram atq; medelã à philosophis attribui, corporis autè
curam, quæ æquè necessaria est, adimi: sed medicinam,
quod est longè quidem præclarius atq; exoptabilius,
artem curatricem & corporis & animi esse, quæ non
modò uitia radicitus extrahat, animosq; ad satus feli-
ces accipiendos præparet atq; instruat, sed foris etiam
salutaria & cõuenientia corpori remedia applicet at-
que præscribat. Id uerò quàm sit ueritati consentaneũ,
saluberrima ac uetustissima Hippocratis, Gal. & om-
nium Græcorum medicorũ dogmata satis abundè de-
clarant. Quæ nimirum ratione efficitur, ut medicina,
quæ principia sua, ex his quæ de natura sunt, mutat

tur, in rebus singularibus longè difficilima, pulcher-
 rima & præstantissima habeatur. Quæ sanè post illa
 florentissima Græcorū medicorum tempora, ad hanc
 usq; nostrā etatem, ob uasta, confusa, perplexaq; Bar-
 barorum medicorum scripta, adeò contempta, negle-
 ctaq; iacuit, ut per aliquot secula partim sepulta, atq;
 ex genere & cōsortio humano abrepta, diu multumq;
 delituerit, partim etiam tanquā indigestum quoddam
 cōfusumq; chaos manserit, atq; Cimmerijs quasi tene-
 bris inuoluta, situm ueternumq; cōtraxerit, totaq; fe-
 rè prostrata, succubuerit, nisi illam, totius Italiae cele-
 berrimi uiri, singulari pietate, uirtute, atque omni do-
 ctrinarum genere ornatissimi, è uita humana sublatam
 atque deperditā, diuinitus quodammodo reparassent,
 sepultam atq; demortuam excitassent, tum ex densissi-
 mis tenebris, in lucem exoptatissimam uindicassent, si-
 tuq; absterfo, in nitorem quasi pristinum summo stu-
 dio & labore reuocassent. Cæpit autē medica ars, ut no-
 sti, eo tempore quo tu quidem in Italia, studiorū om-
 niū fidissima alūna, tam philosophiæ quàm medicinæ,
 diligentē sedulamq; operam, sub doctissimis atq; opti-
 mis præceptorib. nauabas, ut plurimū reuirefcere, &
 sub Leoniceno doctissimo MONTANI præceptore,
 qui tam scribendo, quàm docendo ac profitendo me-
 dicam facultatem fideliter adiuuit, atque in posteros
 propagauit, fructus longè uberrimos producere.
 MONTANVS uerò, qui Leoniceni doctrina usus est,
 post sui fidelissimi præceptoris obitū, medicinā è Bar-
 baro-

Barorum manibus, pro sua quidem uirili, cum summa laude, & admiratione omnium, eruere uelis remisq; cōtēdit, fructusq; amplissimos in lucē protulit, dum Gordianos illos in re medica nodos tam eleganter atq; dilucidē explicauit, atq; ea, quæ ut chaos, confusa indigestaq; fuere, certa rectaq; methodo cōponens, in nouam rerum faciē feliciter digessit. In qua sanē facultate, taceo reliquas, adeò uir ille, doctrina, morumq; sanctitate ornatis. excelluit, ut meritò Fracastorius, uir summi nominis, animā Galeni, pythagoricē sentiendo, in MONTANI animā immigrasse dixerit: & post hunc Bassianus Lādus discipulus eius, atq; successor dignissimus, alijq; permulti in arte medica præstantissimi, primas ei post Galenum (qui Aesculapij & Hippo. inuenta amplificauit, auxit, atque excoluit) iure attribuant. Ille nanq; sicut ex scriptis ipsius, quibus equidem plurimum delector, colligi manifestò potest, toto uitæ suæ curriculo in lectione optimorum autorum, tum philosophorū, et medicorum Græcorum atque Arabum, præcipuè tamen Galeni dogmatis euoluendis, dies noctesq; ita occupatus fuit, ut se ab illis nunquam abstrahi passus sit. Vnde quidem hoc suo tam ardēti seduloq; studio, atq; labore indefesso, consecutus est, ut optimos quosq; autores, atq; in primis medicorū antiquissimorum scripta felicissimè atq; dexterrimè declarare, eorūq; arcana patefacere, studiosisq; philosophiæ ac medicinæ τὸ ὕψος eximere, atq; τὸ ὕψος afferre, oculosq; eorum in cœnum barbaricum infossos, abstergere, at-

tollere, aperire, & ad uerā solidamq; huius adeò præstantis atq; utilis scientiæ cognitionem pertrahere potuerit. Cuius equidē doctrina atq; institutio, tam multū profuit, ut ex illius schola, maxima copia illustriū uirorū, medicæ artis, ac totius encyclopediæ peritissimorum, tanquam ex equo Troiano prodierint. Inter quos Bassianus Landus, Valētinus Lublinus, Hieronymus Donzellinus, Vuolsgäggus Meurerus, Caspar Næuius, Ioannes Crato, Geruasius Marstallerus, quos omnes honoris causa nomino, atq; innumeri alij præstantissimi medici, quos præceptorum loco & ueneror & amo, sine controuersia, præcipuè & pietatis & eruditionis palmam obtinent. Qui sanè, cum id MONTANVS ad superos relatus, uiua uoce præstare amplius nequeat, eius prælecta, & scripta colligere, atq; in certū ordinē quæq; dispersa redigere, posterisq; cōmendare manib. pedibusq; conantur, ut res medica tandem ex MONTANI scriptis ac monumentis præclarissimis atque optimis reflorescere, fructusq; longè uberrimos atq; exoptatissimos proferre incipiat. Vnde mea quidē sententia, tales uiri æterna laude & celebratione digni & sunt & haberi debent. Zoilos autem, optima & honestissima quæq; improbātes, nihil hīc moror, cum honestatē atq; utilitatem cōmunem ipsorum malè dicendi studio, ex inuidia oborto, præponam. Cum enim homines hominum causa generatos esse cōstet, ut ipsi inter se alij alijs prodesse possent, in primisq; docendo, rationibusq; prudentiæ tradendis, nihil equidem ma-

gis ab ipsorū natura alienū, nec magis etiam indignū esse puto, quā sibi tantū natos esse, nec ut alijs quoq; profint, cum facile id possint, & maximè debeāt, cogitare uelle. Quare ut hæc atq; alia declinarē, uolui tuo nomini, Martine doctiss. atq; optime, hæc præclaras atq; utiles MONTANI, philosophi atq; medici præstantiss. cōsultationes, de uarijs morborū atq; symptomatum curationib. per me, & Hieronymū Donzellinū, uirū in re medica peritiss. dimidia centuria eiusdem auctoris auctiores, & longè quā antea castigatiores esse etas, ideo consecrare, ut & mei amoris atq; benevolentie erga te publicum testimoniū, & gratitudinis etiam symbolum aliquod certum extaret, tum deniq; quanti te faciam, liquidò pateret. Neq; id immeritò. Quis enim est tam uecors, qui tuam beneuolentiā nō magnopere expetat? cū sis omni laude dignissimus, & in re medica, omniq; disciplinarū atq; uirtutū genere ita excultus, de eo ut planè addubitem, an uel pietatis causa, uel ob medicinæ peritiā, & aliarum quamplurimarum atq; optimarū artium cognitionem, sis amplectendus atq; amādus. Nemo sanè est, qui te uel semel uisum atq; cognitū, non summo amoris affectu prosequatur, pariq; obseruatione ueneretur atq; colat. Quin & illud quoq; ad cumulum laudum tuarū accedit, quòd me Lipsiæ, ubi philosophiæ ac medicinæ fundamenta ieci, in ædibus tuis magnificis atq; splendidis, paterno affectu, & animo propenso atq; liberali aliquandiu foueris, nec me quidē solum, sed & alios quoq; uiros pios,

probeq; doctos, beneficijs tuis haud uulgaribus deuinxeris, ac etiamnum deuinctos tibi reddere studeas. Nihil autem addam amplius, nisi quòd te rogem, ut hosce labores pro tua quidem integritate atq; sapientia boni consulere, & si qui forsitan fuerint, ut puto, non desuturos, qui Zoili more, nostrum institutum adunco naso suspensuri sint, tu quasi strenuus propugnator atq; protector, nos à morsibus illorum uirulentis, defendas atq; propugnes. Dabimus autem si uixerimus incolumes, & reliqua eiusdem autoris scripta in aliquot tomos digesta atque recognita, quæ typis Isingrinianis longè pulcherrimis expressa, in lucem ad propagationem & conseruationem rei medicæ propediè exhibüt, idq; eò libentius faciemus, si tuam atq; aliorum erga nos propensam beneuolentiam ac studium animaduertemus. His ualebis in CHRISTO IESV cum omnib. tuis bene & feliciter. Salutabis autem meo nomine, D. Ioa-
chimum Camerarium, professorem linguarum celeberrimum, D. D. Christophorum Czobelium I. V. uirum consultissimū, D. D. Vuolfgangū Meurerum, Aristotelicæ philosophiæ professorem acutissimum, M. Homilium mathematicum professorem eximium, præceptores atque patronos meos, unà cum reliquis mei amantibus, reuerenter atq; amanter, quibus omnibus & singulis, me, & studia mea uniuerfa etià atq; etiam commendo. Ex inchyta Basilea, Idibus
Februarijs, anno salutis humanæ,

M. D. LVII.

ILLV-

ILLVSTRISS. PRIN⁹

CIPI ET DOMINO, D. NICOLAO
Radziuilo de Musniki, Dei gratia Duci in
Olika, Niesuiesz, Dubniki & Bierze, Pala
tino Vilnensi, & magni ducatus Lithuaniae
summo Marschalco & Cancellario, atq;
Brzestensi &c. Capiraneo, domi-
no suo clementis-
simo,

Valentinus Lublinus Polonus
philosophiae ac medici-
nae Doctor
S. D.



OMINI à natura insitum est,
Princeps Illustrissime, vt nemini
obesse, omnibus verò semper pro-
desse studeat, quod maximè præ-
stat, qui recta ratione & iudicio uti-
tur, præsertim autem ille ipse, qui
cum humanarum rerum cognitione, diuinarum quo-
que studium coniunxerit. Et ideo cogitanti mihi ac
memoria repetenti, primùm me natum esse hominem,
ac nihil humani à me esse alienum: deinde in religio-
ne nostra à teneris vnguiculis esse educatum, venit
in mentem illius sententiæ veteris, Hominem homi-
ni esse Deum, qua quidem admonemur, vt quantum
possumus vltro citroq; conferamus & accipiamus
beneficia. Itaq; iam septimus agitur annus, post quàm
in Italia vitam traducere cœpi in studijs literarum,

doctissimos tum philosophos tum medicos in varijs Academijs audiens, & antiquorū dogmata pro viribus percipere studens, idque non modò vt mihi consulerem, sed etiam cæterorum mortalium commoditati seruiens, quoad mihi liceret per ætatē cōmunia studia scientiarum quadantenus promouerem. Inter enim medicos, quos audire id temporis mihi cōcessum est publicè profitentes vnum **I O A N N E M** Baptistam Montanū Veronensem, virum tum singulari doctrina, tum morum sanctitate ac probitate ornatissimum, diligenti cura & attentione summa semper audiui, atque incredibili amore prosecutus sum, & colui. Ex quo factum est, vt illius dogmata omnia, non solùm memoriæ, sed etiã scriptis commendata, veluti quosdam thesauros antiquissimos & pretiosissimos cōseruare studuerim ne aliqua temporis iniuria interciderent. Siquidem sperabam medicinæ candidatis aliquando non mediocriter esse profutura. Vtilitatē igitur hanc diutius differri honestū esse non putavi, postquā ille de vita decessit, non sine maxima iactura totius artis medicæ. Diligenter igitur curavi, vt in vulgus exirent, non auræ popularis, & inanis gloriolæ aucupandæ gratia (vt fortassis nōnulli maleuoli interpretabuntur, qui rapiunt omnia in deteriorem partem) sed adiuuandī potius causa nostra studia, quæ quotidie in peius ruerent, nisi à **M O N T A N O**, & eiusdem ordinis medicis sustentarentur aduersus inscitiã quorundam imperitorum, qui medicam artem potius remorantur, quàm promouent. Vt enim quæ ab Aesculapio & ab Hippocrate profecta sunt, Galenus amplificauit, auxit, & excoluit: ita Galeni dogmata **M O N T A N V S** nostra ætate expoliuit & adauxit, vnde nomen immortale & famam incredibilem apud omnes gentes

sibi comparauit. De quo apud Illustrissimam D. T. præstat nihil (vt dicebat ille de Carthagine) quàm pauca dicere. Nam sui præclari nominis illud perpetuum argumentum & testimonium extat, quod summis Pontificibus, Imperatoribus, & Regibus charissimus fuit, qui sæpius spe facta multorum commodorum, & oblati præmijs summis, eum ad se pellicere conati sunt. Sed sprete utilitate, arti potius medicæ publicè tradendæ, & iuuentuti instituendæ, intentus esse maluit, quàm in aulis Regum magnificè & splendide quod reliquum vitæ restabat, agere. Nihilominus cōsultationes eius pertinentes tum ad morbos curandos præsentis, tum ad sanitatē cōseruandam, tum ad prouidentiam futuri morbi, principibus placuisse, argumēto nobis est Sereniss. Regina BONA S FORTIA, de qua extat in hac centuria, prima cōsultatio, idq; iure optimo. Vt enim propter Regium diadema, & virtutes, quibus prædita est, tum propter illustrissimam prolem, quam peperit, (Serenissimi enim ac potentissimi SIGISMUNDI AVGVSTI, Regis Polonia, optimi & semper augusti principis, mater est) principatum quendam tenet: ita honestum & necessarium fuit, primo loco in hac centuria cōsultationem de tantæ Reginæ salute collocari. De reliquorum autem principum valetudine cōsultationes, hanc primā tanquam ducem ordine suo dispositæ cōsequuntur, id quod planius atq; clarius patefiet in altera centuria, quæ non multò post in lucem prodibit. Hanc verò primam centuriam, & reliquas quæ deinceps edentur, sub auspicijs D. T. peruulgandas multis, & illis quidem grauissimis causis adductus, constitui: quas omnes si recensere vellem, dies me deficeret. idcirco cæteris relictis, potiores in mediū adferam. Primò quidem vt ostenderē gra-

tam animi mei voluntatem erga MONTANVM, si eius placita sub nomine tuo, maximi nimirum ac potentissimi principis, in vulgus exirent. Quia sub illustriſ. D. T. clariora & tutiora fore hæc exiſtimavi. Audito enim nomine Principis potentiſſimi ac prudentiſſimi, maleuoli deſinent mortuo MONTANO obtreſtare. Si enim illuſtriſſima D. T. hoſtibus terrorem incredibilem inquit, multò grauiorem fanè inquit cauillatoribus MONTANI, illis quidem infulſis medicis, ac minutis philoſophis. Quis enim ſplendorem familiæ tuæ, quis potentiam, quis auctoritatem, quis res ſumma prudentia geſtas, quis tuas denique virtutes quæ in optimo Principe requiruntur, ignorat? Clara eſt ſiquidem tua pietas, iuſtitia, clementia, liberalitas, & denique ſapientia. Quare non immeritò omnes te colunt, venerantur, ſummisq; laudibus in cælum efferunt, nomenq; optimi Principis maximo conſenſu tribuunt. Ob quas ſingulares tuas virtutes Sereniſſimus auguſtiſſimusq; Rex Poloniæ, te in primis charum habet, magnisq; rebus gerendis præſicit, cuius rei non leue argumentum extat ſanctiſſimum matrimonium cum potentiſſimi Regis Ferdinandi filia Sereniſſima CATHERINA, à ſua ſereniſſima Regia Maieſtate, nuperri-
mè contractum, quod felix fauſtumq; omnes optamus. Tum vt declarare me apud omnes maxima ac incredibili voluptate affici, ex familiaritate ac amicitia mutua, quã cū illuſt. ac mag. dño D. Stanislao Comite à Thenczin Caſtellano Leopolienſi &c. heroè ac meo patrono nunquã hercle ſatis laudato (virtutibus enim, doctrina, ſapientia, rebus præclare geſtis, dignitatibus, ac deniq; ſplendore, nobilitate & antiquitate familiæ ſummus eſt,) ſanctiſſimè obſeruas, qua quidè ego fretus, hæc tuo nomini dicanda eſſe

esse volui. Tum verò vt meæ incredibilis in tuâ illustrissimam D. obseruantia, pro summis erga amicos meos beneficijs, quæ quidè & multa fanè & insignia fuerunt, signum ac testimoniũ aliquod extaret. Accipe igitur illust. Princeps, à me mancipio deditissimo tibi, hoc munus quaecunq; sit, quasi à MONTANO per munus traditũ, & à multis medicæ artis studiosis magnopere desideratum. Etsi autem hic liber in amplam molem non creuit, tua tamen illust. D. æqui boniq; cõsulat, propterea quòd plenissimus bonæ frugis est, & plus in recessu quàm in fronte promittit. Scio quidè dignũ non esse tanto principe. At illud me consolatur, qd illust. D. T. pro sua prudentia, q̄ summa est, animũ donantis respiciet potius quàm doni magnitudinẽ. Scio quoque multos desideratos Romani sermonis emendatiore structurã, & nitore in dicendo, copiã præterea atq; orationis splendore. Sed materia hæc subiecta, isthæc lumina verborum non requirit. Medica em̄ est, quæ ornari negat, sed cõtenta doceri est. Eò aut libetius tibi Princeps ill. hæc offero & dico, quò sæpius audiui ex viris maximis, & præcipuè ex Mag. D. STANISLAO Bonero, Capitaneo Bieciẽsi, heroè fanè amplitudine & splendore familiæ claro, ac D. Nicolao Ossolinio viro summo loco nato, virtutũ amatore. audiui inquam philosophos ac medicos tibi nõ ingratos esse præsertim verò doctis. viros Bartholomæũ Sabinũ, Petrũ Posnaniensem, præceptores meos nunquã satis laudatos, & Martinum Borucium Cuiaviensem philosophum ac medicũ præstantissimũ, phisicos Serenifs. Regis Poloniae. Tum etiã quòd ad eas, quæ in te elucèt virtutes, hanc quoq; laudẽ accedere intelligerẽ, quòd etsi maximis & grauissimis negotijs tum Regiæ Majestatis, tum latissimi dominij tui, nunquã ferè non

distringaris, quod tamen interdum otij tibi datur id in optimarum artium studijs libentissimè consumis. Quippe qui præterquàm quòd maximam ex ijs voluptatem capis, intelligis ad magnas res agendas illa conferre. Audeo autem hæc dogmata MONTANI ac hosce labores meos (quos sanè maximos, vt studiosi videbunt, impendi) Illust. D. T. offerre, cum medicos præstantissimos ac antiquissimos, imò & recentiores plurimos, idem fecisse constet. Ex quorum numero est Aristoteles & Galenus ipse, quorū alter Alexandro Regi, alter Antonino Imper. charissimè vixit. Rhasis Mansori Regi Arabum suos libros obtulit, & hac nostra ætate Iunius Paulus Cræsus Patauinus medicus eruditione & experiētia clarus, Aretæū ac Ruffum vetustissimos artis medicæ scriptores è Græco in Latinam linguam vertit, & illust. Prusæ principi dicauit. Andreas Vesalius anatomem CAROLO V. Imper. & Tagaultius Gallus librum Chirurgicū ex Guidone mutuatū, Regi Galliarū, ac Vincentius Casalis Brixianus philosophus & medicus summus, optimo ac potentissimo Principi illust. domino, domino Ioanni Comiti à Tharnovv Castellano Cracouiensi, ac copiarū Sereniss. atque Inuictiss. Regis Poloniæ Imperatori summo, opuscula quædam MONTANI, superiori anno me etiam consultore dicauit. Ac denique innumeri alij opera medica, tum sua, tum aliena, Regibus potentiss. ac principibus maximis ascripsere. Nec sanè est q̄ quispiā mihi vitio vertat, quòd aliena ediderim. Nam vt turpe non puto mihi præceptoris mei dogmata edere, sic etiam aliquā mihi laudem (absit verbo inuidia) deberi, quòd in ijs colligendis diligens fuerim. Semperq̄; existimaui honorificentius esse ex præscripto doctorū virorum, rectè de aliqua re dis-

ferere, quàm sua somnia literis mandare, quod multi nostra ætate faciunt. Hoc autem consilium meum si probari sensero, maiora aggrediar, & fortassis tandem aliquando (CHRISTO auspice) non de alienis, sed de meis lucubrationib. aliquid depromam, vt ostendam operam me non luisse sub reliquis preceptorib. meis & BASSIANO LANDO Placentino & HELIDEO de Paduanis Foroliuensi (quos honoris gratia apud illust. D. T. nomino) philosophis ac medicis hac nostra tempestate clarissimis & maximis, quorum alter Parauij cum sua laude Theoricam medicinæ ordinariè profitetur, alter verò Bononiæ praxim cum felicissimo successu exercet, ac alijs quorum nomina studens breuitati, silentio interea prætereo. Tuæ igitur illust. D. hunc librum (qualecunq; munus fuerit) nõ solùm dedico, verù etiam me ipsum perpetuò deuoueo. Diu valeas, viuasque principum decus, ac patriam meam Serenissimo atq; inuictissimo Principi & domino, domino SICIS-
MUNDO AVGVSTO Regi Poloniæ domino nostro clementissimo, cõmendatissimam reddas. Bononiæ

Calendis Aprilis

M. D. LIII.

16 CATALOGVS CONSVL-
TATIONVM MEDICINA-
lium, quæ hac prima & dimidia centu-
ria continentur.

DE leui capitis dolore & destillatione, ex imbecil- litate ventriculi, & hepatis, pro serenissima Bona Sfortia Regina Polonię, serenissimi ac potentissi- mi Regis Polonię Sigismundi Augusti matre	1
de diuersis dispositionib. præter naturã, cū metu fu- turę apoplexię, pro Illustrissimo Duce Bauarię.	10
de epilepsia, pro illustri Germano	14
de imbecillitate cerebri cum vertigine & catarrho perpetuo, pro matrona & Comite à Drichtristain Germana	21
de catarrho & fluore sanguinis cum macie corpor- ris, & dolore pectoris, pro Illustrissima matre Il- lustrissimi Ducis Florentiæ	27
de iisdem affectibus, pro eadem	36
de catarrho, dolore capitis cum vertigine, dolore podagrico, & œdematico tumore cruris, pro Du- ce Melphensi	40
de inflammatione capitis, cum dolore dorfi, & sup- pressionem menstruorum, pro nobili matrona Ve- neta de gente Cornelia	44
de epilepsia per consensum, pro nobili puero Ger- mano	54
de epilepsia, pro nobili viro Vincentino	60
de imbecillitate totius capitis, & oculorum, pro ci- ue Cracouiensi Polono	67
de catarrho diuturno ex intēperie frigida & humida cerebri, pro heroë D. à Drichtristain Germano.	71
de præseruatione à catarrho falso destillante ad par- tes subiectas, excitãte diuersa symptomata, & de potu	

I N D E X.

potu thermarum Lucensium, pro Equite Corne- lio Clementino	75
de destillatione catarrhi ad partes subiectas, fluore alui penè dysenterico, assiduo vomitu, torminib. ventris, cum febre assidua & insigni totius corpo- ris tabe, pro adolescente filio medici	77
de dolore capitis periodico, grauitate eius, & sibilo aurium, pro Veneto	80
pro eodem	84
de dolore capitis & dentium, cum varijs symptoma- tibus, pro nobilissima quadam matrona	87
pro puella epileptica	92
de intemperie humida cerebri, & de præseruatione dentium à nigredine & putredine, pro puero no- bili Germano	97
de catarrho, & sputo sanguinis periodico, pro no- bili Veneto.	102
de dolore capitis periodico, de ventriculi debilita- te, & mensibus albis, cù detestatione coitus, pro matrona Veneta	117
ad phtiriasim seu tineam capitis antiquam	120
de dolore capitis post partum, cum symptomatibus melancholicis, pro matrona Germana	121
pro eadem, & marito eius laboranti morbo Gal- lico	124
de catarrho, pro Illustriss. Ducissa Urbini	130
de dolore capitis cum tinnitu aurium, pro Illustrissi- ma matrona	132
de tremore membrorum, & mouendi imbecillitate vitio cerebri, pro magnifico viro	135
de vertigine, & tinnitu aurium antiquo, pro viro in- tegerimo Domino Matthia Zesz Bohemo	137
de dolore capitis, cum asthma, & dolore dextri la- teris, & febre leui, pro puella Maurocena	138

I N D E X.

de apoplexia terminata in paralyſim dextri brachij & cruris cum diminutione earundem partiũ, pro nobili Illyrico	148
pro eodem nobili Illyrico	154
pro eodem, cõtinens curationis factæ ordinẽ.	156
de deſtillatione à capite, vlceribus, animi deliquijs, epilepſia, imaginationibus melancholicis, & alijs plurimis, pro Marchione quodã Mõtiſferrati.	154
de diſpoſitione catarrhoſa, cum ventriculi imbecil- litate, pro viro 58. annorum	164
de ſuppreſſione menſiũ, cum grauitate capitis, pro magnifica muliere	168
de catarrho, in quo periculũ de tabe, pro nobili Ve- ronenſi	170
de tremore, ophthalmia ſiniſtri oculi, & reliquis or- tis vitio cerebri, pro matrona Leonora Sacrata Flischa	173
de diminutione viſus, pro matrona Veronenſi	177
de actione viſus diminuta, pro iuvene Auguſtano	185
de diminutione viſus, & pilis in palpebris interius retortis, pro Polono	190
de debilitate viſus, & paralyſi diminuta, & vertigi- ne, pro Doctore Veneto	193
de deſtillatione à capite ad diuerſas partes, & febre, pro abbate S. Gregorij octuagenario	199
de oculis lachrymantibus, pro Iudæo Turcico	207
de viſione diminuta cõtinua, & corrupta, ſed inter- mittente, pro monacho S. Iuſtina	210
de debilitate oculorũ, & periculo ſuffuſionis ex con- ſenſu ventriculi, pro D. Gaſparo Vngaro	217
de ophthalalmia, pro Corricio iuvene doctiſs.	218
de ophthalmia, cum principio ſuffuſionis, & vlcere in cornea	233
de apoſtematib. cãcroſis in narib. pro Germano	241
	de

I N D E X.

de polypo narium ad cancrum accedente	244
de difficultate aperiendi mandibulam ex debilitate musculorū, pro domino Andrea Ponticello	246
de catarrho descendente ad vertebrae colli, & impe- diente circumgyrationē capitis, item de immunda matrice coniugis, pro nobili Germano	248
de sputo sanguinis	255
de sputo sanguinis cum febre hectica, pro puero He- braeo	257
de empyemate cum suppressione menstruorū, pro puella	258
de tussi ex catarrho, cum sputo sanguinis, pro adole- scente Bononiensi	262
de angustia pectoris ex catarrho, & imbecillitate ventriculi, pro Gallo	276
de tuberculo circa thoracis regionē lateris sinistri, tam in anteriori, quàm posteriori parte, pro gene- roso domino à Stuberberg Germano	278
de cardiaca passione, pro nobili matrona Vicentina boni habitus 47. annorum	281
de febre ex intemperie membrorum naturalium, ac obstructione à materia frigida & crassa orta, pro Francisco Casali medico Brixiano	284
de febre orta ex obstructione, pro puero Veneto	287
de scirrho lienis, & obstructionibus cum periculo hydropis, pro doctissimo iuvene Vtinenfi, domi- no Ioanne Baptista Luuisino	289
de morbo Gallico, pro quodā nobili Germano.	296
pro eodem	309
de morbo Gallico, cum febre, & continuis vigilijs, pro nobili iuvene	313
de morbo Gallico, doloribus in extremis partibus digitorum, vlceribus narium ac gutturis, ex de- stillatione acris, pro generoso Polono	317

I N D E X.

pro Illustrissimo atq; excellentiss. Domino, D. Galeotto Pico, Mirandulæ Comite dignissimo	323
de tumore splenis post diuturnam febrem, pro reuere- rendo Boscheto Mediolanensi	344
de intemperie frigida splenis, cum tumore insigni, cruditatibus ventriculi, & corporis atrophæ ac decolorationibus, cum metu futuræ aquæ inter- cutem, pro nobili Polono quadragenario	349
de tensione hypochondrij dextri ex affectu frigido hepatis	352
de melancholia hypochondriaca	363
de flatibus hypochondriacis, pro sacrificio	366
de passione hypochondriaca, cum annexis sympto- matibus, nimirum tremore cordis, & ventriculi mordicatione, & totius corporis macie, pro Ve- neto	368
ad ramicem intestinalem	379
de hernia	381
de imbecillitate ventriculi, cum fluxu mensium al- borum, pro matrona Veronensi	382
de affectu hypochondriaco, pro Comite de Mont- fort Germano	383
de vrinæ difficultate cum pruritu, & de dolore dor- si, ac renum, & de grauitate in inguine, & de lue Gallica	388
de fluxu hæmorrhoidum, pro muliere nobili	398
de calculo renali, pro nobili Germano	402
de calculi præseruatione, pro reuerendis. Cardina- li Petro Bembo	415
de arenulis, & metu futuri calculi, pro iuuenes Sicu- lo	420
de eiectione materiæ crassæ & fœtidæ per vrinam, cum dolore renum	428
de ardore vrinæ, cum eo vt sæpe vrinâ emittat	455
	de

I N D E X.

- de calculo vesicæ, cum stranguria urinæ, pro nobili puero Italo 433
- de passionibus pudendi, ardore urinæ, difficultate mingendi, gonorrhœa, & febre erratica, pro nobili Veneto 439
- de calculo, dolore renali & iuncturarum, cum ardore urinæ, pro ciue Florentino 457
- pro Reuerendis. Cardinali Petro Bembo 464
- de ardore urinæ, cum quadam suppressione urinæ, suffocatione noctu à primo somno, dolore renis præcipuè sinistri, de dolore spatulæ sinistræ, dolore ventriculi, ventositate in fundo ventriculi, & intestino colo, de continua stomachi imbecillitate, cum dolore podagrico remisso in pollice pedis dextri, pro Francisco Vargo Regis Hispaniæ Consiliario 473
- de præfocatione matricis, pro nobilissima muliere, agente iam 33. annum ætatis suæ 481
- de fluxu materiæ albæ è virga per decenniū, pro magnifico Contareno Patritio Veneto 484
- de præseruatione à calculo, pro ciue Veronensi 487
- de fluxu per virgam, pro ciue Taruisino 490
- an diuretica conueniant in præseruatione affectus renum & vesicæ, pro magnifico Contareno Præ-tore Patauino 492
- de lassitudine ex labore, pro mercatore Veneto 501
- de dolore genu obtuso, ex destillatione pituitæ à capite, pro magnifico Veneto 510
- de tumore in vtroque genu, pro domino Georgio Freidel Germano 515
- de tumore œdematico vtriusq; pedis, pro ciue Ferrariensi 522
- de titubatione pedum ex leui vertigine, pro magnifico Bernardo Nauagerio Senatore Veneto 526

I N D E X.

de luxatione pedis, pro Illust. puero Germano	537
pro eodem, abeunte ex Italia in Germaniam	539
de præseruatione à podagra, pro nobiliviro domino Matthia Zefz Consule L. Bohemo	541
Alexandrinæ aureæ examen Montani	544
pro hydropico ex ascite cum tympanite	567
pro phthisico	576
pro ischiadico	589
pro melancholico	592
de diarrhico, pro ciue nobili Patauino	595
de epileptica puella, Frisimelicæ & Montani	597
cuidâ nobili viro Polono propè annos 60. nato, sple neticam & hepaticam ægritudinem patienti: pa tiebatur autem hoc malum à 15. annis	605
pro patiente diminutionē in motu quarundam par tium corporis	610
de pleurítico	613
pro nobili quodam, cui hepar inflammatum, & ven tricus ob id debilitatus erat	613
contra dentium dolorem	614
de catarrho, dolore capitis, pleuritide & feбри, Frisi melicæ & Montani, pro quadam mag. dñâ	616
cuidam suffusione laboranti ordinata	623
de melancholico Iudæo, inter Clarissimos Docto res Petrum Nauarram, Frisimelicam, & Baptistam Montanum	625
de varijs symptomatibus, destillatione, podagra, tu more splenis, alijsq;	633
de scabie, rinnitu aurium, hæmorrhoidibus	645
ad melancholiam hypochondriacam	648
pilulæ pro melancholico	649
pro quartanario purgatio	ibid.
de scabie, pro puero	ibid.
de scabie humida cum pruritu	952
	vu-

I N D E X.

unguentum ad lepram datum, seu scabiem ortam, ex vitio virtutis assimilatiuæ, purgato antea toto corpore	653
pro tremore manus	654
de Gallo quodam laborante quartana triplici	656
de feбри continua cum catarrho, & leui quodam spu to sanguinis, ac suspitione hecticæ	663. (674
pomum odoriferu, ordinatu Vuolfango à Vuerter in morbo Gallico euacuatium	674
pulueres variij pro catarrhosis à cœna, post quorum vsu non bibendum amplius	675
pro dysenterico	ibid.
pro monacho cholico	676
erisypelas phlegmonodes	677
cœliaca anus	678
pro puerpera tussiente admodu	679
de surditate & tinnitu aurium	680
de febre, cum præfocatione matricis	ibid.
de febre putrida in hecticam mutata	682
de aquis destillatis per Alembicum, etiam à calidis herbis esse frigidas demonstrationes	684
laborans feбри continua, ex bile & pituita crassa.	687
de febre continua, pro puella 18. annorum	693
de melancholico	701
de ophthalmia	708
de ophiassi & alopecia	715
de morbo Gallico, podagra, & hectica, vna cum pruritu maximo	721
de vtriusq; cruris contractione	727
de dislocatione & contractione sinistri cruris	734
de catarrho, cum multis alijs symptomatis coniuncto	742
de difficultate anhelitus, vertigine, ac defœdatione cutis	752
	de

I N D E X.

de melancholia hypochondriaca	759
de sputo sanguinis, & puris, cum catarrho	767
de affectione hypochondriaca confirmata, cum multis symptomatis	773
super eodem adolefcēte nobili, an sit mittendus ad balnea	779
de catarrho, cum affectu quodā melancholico	784
de epilepsia, pro puero	787
de furditate	ibid.
de dolore in brachio ex præseruatione ab apoplexia	795
de visus imbecillitate, & alijs quibusdam symptomatis	801
de brachio læso, & omnium principalium membrorum influxu destituto	805
de fluxu pituitoso per vrinam, vlcere in pudendis, tabe, manus contractione, & hypochondriaca affectione	808
de paralyfi sinistri lateris, pro quodā magnifico viro	815

F I N I S.

IOAN. BAPTISTAE

MONTANI MEDICI

VERONENSIS,

Consultationum medicinalium

Centuria prima,

A VALENTINO LVBLINO

Polono quàm accuratè collecta.

Consult. I. De leui capitis dolore, & destillatione,
ex imbecillitate uentriculi & hepatis, pro Sere-
nissima Bona Sfortia Regina Poloniae, Serenif-
simi ac potentissimi Regis Poloniae Sigismundi
Augusti matre.



RX omnibus intrinsicis causis, quæ ad affectus capitis præter naturam generandos conducunt, potissimæ sunt uentriculi imbecillitas, atque hepatis caliditas. Ac de uentriculi quidem imbecillitate, cuius ratione succi crudi multiplicati assiduos vapores ad caput submittunt, cuiq; etiam vulgari medico vel mediocriter in arte versato est exploratum, nihilq; frequentius auditur, quàm mutuus ille circulus læsionum inter cerebrum & uentriculum. De hepatis uero caliditate, quàm ad capitis repletionem faciat, autoritas est Galeni I I I. de locis affectis: præter rationem, quæ dicitur, in huiusmodi temperaturis maximam vaporum copiam à toto venarum ambitu ad cerebrum ascendere. Sunt igitur suapte natura paratissimi ad omnes circa caput affectus perpetiendos, quicunq; in duobus illis membris, uentriculo scili-

cet & hepate, tales habent temperaturas: quibus si postea accesserit apta capitis ad recipiendum dispositio, iam intrinsecus omnes promptas habent occasiones tum ad efficiendas; tum ad recipiendas circa caput dispositiones præter naturâ. Cùm ergo scribatur, in sua Serenissima Maieft. hæc omnia cõuenire, non est mirum si facillè inciderit in dolores capitis, defluxiones, & quosdam alios affectus præter naturam. Sed si postea his quoque accesserint aliquavitalia sex rerum non naturalium, humana corpora necessario commutantium, tum planè nõ facilitas tantùm, sed necessitas malarum impressiõnum consequitur. Cùm igitur huiusmodi quoq; conuenisse audiam in eadem Serenissima Maieftate, perficitur integer tanquam causarum chorus ad morbi incrementum idoneus. Audio enim suam Maieftatem primò penitus se non exercere: aliquando verò in assiduis cogitationibus, & animi molestijs detineri: somno diurno uti quotidie: in cibo & potu non admodum exquisitum delectum habere: cuicumq; aëri, incumbētibus grauissimis negotijs sese exponere. De excrementis verò, an secundum quod oportet expellantur, non audiui quidem, sed fortè & in illis erit aliquod vitium: ferè enim ista quoq; læsio præcedētes errores consequi, comitariq; solet. Nam de mensibus retentis, quamuis ratione ætatis secundum naturalem ordinè retenta fuerint, nihilominus in tali temperatura, & tali otio, & delicijs Regijs, non sine damno intercepta sunt. Nam etiam audio post eorū retentionem in omnia prædicta symptomata confestim incidisse: scioq; plurimas quoq; matronas aliàs post detentos menses etiam naturali temperie præditas, tamen in varias ægritudines postea delapsas esse. Et si omnia rectè collegerimus, facillè intelligemus non tantùm

tantum capitis affectiones, sed etiam lienis tumores, & hydropicos, qui quandoque contigerunt, ab iisdem caulis processisse. His recte cognitis, & suppositis, haud difficilis erit intentio. Ac primum illud ex rei natura fundamentum elicitur, S. M. purgantibus quidem, & his quae attenuat, vel alio modo preparant, aut excoquant humores, subleuari quidem posse, curari vero nequaquam: vel enim enumeratorum membrorum intemperies ad naturalem statum sunt redigenda, vel causa intrinseca relinquenda sunt, quibus periodice ad illos eodem affectus sit redeundum. Quamuis ego non negauerim purgationes esse opportunis temporibus faciendas, ut humores qui quotidie ob membrorum inaequalitatem assiduam generantur, non redundant, & ex redundantia non illos tantum affectus foueant, sed novos quoque generent, ut frequenter fieri solet. In illis tamen purgationibus non est insistendum, sed ad alia quoque, quae paulo inferius dicenda sunt, accedendum, quae magis facient ad praeservationem, quam ad curationem. Vera enim curatio, si verum fieri volumus, forte erit impossibilis, si modo totam morbi naturam recte perpendimus: quomodo enim fieri poterit, ut eorum membrorum inaequalitas ad aequa- litatem redigatur? in hac praecipue aetate, & in corpore regio, cui quam difficile sit diutius imperare, notum est omnibus, qui aliqua ex parte experimento deprehenderunt. Primum itaque in tam longa aegritudine, in recta victus ratione, curationis praeservationisque basin, potissimamque fidem statuerem, ita ut neque alicui aeris excessui tam calido quam frigido occurreret, ventosque omnes & pluias euitaret. Nec hyemis tempore in vaporarijs suo more calefactis, vel prope magnos ignes diutius moraretur, praecipue ubi ignis ex fortioribus lignis ardeat, qualis est

quercus, ilex, vlmus, & reliqua plura huiusmodi. Ca
ueat etiam, ne acriter magnum lumen, siue Solis, si-
ue ignis intueatur: sed neque ab alto prospiciat, aut
fluuiorum præcipitium, aut turbas, aut celeres rota-
rum gyros, & reliqua. Laudarem vt singulis septima-
nis caput ablueret, præcipuè si sit illi lauandi cõsue-
tudo, eligatq; lixiuium ex falicis aut vitis cinere cõ-
fectum, in quo saluia, maiorana, chamemelum, rosa,
decocta sint cū drachmis tribus agarici electi. Hæc
enim ablutio conferet ad roborandū, mundandū-
que caput. Inter præcipua hoc habeat, vt omnes ani-
mi molestias, quammaximè fieri possit, euetet, fa-
ciatq; vt quãmaximè exhilaretur animus quacunq;
occasione sumpta. Erit etiam illud otium, & quies
corporis immoderata, omnino auertēda. Quotidie
matutinis horis sese exercebit deambulando, donec
totum corpus citra sudorem incalescat. Nec minus
imperabit sibi frictiones quotidie, vt manè in lecto
fiant, sintque frictiones in toto corpore æqualiter,
molles tamē, & prolixiores, ita vt cutis calefacta in-
calescat. quòd si etiam post frictionē totum corpus
illiniatur oleo garyophyllorum odorato, longè ma-
gis expediet. Et quoniam audimus deditam esse lon-
ga consuetudine somno meridiano, consulimus vt
paulatim desuescat, præcipuè si nocte, quantum fati-
tis est, dormierit: ad capitis enim repletionem, distil-
lationesq; augendas, efficacissimus est somnus me-
ridianus. Obseruabit præterea, ne cubitum accedat
à cœna nisi post horas ad minus duas, cœnaq; illi sit
parcior, quàm prandium, si & suauiore somnum,
& leuius liberiusque caput habere voluerit: non ta-
men propterea tam copiose prandeat, vt postea cru-
do stomacho ad cœnam accedat: vtrunq; ita mode-
randum, prandium inquam & cœna, vt nouus cibus
priorem

priorem incôcoctum vel ebullientem non inueniat: quod optimè fiet, si citra satietatem semper comedere. Sitq; inter cœnam & prandium spatium non minus quam nouem horarum: tunc enim cruditatem semper euitabit: quod inter cœtera optimum erit re medium ad omnes suos affectus abolendos. Sitque, quàm fieri potest, cibus quàm maximè simplex, vniùsque naturæ: quod quidè sicut est Principibus & Regibus difficillimū, propter inueteratā & malam consuetudinē, ita etiam perniciosissimū est. Nihil enim magis facit ad cruditates, ad corruptionem, putredinemq; & ad deprauatos humores in corpore multiplicandos, quàm ciborum varietas & multitudo: confunduntur enim plurima diuersissimarum naturarum, quæ dum inæqualiter concoquuntur distribuunturq; necessariū est vt inde labor caloris innati consequatur, & varia vitiorum genera in succo illo tam diuerso. Admonemus igitur, & deprecamur suam S. M. vt velit in hoc Regium morem exuere, & in opipara regali mensa vnum tantum eligere, quod sibi pro fame sufficiat, illudq; sit leue, & quod facile concoquatur, facileq; distribuatur, & optimum sanguinè generet, quales sunt omnes carnes pullorum, perdicum, phasianorū, hœdorum, vitulorum, castratorum iuuenum, oua recentia tremula, vel forbilia. Panis ex purissima farina sit, bene fermētatus, & mediocriter salitus. Ab omnibus antiquis carnibus, & sale maceratis abstinerebit, ab oleribus præcipuè crudis, à fructibus horarijs, à piscibus, præcipuè qui in stagnis degunt, aut paludibus, ab auibus etiam quæ palustria incolunt loca, vt sunt anseres, anates, & huiusmodi, à leguminibus, à pastilibus, à lacticinij, & præcipuè à caseo, à frixis in sartagine. hæc omnia S. R. M. sua auerfetur. Vinum eligat clarum medij co-

loris, vel etiam album, non acidū, neq; adstringens, sed bene maturū, mediocriter vinosum: & omnino euitabit mustum & vina turbulenta. Quòd si etiam vindemiæ tempore vinum conficeretur cum salua & betonica, illud esset præstantissimū, præterquàm quòd gustui non esset iniucundū. Sed non est omit-tendum, tanquam parui momenti, quòd vt sua M. quotidie habeat beneficium alui, diligenter opera danda est, imò inter præcipua hoc animaduerti debet: hoc enim studio adhibito distrahētur vapores, qui ad caput continuè feruntur. Si igitur natura faciat quātum oportet, nil vltra moliendū: sin minus, laudo vt semel, aut bis, aut quoties opus fuerit in septimana fumat terebinthinæ Cypriæ, quæ faciliè habebitur Venerijs, vel interim, dum nō habebitur, larinæ, quæ habebitur faciliè, pōdus drach. duarū manè tribus horis ante prædium. Hoc enim remedium non tantum mollit aluum, sed etiam obstructions aperiet, membra præterea naturalia, membraq; neruosa corroborabit, vrinam prouocabit, vtero conferet: ideo, me iudice, prætermitti nō debet. Hæc summatim dicta sint pro tota victus ratione, quæ si diligenter à Maiestate sua obseruabuntur, tam erunt efficacia, vt fortè sola horum ope præseruetur, & immunis futura sit ab omni affectu, de quo nunc conqueritur. Hoc tamen si non fecerit, vel magis, vt futurum credo, non adeò exquisitè obseruet, alia proponam, quæ in alijs duobus curandi instrumentis, pharmacia scilicet & chirurgia, cōsistunt. Quantum ad pharmaciã attinet, laudo vt bis singulis annis purgetur, autumno, & vere. Ex his enim annuis purgationibus præseruari solent homines à grauisimis etiam morbis, quemadmodum erat sententia Galeni in libro de sanguinis missione. Et quamuis immensa
penè

CONSULT. MEDICIN. 7

penè euacuandi materia sit, nihilominus tamen proponam, quod mihi congruum videtur, & quod erit tanquam intentionis exemplum.

℞. Cassiæ $\frac{3}{4}$ j.
Specierum hieræ 3 j.

Fiat bolus trib. horis ante prædiū sumendus. Deinde

℞. Mellis rosati colati
Syrupi de cichorea Nicoli sine rhabarbaro ana
Decoctionis cetrach $\frac{3}{4}$ j.
Capillorum Veneris in aqua boraginis destilla
ta $\frac{3}{4}$ iij.

Misce pro vno, & sic pro alijs septem. Deinde

℞. Rhabarbari 3 j.
Spicæ gra. vj.

Infundantur in decoctione florum cordialium per horas x. & facta diligenti expressione, colaturæ adde confectiois hamech 3 iij. syrupi rosati solutiui $\frac{3}{4}$ ij. Misce, & fiat potio danda in aurora cum custodia. Et iste esset purgandi modus satis facilis & expositus. Placeret tamen, vt sanguis quoq; in purgatione veris mitteretur à basilica sinistri lateris, cuius quantitas sit ad vncias viij. vel vncias x. In autumno postea peracta euacuatione prædicta præter sanguinis missionem, summopere placeret vt sumeret per duos vel tres dies infra scriptam decoctionem, quæ apud me longo experimento probata est ad melancholicos succos sine aliqua molestia euacuandos, lienisq; affectus egregiè remouendos, cuius dosis quidem communis est, vnciarum sex. Est tamen pro natura vniuscuiusq; , consuetudine & ætate limitanda, cuius descriptio talis est:

℞. Myrobalanorum omnium ana $\frac{3}{4}$ v.
Contundantur grosso modo, & fricentur manibus cum oleo amygdalarū dulciū. Infundatur per xxiii.

horas in libris vj. aquæ fumiterræ destillatæ. Postea

℞. Epithymi

Thymi

Polypodij

Foliorum fenæ

Liquiritiæ ana ʒ vj.

Seminum citri ʒ ij.

Corticum radicum ellebori nigri ʒ iiij.

Bulliant omnia simul ad consumptionē medietatis, deinde quiescat donec refrigeretur decoctum, postea coletur & fortiter exprimatur, & addito zucchero sufficienti dulcescat, & cum oui albumine purificetur, & leui decoctione facta syrupidetur, & feruetur ad vsum. Postea

℞. huius decoctionis ʒ vj. aut v. aut iiij. aut quantum expedire videbitur:

Iulep rosati ʒ v.

Misce, fiat potio danda in aurora, poteritq; dari vel alternis, vel singulis diebus secundum euacuationis quantitatem, augendo vel minuendo dosim, prout euentus ostendet. Et hæc de purgationibus ordinariè per singulos annos faciendis. Sed quoniã in ratione victus semper ferè aliquid delinquitur, & præcipuè in Regijs delicijs, ideo ne deprauati humores plus æquo excrescant, suum consiliũ esse opinor, si singulis mensibus bis aut ter mediã rhabarbari optimi drachmam deglutiat, siue mandendo, siue in pilulari forma, siue in puluerem redactam, admixto saccharo rosato, vel passulis, quomodocunq; libuerit. Ad oculi verò affecti corroborationem, concoctionemq; & discussionem materierum confluentium, optimum erit remedium huiusmodi collyrium:

℞. Fœnugræci electi,

Radicum althææ ana ʒ j.

Munden-

CONSULT. MEDICIN. 9

Mundentur exquisitissimè ab omni forde, infunde & decoque in aqua fontis purissima sine fumo, aut puluere, aut fauillis, ad consumptionè duarum partium, deinde fiat fortis expressio & colatura. Postea

℞. Aloës optimæ lotæ in aqua rosarum ʒ ij.

Sacchari candi rosati ʒ j.

Decoquantur omnia simul ad consistentiam mellis, deinde feruentur in vase vitreo optimè obturato, & suo tempore suauiter ponatur in angulo oculi affecti cum penna, & maximam inde utilitatem habebit, cum accipiet. Pro capitis verò particulari purgatione, laudo quidem ea, quæ nos vulgò appellamus masticatoria, & præcipuè quæcum sola mastiche fiunt sed caput purgia, & expurgationes per nares violentas non ita laudauerim, tum propter maximam affinitatem inter angulos oculi, & nasi emûctoria: esset enim potius attractio ad eundem locum, quàm deriuatio. Sed vbi omnibus his diligenter peractis S. M. adhuc vexaretur ab iisdè symptomatibus, tum maxime probarem, si cauteria quoq; fierent in vtroq; crure, in parte exteriori, in loco cõsueto per quatuor digitos infra iuncturam, à peritissimo chirurgo: esset enim auersio, & euacuatio optima, & efficacissima, & præcipuè si in sinistro crure fieret, propter rectitudinem. Et hæc crederem suffectura, si modò sua

Serenitas diligentissimè præseruari voluerit

ab omnibus molestijs, quibus nunc

affici solet, cum auxilio Dei Optimi

Maximi, cuius nomen sit

perpetuò benedictum.

Datum Venetijs,

nonis Iulij,

M. D. XLIX.

Consult. II. De diuersis dispositionibus præter naturã, cum metu futuræ apoplexiæ, pro Illustriss. Duce Bauariæ.



Robabile admodum est Magnificū hūc & nobilissimum virum à natiuitate laudabilis fuisse tēperaturæ, neq; in corporis compositione deliquisse: audio enim & hono habitu constare, semperq; constitisse, & esse carnosum, rubei ac floridi coloris, hilarem, ingeniosum, prudentē, & rebus agendis idoneū. Quæ quidē indicant non tantū corporis temperaturā bene habere, sed membra quoq; omnia principalia in idem exquisitissimè cōspirare. Si quo igitur morbo vel laborat, vel hactenus laborauerit, nō est iudicio meo, vitio corporis, sed victus rationi tribuendum. Cū tamen calidioris hepatis sit, plurimumq; sanguinis generet, parumq; exerceatur, & lautissimè viuat, nō est postea mirum, si ex redundantia in varias ægritudines semper inciderit, & primò in adolescētia in tertianas febres, & icteritias, ob feruorē ætatis, bilis copiã, & malam victus rationē: deferuescente autem ætate, dum calor nō ita acris adesset, frigidiores postea morbi inuaserūt, vt testiculorū, calculi renū, iliaci affectus, vlcera crurū erodentia propter humorū adustionē: & nunc cū tantū sit in primo senio cōstitutus, totq; morbis subijciatur, periculū est, nisi exquisitissimè sibi caueat, & præcaueat, atq; iterum caueat, ne in apoplexiã tandem etiã incidat, aut subito suffocatus intereat, præcipuè cū videatur hoc illi esse hereditarium ob similem patris interitū. Oportet igitur, vt tanquã prudens & temperatissimus vir muniat se, atq; ab imminentibus periculis se custodiat: quod non ita difficilè efficiet, si rationi, & fide-
li me-

li medico velit obtemperare. Neque enim, vt prius dicebamus, vitium aliquod naturale in hac corporis structura esse opinamur: sed sola deprauata vitus ratione contractum. Incipiet ergo à fundamento solido & necessario, vbi tandem totâ præseruationem, totam etiam curâ inuenerit, sine quo nihil exequi poterit, & quo solo omnia facillè exequetur. Fundamentum illud est, vt in sex rebus non naturalibus quantum fieri potest, nihil delinquat. Exercitij vtatur moderatis: euitet omnes aëris excessus, omnesq; animi molestias: quotidianam alui excretionem procuret: somnum meridianum effugiat, omninoq; ad vigilias potius declinet: sed præ reliquis omnibus cibum & potum moderetur. Caueat ab aromaticum vsu, qui mos apud Germanos plus nimio viget. Vnico cibo contentus sit, ferculorumq; ac omnium esculentorum copiam euitet. Ideo à lautis mensis, & communi nobilium conuictu, & copotationibus quam maximè potest abstineat. Iuniores carnes comedat, sicut hœdorum, vitulorum lactentium, pullorum, perdicum: oua etiam recentia & forbilia conceduntur. A piscibus, leguminibus, pastilibus, lacticinijis, rebusque omnibus frictis abstineat. A vino quam maximè abstineat: in vino enim omnia ferè inueniet detrimenta, suarumque omnium ægitudinum fomenta. Sit ergo vinum vel nullum, si fieri potest, loco cuius vtatur vel ceruisia: vel si vinum admittit, neque ceruisiam toleret, sit saltem vinum dilutum, pauciferum, clarum, subtile, & modica admodum quantitate ebibitum. Quantum ad id quod quaeritur, vtrum quemadmodum consuevit, sit in illo singulis annis secanda vena: dicimus, ex quo hactenus consuevit, non protinus esse desuescendum. Sed si ita viuet, quemadmodum à nobis est institutum,

non aggregabit ea excrementa, quæ indigeant tanta missione sanguinis : & tunc poterit paulatim ab annua venæ sectione desuescere, præsertim maturiori succedente ætate, in regione frigida & boreali. Ad secundum quæsitum, vtrum vlcera crurum sint præferuanda nullis factis cauterijs, quæ vulgus fontanelas appellat. Respondemus, cum iam natura assueuerit ad eas partes excrementa corporis, & ea quidem acerrima & pessima transmittere, si defluxus huiusmodi intercipiatur, fore hoc cum maximo ægri discrimine. Sæpe enim vidimus, & habemus parata exempla multorum, qui ex crurum emanantium sanatione & exiccatione, in apoplexias & perniciosissimos morbos inciderint. Laudamus igitur cauteria in utroq; crure loco cõsueto in parte exteriori quatuor digitis infra genu, euitãdo chordas, & loca neruorum, ritè esse facienda. Et vbi cauteria hoc modo peracta destillare, saniemque emittere satis copiose inceperint, tunc nisi vlcera spontè sanentur (id enim frequenter fieri solet) arte medici sananda esse consulimus. Ad tertium quæsitum, quodnam thermarum genus illi cõueniat. Respondemus, iudicio nostro omnes calidas thermas ab illo quãmaximè esse euitandas, quales maximè sunt sulphureæ, nitrosæ, bituminosæ, aluminosæ: æneæ verò, & reliquæ huiusmodi, in quibus tamen ferri minera prædominatur, ac consequenter frigida sunt & sicca, harum vsum summopere laudamus: hepatis enim, renũq; ac dorsi feruorem contemperabunt, per vrinam excrementa corporis expurgabunt, corpusq; totũ sua adstrictione corroborabunt. Debet autem hoc corpus ita præseruari, vt bis in anno, vere inquam & autumnò, exquisitè purgetur pharmacis bilem præcipuè & pituitã purgantibus. Inter quæ omnibus ego prætule-

rim cōfectionem Hamech, syrupo rosaceo solutiuo admixto. Et quoniam à me requiritur, vt particularis modus purgandi tradatur, licet hoc præsentibus medicis esset dimittendum, nihilominus, vt amicorum desiderio satisfaciam, particularē purgandi formam exponam. Ineunte igitur vere circa primā Lunæ quadram, manè hora ante prandium, duodecim drachmas floris cassiæ in bolo cōfectas exhiberem, ac die sequenti syrupum infra scriptū propinarem, qui habet:

℞. Syrupi acetosi simp. multæ acetositatis.

Syrupi de succo limonum ana ℥ j.

Decocti acetosæ

Seminum citri,

Carnis citrangelorum, vel arantiorū, cortice dempto, ℥ iiij.

Misce pro vno, & sic pro alijs. Sumptis septem syrupis pharmacum accipiet, quod ita habebit:

℞. Cōfectionis hamech ℥. iiij.

Syrupi rosacei solutiui ℥. iiij.

Cum modico aque acetosæ fiat potus. Sumat in aurora cum custodia: postea vtatur saccharo rosaceo per plurimos dies, quod etiam laudo, vt familiare habeat. Sanguis autem mittatur è vena basilica dextrilateris post exhibitionem secundi syrupi, tertio scilicet die ab assumpta cassia. Quantitas sanguinis est pro virium ratione metienda. Autumno eadem prorsus euacuationē repetet, excepta sanguinis missione. Quantū ad asthma attinet, illud, vt audio, merum fuit symptoma, ob retentionem materiei confectæ ad crura defluere: hoc enim tantum proximo anno inuasit, dum crurum emanatio detenta esset. Propterea emanantibus cruribus crediderim nō superuenturum asthma. Si tamen cōtingeret, in paro-

xyfmo quãmaximè effet abftinendum à cibo & potu. Sorbitio tamen paulatim, & per interualla exhibenda effet, modò aquæ mulfæ cum hyffopo decoctæ, modò cum oxymelite eadem hyffopo adiuncta. Erectus maneat, neq; omnino iaceat fupinus, vbi fpirat aër liber, frigidus, minimè fuffocatus. Illinat pectus & thoracem totum tam anterius quàm pofterius linimento ex adipe anferis, butyro, oleo amygdalarû amararû confecto, adiuncta particula croci. Procuret etiam cum clyfteribus acutis alui lenitionem, ita enim euacuabit, & auertet materiam. Declinante paroxyfmo poffet agarici præparati drachmas duas deglutire fiue in forma pilularum, fiue ex melle rofaceo collectum, fiue dilutum aqua betonica, vel hyffopi, & fimilium. Mense Iulio,

M. D. XLVII.

Confult. III. De epilepfia, pro Illuftri Germano.



HX ftructura capitis Illuftriffimi Domini, atq; ex multis excremetis, nemo non poteft iudicare cerebrû illud humidiffimum effe, plurimaq; redundare pituita: quod facile etiã indicat omnes operationes animales, atq; alia figna omnia. vbi pofttea accefferit peffima viuendi ratio, nõ abfq; ratione cõfecuta fuerunt peffima accidentia, & præcipuè epilepfia, quæ propriè cõfequitur talem temperaturã cerebri. Cùm ergo tum naturalis corporis habitus, tum mala viuendi ratio ad morbütum generandû, tum alendum cõfpirent, meminerit, fi modò Illuftriff. fua dominatio fuæ valetudinis curã habuerit, omni conatu vtrunq; emendare, malam fcilicet viuendi rationẽ, malamq; cerebri temperaturã. Quæ quidẽ præftare non poterit pauco quodam tempore, parcens præfertim his
qui-

quibus nocumento affici possit. Ideo perpetuò incendianda est sibi talis viuendi ratio, quæ simul & possit morbu, & naturalem corporis constitutione in contrarium vertere. Primùm igitur studebit, vt deligat aërem in quo degat, quàm maximè siccum. Calidior etiam eligendus esset, si regio sua pateretur: sed illum saltè qui quàm minimè frigidus iudicetur. Humiditas autè aëris quàm maximè cauenda est. Valles igitur cõcauas, paludosaq; loca, & quæ à ventis minimè difflari possint, euitet: non tamen propterea ventis caput est exponendũ, Austro præcipuè, & Boreæ: alter nãque excrementitio humore caput replet, alter intenso rigore constipat, comprimit, concoctionesq; omnes impedit, vnde obstructions oriuntur. Serenas igitur temperatasq; regiones quàm maximè expetat, vbi neq; montium asperitas, neq; vallium depressa inæqualitas, neque per paludes, aut stagna, aut vastitates, syluæ intercedant: sed eligat amplas planities libero sole, & ab omni euaporatione quam maximè immunes. Nocturnum etiam aërem effugiat, neq; loca inhabitet terrena, neque fenestris apertis dormiat, etiam si feruor æstatis accedat. Vbi frigus vel venti regionem occupauerint, quod euitari nõ possit, tunc caput congruis operimentis est regendum, auresq; & ceruix, & totus thorax ab omni frigoris iniuria præcipuè defendi debent. Nec minus studebit, pedum ne frigiditatem patiatur: pedum enim frigiditas cerebro ob rectitudinem non mediocriter consentit. Vbi ergo corpus ita optimè munitum fuerit, vt possit & humiditati, & frigiditati aëris, & omnibus importunis ventis resistere, tunc curabit ne accidentibus animi molestijs aliquo modo afflicteretur: cerebrum enim ex illis quàm maximè afficitur nocumẽto. Iram igitur tristitiasq; omnes

tanquam pestes effugiat, & quietē animi quærat, iucundē viuat, cum amicis lætetur, vnde etiā cauebit à solitudine. Recedat ab eo prorsus diurnus somnus, præcipuè meridianus & matutinus: meridianus enim generat, matutinus retinet capitis omnia excrementa. Surgat igitur in diluculo, & intra cubiculum suum se cōtinens, deambulando, & corpus congruis motibus exercēdo, caput etiā pectendo, quærat omnia capitis excremēta tum per palatū expuendo, tum per nares, tum per aures etiam, excernere. Quæ vbi peregit, tunc ad exercitiū corporis se conferat, quod quidem suaue molleque esse debet, & in quo præcipuè caput non agitur, sed crura potius & inferiores partes moueantur acrius: in aëre tamen hoc erit faciendum tēperato. Quòd si regio, vel aëris cōstitutio, aut anni tempus prohibeat, intra proprios lares, atque intra cubiculum etiam se exercere poterit: neque enim exercitiū singulis diebus est intermittendū: quod sicut molle suaueque esse præcipimus, ita etiā longū statuimus, vt longitudo expleat, quod mollities præstare non potest. Et si exercitium aliqua occasione prorsus impediatur, exercitij loco frictiones longas toto corpore fieri oportet, omisso tamen capite. Deinde enitatur, vt secundum ciborū proportionē quotidie etiam egerat excrementa cōuenientia tum per aluū, tum per vrinā: maximè enim studere debet, ne excremēta retenta caput suis malis humoribus repleant. Vbi igitur natura in hoc satisfecerit, bene erit: vbi deficiet, tunc artificio suppleatur, cōmodissimumque; & præsentaneum remedium, & ad hunc vsum instrumentū erit clysterium: maximè enim auertit à capite, confertimque; & subito expurgat sine aliqua molestia. Clysteres autē sint ex betæ, maluarum, fursurisque; decocto, addito oleo & sale

fale, & ℥ iij. mellis rosati. Quod si clysterē non ita facile assumpserit, vtatur ante cœnā ℥ j. optimæ aloës ad formā pilulę redactę, hora vna ante cœnam, bis aut ter in septimana, si ita res exegerit: nam hoc remediū auerter à capite vapores omnes, prouocabit vrinā & alia excremēta, aperiet obstructions venarū, corroborabit ventriculum, & vegetabit calorem innatū: hæc enim omnia efficacissimè præstat aloës vsus. A Venere quāmaximè abstinēbit: nam ab antiquis omnibus, præcipuè ab Hippocrate medicorum principe, Venerē nihil aliud esse quā breuem epilepsiam, proditū est. Superest viuendi ratio circa cibū & potum, in quo maxima suę curationis portio cōsistit: ex cibo nanq; & potu generantur humores, ex humoribus obstructions, ex obstructionsibus epilepsia. Curandum igitur est, vt humores boni generentur, & nō boni tantūm, verū etiam quantitate moderati: redundantia nanq; humorū, etiam si optimi fuerint, pessimos generat morbos, inter quos epilepsia quoq; & apoplexia numerātur. Cauere igitur oportet à cibis tum qualitate, tum quātitate peccantibus. Sed & multitudo ciborū vel varietas vitanda est: neq; enim in varietate cōtingere potest, quin & plus sumatur alimenti, quā oporteat, & deinde cūm assumptum est, ob naturarum diuersitatem & contrarietatem non corrumpatur, & putrescat. Vnicō cibo contentus erit, idq; horis consuetis. Cavebit diligenter, ne cibum assumat, nisi priorem concoxerit: ideo ad mensam non accedat, nisi vera fames coegerit. Et propterea non malum erit, si quando omnino etiā abstinēbit à cibo: id enim natura sepe exigit, vt quod assumptum est, decoquat atq; distribuat. Prandium sit & cœna inter se proportionē correspondentiā, vt ex tribus partibus cibi viginti-

quatuor horarum, pars vna fumatur in prandio, duæ verò partes in cœna, ita tamen vt post cœnam leuiter & suauiter deambulet, neque prius cubitum eat, quàm duæ saltem horæ à cœna peractæ fuerint. Cauebit, ne inter prandium, & cœnam, & horam decubitus, aliquid prorsus bibat, siue vinû, siue aqua fuerit: neq; etiam aliquid comedat, siue sint fructus, siue aliquid aliud genus edulij: omnia enim hæc sumopere nocebunt, & coctione impedient. Abstinebit præcipuè ab omni genere carniû antiquarum, sicut sunt bubulæ, caprinæ, & castratorum veterum: à carne porcina cuiusq; generis, siue recês, siue salita fuerit: ab omnibus palustribus auibus, sicut sunt anferes, anates: à coturnicibus, quas Itali Qualias vocant, habent enim innatû quendam & naturalem consensum ad epilepticos motus excitandos. Cauebit ab omni piscium genere, præcipuè tamen à palustribus, & anguillis, & ab his quas Tencas vulgò vocant: ab omnibus pastilibus, lacticijs, cibarijs frictis in sartagine, à fructibus, præter ficus & melones, quos tamen in pauca quantitate, nec quotidie, concedimus: à caseo, ab ouis duris, ab omnibus acetarijs, præcipuè herbarum crudarum, & maximè lactucæ, & tandem ab omni eduliorum diuersitate: à vinis quoque omnium generum, hoc enim præcipuè placeret. Sed si aliquod vinum bibendum est, sit illud pauciferum admodum & bene dilutum, album, & in paucissima quantitate. Quantum verò ad medicaméta alia, laudo per aliquot subinde annos autumno & vere purgetur: purgatio autem sit huiusmodi:

℞. Floris cassiæ 3 x.

Specierum hieræ simp. 3 ij.

Cum saccharo fiat bolus sumendus tribus horis ante prandium. Item

℞. Oxy-

℞. Oxymellis scillitici
 Syrupi de betonica ana ℥ j.
 Aquæ pæoniæ ℥ iij.

Misce pro vno, & sic pro alijs septem. Post vltimum
 syrupum die immediatè sequenti accipiet infrascri-
 ptam medicinam manè in aurora cum custodia:

℞. Confectionis hamech ʒ iij.
 Corticum radicum ellebori nigri ʒ j.
 Syrupi rosati solutiui eiusdem anni ℥ iij.

Cum aqua pæoniæ fiat potio sumenda in aurora cum
 custodia. Deinde ℞. Sacchari rosati ℥ iij.
 Sumat ℥ s. hora vna ante cibum bis in die. Et hoc
 pro euacuationibus tam autumnì quàm veris. Me-
 dijs verò temporibus vtatur ter vel quater etiam in
 mense pilulis infrascriptis, sumendis vna hora ante
 cenam ad pondus ʒ. j. videlicet:

℞. Seminum pæoniæ ʒ j.
 Garyophyllorum
 Nucis muscatæ ana ʒ s.
 Rheubarbari electi
 Aloës succo citrini
 Agarici præparati ana ʒ. ij.

Puluerizentur omnia per se, & misceantur: deinde
 aspergantur succo rosarum puro, & permittatur ex-
 iccari, & ita iteretur septies: deinde cum oxymelle
 squillitico fiat magdaleon, de quo fiant pilulæ tres
 singulis vicibus ex singula ʒ j. & reformentur
 cum oxymelite squillitico. Item vtatur frequentis-
 simè electuario infrascripto bis aut ter etiam in se-
 ptimana, & deglutiat singulis vicibus cochlearia
 duo tribus horis ante prandium.

℞. Oxymellis squillitici ʒ ij.
 Mirhidati optimi ʒ j.
 Succu radices pæoniæ recentis ʒ iij.

Seminum pæoniæ

Seminum citri ana ʒ ij.

Pulueris cranei humani ʒ ij s.

Sacchari rosati ʒ iiij.

Misce cum saccharo siue Iuleb rosato, fiat lambituum. Item quandoque vbi electuarium fastidierit, fumet ʒ j. infrascripti pulueris in brodio pulli circa auroram:

℞. Seminum pæoniæ

Pulueris humani cranei ana ʒ iiij.

Garyophyllorum

Nucis muscatæ

Seminum citri ana ʒ j.

Misce, & fiat puluis, qui seruetur ad vsu. Duo autem cautèria in cruribus continuè teneat aperta, & pro his dilatandis loco pulueris vtatur vnguento hoc:

℞. Vnguenti Aegyptiaci ʒ j.

Lithargyrij ʒ s. Miscce.

Et cum huiusmodi ratione victus & remedijs cum diuino auxilio probabile est, suam Illustriss. Dominationem conualiturâ. Efficaciora remedia vti minimè necessaria omittentes, faxit Deus ne illis indigeat. Successum verò morbi rescire subinde desideramus. Caput poterit abluere ter & quater etiam in mense ante cœnâ, atq; eo die se contineat in ædibus, custodiendo se à vento & à frigore. Lixiuu quo se abluet, tale erit. Primo conficiat lixiuium dulce ex cinere salicum vel vitium, deinde accipiat huius lixiuij quantitatē pro vna ablutione necessariâ, & in ea decoquat maioranam, betonicam, asarum, & ʒ j. agarici optimi in panno lineo inuolutam, quam postea exprimet diligēter, & cum lixiuio caput abluet vt dictum est, adhibito sapone odorato.

Con-

Consult. IIII. De imbecillitate cerebri cum uertigine
& catarrho perpetuò, pro matrona & Comite à
Drichtristain Germana.



Illuſtriſſimam dominam primò eſſe imbecillis cerebri conſtat ex uertigine, quam tot annis perpetitur : ex perpetuo catarrhi defluxu : ex eo quod accidit, ubi ſe bis inuerterit, uideri ſibi omnia concidere. Hanc imbecillitatem tantummodo in cerebro ortum habere, an aliunde fieri, poſſet aliquis dubitare. Cùm tamen tandiu perſeuerauerint accidentia, quæ multis etiam remedijs hæctenus non potuerunt tolli, in ipſo cerebro læſionè eſſe probabile eſt. Non tamè fieri poteſt, quin & à uentriculo, & à toto corporis ambitu augeantur cerebri affectus. Nam quãuis propter capitis deſtillationem, tum ad uentriculum delabentem, tum per neruos & uertebraſ ad ſingulas partes corporis deriuatã, languor ille uniuerſalis, & uentriculi affectus generari poſſint, tamè fit inde circulus: nam ubi ſemel affectio in inferioribus partibus generata fuerit, cerebro quoq; cõmunicabitur. Iam ergo neq; cerebrum omnino ſine inferiorum conſenſu, neq; inferiora ſine cerebro affici puto, ſed ſibi inuicè vtraq; ſimul mutuis vicarijs laborare. hinc perſeuerantia ægritudinis, & curationis difficultas, omnibus ſcilicet membris affectis, & præcipuè principalibus, quæ ſibi æqualiter cõmunicant affectum. Si verò à me quærat, quænam imbecilitatis cauſa ſit, credo ad frigidam intemperiem eſſe referendam, ex perpetua deſtillatione & perſeuerantia, & longitudine morbi, ex tarditate & ſegnitate accidentium. Neq; dubium eſſe poteſt, hanc intemperiem frigidã copię materiæ congeneris, frigidè ſcili

cet & humidæ copulari. Non tamen hoc corpus pri-
 uari atræ bilis abundantia crediderim: nam calida
 hepatis temperatura, & habitus corporis, & ampli-
 tudo venarū, hæc faciliè possunt ostendere: quæ ubi-
 cunque adfuerint, si postea adiungatur curæ, & mo-
 lestiæ, & animi accidentia, & longæ ægri-
 tudines afflictae, & ætas iam decliuis, fieri non potest quin
 ibi melancholicus humor redundet, atque inde de-
 teriores diuturnioresq; fiant vertigines, inde etiam
 quandoq; tremor cordis. Ergo si curari voluerit Il-
 lustrissima D. à tam longa tamq; pertinaci ægri-
 tudine, quæ fundamentum habet & firmā sedem in mem-
 bris etiam principalibus essentialiter affectis, & sibi
 inuicem ad maleficium consentientibus, cum acces-
 sione quoq; pessimorum humorum, pituitę inquam
 destillantantis, & atræ bilis euaporantis. Si ergo curari
 voluerit Illustrissima D. indigebit proculdubio plu-
 rimo tempore, diuturna perseuerantia, & pertinaci
 patientia, obediendo fidelibus medicorum cōsilijs,
 neq; ab illis recedendo, donec integram sanitatem
 fuerit consecuta: alioqui si parum confidat, & despe-
 ret, & tardum euentum nunquam futurū putet, me-
 dicamentaq; opinetur nihil propterea cōferre, quia
 serò curant, profectò immedicabilem prorsus red-
 det ægri-
 tudinem, & dum sæpe ad varia medicorum
 consilia, & varias opiniones se cōferet, in nullo pro-
 ficiet. Quod ergo primum præcipimus illud est, vt
 proponat morbum habere longum & diuturnū, qui
 etiam longa indigeat curatione. Hoc ita supposito,
 primò deliberabit, & enixè studebit Illustrissima D.
 vt in ratione victus moderatissima sit: caueatq; in
 primis ab omni aëris excessu, cerebrum enim imbe-
 cille præcipue ad aëris omnes iniurias exponitur: &
 quamuis frigiditas in hoc casu maximè aduersa sit,

non tamen propterea calori tutò occurret: nam si-
cut frigiditas auget, deterioremque reddit intem-
periem, ita calor colliquat humores, calorem resol-
uit, & vires exhaurit. Studendum igitur est quam-
maximè, vt aërem eligat temperatum: ideo ab om-
ni flatuum genere, & à pluiijs, à niue cauebit, & æ-
statis tempore in feruente sole non ambulabit, ne-
que immorabitur. Germanica etiam vaporaria non
adeò placent: qui enim in vaporarijs degit, semper
in extremis versatur, vel nimo scilicet calore, vel ni-
mio frigore. Caput muniat operimentis, quibus ita
se ab aëris iniuria defendat, vt non tamen grauetur.
Hoc etiam loco laudo, vt semel saltem singulis septi-
manis caput abluat, scilicet horis vespertinis, post
solis occasum, vt possit post capitis lotionem tota
subinde nocte se intra cubiculum proprium cōmo-
dè continere, neque se aëri exponere: eritque lotio
huiusmodi. Sumatur lixiuium ex sarmentis vitium,
quantum sufficit ad vnicam capitis lotionem, atque
in eo decoquatur maiorana, lauri bacca, pulegium,
calamentum, ocimum cum seminibus, & agarici ele-
cti contusi, & ligati in petia 3 ij. addaturque vini
pars tertia ad lixiuij mensuram, & tunc omnia deco-
quantur ad consumptionē quartæ partis, postea fiat
expressio, & colatura, & cum hoc lixiuio lauetur ca-
put cum aliquo sapone odorato. Ex hac enim lotio-
ne mirum in modum caput corroborabitur, quæ si
conferre videbitur, laudo vt bis in septimana repe-
tatur. Præterea mirum in modum placet, si pomū ha-
beat odoratū, quod assiduè manibus teneat, & odo-
ret. Pomum erit talis descriptionis:

℞. Ladani electi, & pinguis ʒ j.

Styracis pinguis

Belzoini

ana 3 j.

B 4

Garyophyllorum
 Cinnamomi
 Nucis muscatæ
 Semen nigellæ ana ʒ ij.
 Olei de garyophyllis odorati ʒ j. s.
 Gummi tragacanthi
 Masticis ana ʒ ij.

Dissoluantur gummi in aceto rosaceo, postea omnibus simul cōpositis secundum artē fiat pomū, additis in fine, moschi, ambre ana gr. x. Seruetur hoc pomum, & odoretur, vt dictum est. Ad idem quoq; cōferet, si perpetuò in cubiculo, in quo dormit, & versabitur, fiat suffumigium infra scriptum.

℞. Ligni aloës
 Belzoini
 Styracis ana ʒ j.
 Sandalorum citrinorum ʒ iiij.
 Thuris masculi ʒ j.

Excipiantur omnia cum gummi tragacanthi dissoluti in aqua rosacea, & fiat trochisci parui pro suffumigio. Præterea operimēta capitis sint, quāmaximè fieri possit, candidissima, & caueat ne fordescant humore capitis; perpetuoque, præcipuè in hyeme, antequàm applicentur capiti, calefiant, & apud ignem exiccentur, deinde suffumigentur odoratis aromatibus, & sic capiti imponantur. Circa cibum & potum, primò si vino fuerit assueta, à vino non discedat, sed eligat limpidum, non multum potens, colore albo. Si verò sit assueta ceruisiæ, ad vinū non accedat, ceruisiam tamen eligat sine lupulis: lupuli enim summopere replent caput. Vnico etiam cibo contenta erit, & multitudinem epularum tanquam pestem euitabit, & mihi credat, nihil magis illi perniciosum fore, quàm eduliorū varietatem. hoc præcipuè

puè admoneo & obtestor, & repeto, tum quia ad curatione maximè suam refert, tum quia nouerim nobilium & prædiuitum hoc esse vitium peculiare, vt copia & diuersitate epularum maximè delectentur, fitq; illis honori & ambitioni relatum, quod in perniciem & mortem vertitur. Ergo cauèdum moneo, ac præmoneo, à ciborum diuersitate. Vnicus autem cibus fit facilis concoctionis, & optimi nutrimenti. Talis erit, primò panis purissimi tritici, optimè fermentatus, carnes hœdinæ, castratorum iuuenum, vitulorum lactentium, pullorum, perdicum, phasianorum, auicularum paruuarum montanarum: à reliquis carnibus abstinendù consulo. Oua sorbilia recentia congrua sunt: quandoq; rarius tamen, pisces saxatiles, ita tamen, vt si pisces comederit, nullum præterea cibum admittat. Abstinebit à fructibus, ab omni acetariorum genere, præcipuè ex crudis herbis, à lacticijs, à pastilibus, & ab his quæ in sartagine fringuntur. Cauebit etiam satietatem: bis tantum in die comedat, neq; omnino bibat inter cœnam & prandium. Euitabit animi accidentia quàm maximè poterit. Exercebit corpus horis matutinis, vel ambulando, vel equitando, vel intra domum aliquo familiari exercitio incumbendo. Non dormiat vltra horas octo, maneq; circa exortum solis exurgat, neq; comedet nisi post horas quinq; cauebitq; omnino à meridiano somno. Studebit quotidie excremeta alui redere, quæ si fortè defuerint, optimè sibi afferetur ab vsu aloës, cuius scrupulum sumat hora ante cœnam, quotiescunq; dictabit necessitas. Hæc sufficiant ad victus rationem, in qua potissimum studium ab Illustriissima sua D. ponendù est, & in hoc potissimè curatio huius morbi consistit. Quantù verò ad medicamenta attinet, laudo vt bis in anno totum cor-

pus expurgetur, vere scilicet & autumno, poteritq;
purgatio esse huiusmodi:

℞. Specierum hieræ simplicis ʒ ij.

Floris cassiæ ʒ j.

Cum saccharo fiat bolus, sumendus hora vna ante
prandium. Sequenti die syrupum huiusmodi sumat:

℞. Syrupi de stœchade

De betonica ana ʒ j.

Decoctionis corticū citri, addita portione ga-
ryophyllorum in aqua endiuæ, ʒ iij.

Misce pro vno, sic pro alijs vsq; ad septimū. Deinde

℞. Confectionis hamech ʒ. iij.

Syrupi rosati solutiui ʒ iij.

Misce, & fiat potio cum aqua betonicæ sumenda in
aurora cum custodia. Item

℞. Sacchari rosati ʒ ij.

Sumat semunciam ante prandiū & cœnam per duos
dies post assumptum pharmacū, quod quidem tam
autumno, quàm vere repeti poterit. Laudo tamē vt
vere mittatur sanguis à vena basilica lateris dextri,
vel à saphena pedis dextri, si fortè menstrua defue-
rint, tempusque mittendi erit post duos syropos as-
sumptos. Item laudo vt frequēter, necessariò etiam,
quotidie mastichen mandat, expuatque saliuā. quòd
si quoque eandem mastichen deglutiuerit, non erit
importunum. Quandoq; etiam mastiches loco man-
dere poterit, vt frustulum nucis muscatæ, vel tantun-
dem radicis zedoariæ, vel folia dictamni Creten-
sis non exoluti, si haberi poterit. Præterea hora decubi-
tus, si in aurem vtranq; iniecerit oleum odoratū ex
garyophyllis, vel oleum nucis muscatæ quod ex Lu-
sitania defertur, si haberi poterit, non fuerit inutile.
His omnibus peractis, si non succedat euētus, quem
admodū cupimus, laudo vt cauteria fiant in vtroq;
crure

erure in vtraque parte extrinseca, per quatuor digitos infra iuncturâ, & dimittantur aperta saltem per annum integrum, & diutius quoque, si apparuerit. Quòd si etia tales aquas habere posset, & stillicidiũ ab eis sumere, quales sunt nostræ Apponenses, crederem mirificè esse profuturas, si modò & suo tempore, & post debitas purgationes citò exhibeantur

Consult. V. De catarrho, & fluore sanguinis cum macie corporis, & dolore pectoris, pro Illustrissima matre Illustrissimi Ducis Florentiæ.



Rimùm audiuius, quòd ista Illustrissima mulier habet sua membra nobiliora valde inæqualia, quod est maximè attendendum. Habet enim ventriculũ frigidum & humidum, cùm deberet esse calidus & humidus pro concoctione fienda: hepar est frigidũ & humidum, cùm deberet esse calidum, est tamen excessus frigiditatis: habet præterea cerebrũ calidũ & humidum, cor verò calidum & siccum. Stantibus ergo istis horum membrorũ inæqualitatibus, nobilissima hæc mulier vexatur multis dispositionibus præter naturam, quæ sunt septem. Prima enim est catarrhi destillatio à capite descendens ad inferiora, qui in substantia modò tenuis est, modò crassus: in sapore verò perpetuò est insipidus. Secundò patitur flatus & rugitus in ipsis intestinis. Tertiò dicunt hanc pati fluxorũ hæmorrhoidarũ admodũ excedentẽ, qui in principio cõfertim cõsuevit fluere in maxima copia, ita quòd quãdoq; effluxerint 25. libræ, quandoq; verò decẽ, quandoq; duodecim. Et aiunt hunc fluxum ferè semper præcessisse menstrua. Nunc verò non ita confertim & assatim fluit iste sanguis, sed pau-

latim & continuè : & sicut tunc menstrua talem fluxum præcedebant, ita etiam nunc præcedunt & subsequuntur: non tamen tempore menstruorum patitur huiusmodi fluxū. Quartò patitur diminutionem menstruorum, ita vt nunc duæ aut tres vnciæ sanguinis effluant. Quintò, ipsa est arefacta & extenuata, & cachexiam habuit, & circa oculos, & fauces, & circa tibias tumores quosdam. Sextò habuit vrinæ continuè albas, tenues, & crudas, & in magna etiam quantitate, licet nunc nõ sint tam copiosæ. Septimò aiunt habere dolorē pectoris, modò in dextro latere, modò in sinistro, modò in medio, quod *σπυρον* appellat, qui talis est nature: in principio incipit calor, & morbus fluxionis sanguinis futuræ, & paulatim paulatim descendit quousq; ad pectinem deueniat, & cum ibi est, tunc erumpunt mēstrua, & cessat talis dolor. Ista sunt accidentia præter naturam afficientia nobilissimam hanc mulierem, quæ scripta sunt ab Excellentissimis illis medicis, quæ consideranda sunt à nobis: quoniam, vt inquit Galenus, neq; affectus præter naturam, neq; symptomata, neq; ægrotudines possunt curari non cognita causa, & essentia ipsius: quoniam ab essentia, & à proprijs causis sumuntur veræ indicationes curandi. Et ideo seriatim procedendo, primò dicam causam illius destillationis catarrhi, à quo multa incommoda dependent: nulla enim natura inuenitur magis prona ad catarrhos generandos, quàm ea, quam diximus istam nobilissimam mulierem habere, quia cum ventriculus sit frigidus & humidus, sequitur quòd fiat mala decoctio, & per consequens multi adsunt humores crudi, à quibus multi vapores ad caput eleuatur. Cerebrum autem cum sit calidum & humidum, ideo idoneum est, vt habetur lib. I. artis medicinalis, ad suscipiendas tales superfluitates,

fluitates, & non parū vapores, qui à plurimo sanguine & tenui, in hepate calido & humido generato eleuantur. Vnde non tantū à ventriculo, sed etiam à tota massa sanguinea plurimi vapores ascendunt ad caput, qui cū eius cerebrum sit calidum & humidum, facile ab ipso suscipiūtur, & maximè si accedat aliqua ex extrinsecis causis, vt si fiat peccatum circa cibum & potum, circa animi accidētia, circa aërem, in quibus omnibus puto hanc nobilissimam mulierem peccasse: habitat enim Florentiæ, vbi est aër subtilissimus, qui est causa fluxionum. Præterea non est mirum si quando talis catarrhus fuit crassus, quandoq; verò tenuis, quoniam talis fuit secundum varios & varios cibos, & varias concoctiones. Quòd autem sit perpetuò insipidus, hæc potest esse causa, quoniã hepar, ventriculus, & cerebrum, omnia ista ad hoc conspirant. Et sic videtur mihi quòd istæ sint causæ istius catarrhi, & qualitatis substantiæ, & saporis. De secundo modò dicendum est, scilicet de flatu, & rugitu, & dolore intestinorum. Si enim ventriculus ipsius natura est frigidus & humidus, & sæpæ sūt destillationes à capite, & fiat ille circulus debili existente calore, ratione obiecti fiunt vapores: quia cū materia est frigida, & calor innatus est debilis, statim ex eo eleuantur vapores, & flatus, ex quibus sequitur dolor. De tertio accidente dicendū est, scilicet de fluxu hæmorrhoidarum, vnde proueniat. Certè ad inueniendum causam huius fluxus, vtar distinctione Galeni v. de causis accidentiū. Vel enim talis fluxus sit ratione vasorum & meatuū, qui magis dilatatur: vel quia dilatantur officia vasorum propter rarefactionem (prætermitto modò dilataciones vasorum quæ sint ex contusione, atque etiam prætermitto fluxus qui ex erosione sint, quia nō fa-

ciunt ad rem nostrá) vel fit talis fluxus vitio sanguinis, vel quia plurimus fit sanguis, vel quia nimis tenuis, vel quia fit acris, ita vt excitet virtutem expulsiuam: vel nimis feruens, ita vt faciat intumescere venas: vel fit ratione membrorum mandantium, quorum virtus sit potens in expellendo, vel ratione imbecillitatis virtutis recipientiũ: ex istis enim potest causari talis sanguinis fluxus. Sed dices, à qua causã putas prouenire istum fluxũ sanguinis? Dico, quòd fortè ab omnibus. Primò enim quòd concurrat dilatio venarũ & orificiorũ, potest coniectura assequi ex duobus signis: nam dicit fluxũ sanguinis incepisse dum igni dorsum exposuit, ex quo non tantũ vena caua propter caliditatẽ potest fuisse aperta, sed etiam aliã, quia calidi est aperire, ita quòd causã procatartica fuerit caliditas. Alia cõiectura potest consequi à iuuantibus, & nocentibus, quia bis cùm aquam balnei Villæ & Aquarij sumpserit, illicò cessauit fluxus: aqua enim Aquarij est aluminosa, & astringens. Præterea ex sola lymphatione aquæ balnearũ Villæ, quæ aucta est ex impositione ferri, vnde aucta est vis astringendi, fuit liberata. Præterea existimo illud accidens non solũ contigisse ex vasorum apertione, sed etiam propter sanguinis multitudinẽ, quoniam emanarunt interdum x x v. libræ sanguinis, interdum decem, interdum duodecim. Et præterea talis effluxus hæmorrhoidarum euenit, postquã dimisit phlebotomiam frequentem. Quia igitur impeditæ fuerint consuetæ excretiones, & vt scitis ex II. de ratione victus in morbis acutis, consuetudo interdum vertitur in naturam: quia igitur dimissa fuit phlebotomia cõsueta, natura tentauit aliam excretionẽ. Et sic patet quomodo multitudo sanguinis fuerit causa huius defluxus. Etiam a credo, & tenuitas sanguinis

CONSULT. MEDICIN. 3

nis fuit in causa, quia sanguis qui exit tenuis est, & prius à prædominio cholerae, nunc verò aquosus. An verò nunc etiam sit cholericus, nec ne? Dico quòd nò potest esse cholericus, quia fuit feruor in sanguine: quia tunc dum bis assumpsit stillicidium Sancti Philippi, quod calidum est, vt illum catarrhum sisteret, semper post assumptione irrigationis in fluxum sanguinis deuenit, ita quòd calefacto corpore data fuit occasio prodeundi sanguinis. Et sic ratione latitudinis venarum, & apertione orificiorum, & ratione virtutis expulsiuæ fortis, & ratione multitudinis sanguinis, & acredinis, & tenuitatis ipsius, factus est iste fluxus. Et licet ille medicus, qui scribit ad nos casum, dicat quòd corpus sit arefactum, addit tamen, virtutem non resolui: & ad hoc etiam concurrat imbecillitas contentiuæ. Et quia dubitatum est, an iste sanguis fluat à partibus superioribus, scilicet ab hepate, & ad inferiora descendat: nam dicunt, est maxima copia, & videntur potius declinare in hanc sententiam, quàm quòd sit fluxus hæmorrhoidarum. Sed non incouenit quin etiam ex hæmorrhoidibus possit provenire: imò credo quòd ex ipsis veniat, si posset videri, quia iam multitudo sanguinis facta fuerat. Et nos vidimus non tantum 25. libras fluxisse ex hæmorrhoidibus, sed etiam 36. & 40. in paucissimis diebus, & ex naribus in vno die 10. & 20. & 25. libras vidimus effluxisse, in quo tamen sunt debiliores venæ. Ideo dico quòd nò concludit, hic est fluxus sanguinis copiosus à sede, ergo nò ex hæmorrhoidibus. non tamè ego assero quòd ex hæmorrhoidibus contingat, quia nullam habeo coniecturam super hæc: sed tamen bonum esset si haberemus præsentem, & possemus videre, quia si ab hæmorrhoidibus flueret, facillè videret. Sed si esset ab hepate talis fluxus

per concauitatem intestinorū, eſſet commiſtus cum
 fœcibus quandoque, quod tamen non eſt dictum ab
 Excellentifs. illo Doctore. Siue ergo ab hepate, ſi-
 ue ab hæmorrhoidibus, ſatis eſt quòd ſit ex apertio-
 ne venarum, & ex multitudine ſanguinis, & ab acri-
 tate, tenuitate, & eius feruore. Tertium ſympto-
 ma eſt, quia habet menſtra nunc diminuta, quia non
 excedit duas vel tres vncias ſanguinis. Dico quòd
 hoc eſt duab. de cauſis: vel ratione ætatis, quia agit,
 vt audio, 42. annum, & fortasſe amplius, & plerunq;
 in tali ætate deficiunt menſtrua ex toto, vel ſaltè di-
 minuuntur. præterea habet auerſionem, ſcilicet flu-
 xum hæmorrhoidarum, ideo nõ angor in hoc. Præ-
 terea adeſt vrina alba, tenuis, & cruda: de hoc nõ ha-
 benda eſt cura, quia frigefit corpus, ex rarefactione
 habitus, & ex frigidityte coctiones fiunt deteriores,
 & ideo vrina apparet crudior: præterea color qui de-
 beret eſſe in vrina, fortasſe auertitur per defluxum
 ſanguinis. Præterea dicūt quòd adeſt arefactio cor-
 poris & imbecillitas, & tumor in facie, oculis, & ti-
 bijs: hoc habet cūm ſit frigidius corpus, & rarefa-
 ctio, quia factis deterioribus concoctionibus, facta
 eſt atrophia, & ſic non poteſt fieri aſſimilatio, & ſic
 conſequitur diſpoſitio ad cachexiã, & ad hydropè,
 vt I. I. de facult. natur. & ſic ad anafarcam. Præterea
 ait dolere ei pectus modò in parte dextra, modò in
 ſiniſtra, modò in medio, & poſtea cūm ſequit fluxus,
 ceſſat dolor. Talis poteſt eſſe cauſa, quia pars ſubti-
 lior & tenuior catarrhi prouenit ad aliquas venas,
 quæ ſiue trahatur à venis, ſiue ab arterijs, ideo venæ
 diſtenduntur, & ſic cauſatur dolor, quia natura illuc
 tranſmittit talia excrementa, & non ceſſat motus na-
 turæ, donec tranſmiferit ad loca cõſueta, ſcilicet ad
 vterum. Cūm igitur talia ſint ſymptomata, talesq;
 habeant

habeant causas, ex tali notione causarū possunt præ-
 uideri quid circa singula sit iudicandum, & qua arte
 sit singulis occurrendum. Quoniam ergo plurimus
 sanguis euacuatus est, ideo videndum quòd corpus
 sit infrigidatum, & rarefactū: ex quo sequitur, quòd
 etiam hepar sit infrigidatū, & ideo posset sequi hy-
 drops, sicut patet ex v. Aphorif. Vel etiam ex reten-
 tione sanguinis posset fieri scirrhus in splene, vel in
 hepate, & sic sequetur omnino hydrops, quod appa-
 ruit ex illis tumoribus. Sed dices, quare nunc nō ap-
 parent illi tumores? dico quòd ratio est, quia non ef-
 fluit sanguis in ea copia qua prius. Sed si talis sangui-
 nis fluxus non cessauerit, refrigerabitur hepar, & ea
 frigiditas qua nunc est, per absentiam caloris scili-
 cet sanguinis, fiet positua, licet nunc existimē quòd
 non sit positua, & sic omnino sequet̃ hydrops, quia
 hydrops est propria passio sequens ad ipsam hepa-
 tis frigiditatem. De destillatione autem dico, quòd
 ea non potest penitus sisti: bene potest emendari, si
 voluerit vti recto victus regimine: & sic alia sex sym-
 ptomata poterūt emendari, si ipsa voluerit vti recto
 regimine: quòd autem curetur, non credo. Et si pos-
 sit omnino sisti talis fluxus, ego non laudarem, quo-
 niam Hippocr. & Galenus vi. Aphorif. x. i. dicunt,
 quòd semper cū fluunt, debet vna aperta relinqui,
 quia aliter fieret collectio multarum rerum præter
 naturam, & sic deueniret vel in scirrhum hepatis, vel
 splenis, & tandem in hydropem caderet. Pro cura
 verò omnium istorum symptomatum tradam distin-
 ctas curas omnium. Et pro destillatione à capite ad
 inferiora, primò corroborabimus membra, ex qui-
 bus eleuantur vapores, vt hepar, & stomachum: dico
 stomachum, ne ita esset aptus ad recipiendum. Sup-
 pono tamē vniuersales euacuationes fieri cum con-

suetis, & cū facillimis. Si enim vellet hac æstate purgari, aliud esset, quàm si autumno: quoniã si hac æstate, sumeret leues syrupos, qui plures haberent intentiones, & respicerent omnes affectus: & ideo eligerem syrupū de endiuia, quia habenda est ratio ne hepar nimis incalescat, & ventriculum corroborare oportet, vt possit melius concoquere. Et hoc non facerem cum vehementer calidis, sed cum moderatè calidis, & ad roborationem corporis, & inferiorum, darem syrupum de betonica, quia non habet caliditatem de qua sit timendum, & habet proprietatē respiciendi caput, mel rosatū, ieleniabin zuccarinum, & acciperem singulorum ℥. vi. ita vt essent drach. xviii. in singulo syrupo, & cum decoctis siue ex cichorea, siue ex coma absinthij, ex betonica, ex violis. Post aliquot syrupos darem vel mannā, vel cassiam cum infusione rhabarbari, vel cum syrupo rosato solutiuo. Sed nunc nō cōsistamus in agarico stante illa caliditate. Si verò autūno vellet purgari, pro digestionē materia exhiberē oxymel compositum: pro euacuatione darem agaricū, & eius infusionem, & darem confectionem hamech, quoniam euacuat materias crassas, & euacuat à capite propter myrobalanos, & habet vim astringendi, & corroborandi. Postea procederem ad corroborationem membrorum per exterius & interius, & vellē quòd recta viētus ratione vteretur. Pro corroboratione ventriculi & capitis, vellem quòd continuè vteretur zucchero rosato, & bolo Armeno, antequàm ingrederetur lectum, quia Galenus multos asthmaticos solo bolo Armeno sanauit: præterea corroborat inferiora, & exiccat catarrhum, & confortat, & corroborat omnia membra principalia: ideo dicunt isti quòd resistit venenis. Et sic ista bolo Armeno vteretur singulis

lis diebus, vel saltem alternis in vesperi, cum vadit dormitum. Et vteretur lotionibus capitis cōuenientibus cum lixiuo dulci, cum rosis, balaustris exiccantibus & infrigidantibus: quia caput calidū est & humidū, ideo cum contrarijs debemus occurrere, cum myrtis, cum corticibus granatorum, & etiam cum agarico decocto in lixiuo: & sapo confectus esset ex agarico, iride, & sapone communi. De reliquis vero accidētibus, & de flatu, credo quod curata destillatione, & roboratis membris, omnia cessabunt: tamen pro flatu vterer zuccharo rosato cum cinnamomo, cum garyophyllis, macis, & reliquis huiusmodi: & ista corroborant etiam ventriculum. De fluxu quaerere moderationē tantum, & maximē si non ab hæmorrhoidibus: & omnia quæ diximus conferunt etiam ad corroborandas virtutes. Vellem vt vteretur myrobalanis chebulis, indis, & citrinis, & præcipuè chebulis. Præterea in sex rebus non naturalibus nollem ipsam aliqua delinquere: & si posset eurare illum aërem tam subtilem, laudarem vt iret aliquò extra urbem: præterea fugeret animi perturbationes, & accidentia, quantū fuerit possibile, & vteretur moderato exercitio. Cibus autem neq; nimis

tenuis, neq; nimis crassus sit, sed medius: quoniam si esset aquosus ille sanguis effluens

& acris, darem cibos crassos. Vellem

præterea vt vteretur confectio-

ne facta ex pistacijs, & ex

feminibus melonum,

cum granis

pini,

licet fortasse melius esset

sine huiusmodi

granis.

Consult. VI. De iisdem affectibus, pro eadem.



Voniã inter malos corporis affectus huius Illustrissimæ Dominæ, quæ quadragenaria est, præcipuus esse videt ille sanguis eiectus à sede: vnde credimus etiã corpus exaruisse, & seipso imbecillius redditum iam pridẽ, quòd tum crura, tum facies intumuisse videantur, & à destillatione, vt patet, non parum foueri: & cum non sit nobis explicatũ, vtrum à venis, quas hæ morrhoidas vocant, an ab intestinis deferatur, determinare nolumus id quod cõiecturis tantũ assequi possumus. Et quãuis à venis hæmorrhoidalibus pleriq; nostrũ potius effundi arbitrabãtur, tutiorem tamen partem eligimus: itaq; remedia ita moderatũri sumus, vt vndecunq; fluxerit, communis vtilitas consequatur. Primò ergo ex malo corporis habitu necessarium est excrementa multa in ventriculo, & venis, & extra venas quoq; aggregari: postea natura stimulata ad expulsionem non desinit à cõtinua sanguinis excretionẽ, cum quo & laudabilis excernit. Propterea consulimus, vt is à medicis præsentibus proximè sistatur, & corpus exquisitè purgetur, ita tamen vt habeat ratio temporis & virtutis, nec ad valida medicamẽta accedatur. Igitur molliri prius ventrẽ volebamus, vel clysteri, vel electuario de sebestẽ sine scãmonio, vel lenitiuo simplici, vel tali quopiã, prout in varijs regionibus varij vsus seruari solent. Deinde syrupũ quoq; exhiberi, qualis est de cichorea Nicoli, vel rosaceus, vel de betonica, hoc modo:

℞. Syrupi de cichorea Nicoli	℥ j. s.
De betonica	℥ j.
Decoctionis betonicæ	
Cichoreæ	℥ iij.

Misce,

Misce, fiat syrupus sumendus nouem aut decem diebus. Deinde sumeretur medicamentū, quod haberet rhabbarbari optimi drach. duas, spicæ grana sex. madesiant in aqua agrimonix: addatur diacatholico nis drachma, syrupi rosacei solutiui vnc. duæ: misce, & fiat potio. Qua purgatione perfecta, si satis corpus purgatum fuerit, bene erit: sin minus, tunc iteretur. Purgato autem corpore, tunc volumus primò, vt singulis diebus ante prandium & cœnam vtatur saccharo rosaceo, ita præparato:

℞. Sacchari rosacei vnius anni	℥ iiij.
Garyophyllorum	ʒ s.
Cinnamomi	ʒ j.

Misce. Post cibum verò per horam sumat myrobalanos chebulos optimè præparatos, ex his scilicet, quæ ex Alexandria deferuntur, & Genuæ potissimum inueniuntur: & in hoc præsidio summè confidimus. Præterea consulimus, vt singulis septimanis dormitura assumat boli Armeni quantum est granum ciceris, ita quòd ter vel quater singulis mensibus sumat, & rhabbarbari optimi scrupulum in puluerem redactum, quæ admisceantur vel cum drachma sacchari rosacei, vel cum passulis & saccharo. Postea stomachus quidè illinatur assiduè istiusmodi vnguento:

℞. Olei de floribus aranciorum, quod habetur in officinis eorum qui conficiunt aromata,	℥ j.
Mannæ belzoini quæ ibidem reperitur	ʒ j. s.

Garyophyllorum	
Macis	ana ʒ. s.
Ladani optimi	ʒ ij.

Misce, & fiat linimentum pro stomacho: erit enim stomacho vtilissimum, & odoratum, & præcipuè dignum, si rectè conficiatur. Ad hepar verò aliud vnguentū non minus nobile parabitur ita confectum.

R̄. Olei de rolis paruis confecti, quod apud vnguentarios vulgò appellat oleum de rofettis, ʒ j. s.

Olei de spica, quod apud eosdem vnguentarios inuenitur ʒ j.

Masticis

Rhabarbari electi ana ʒ j.

Specierum triasandalorum ʒ j.

Misce, cum modico ceræ albæ fiat linimentū pro hepate. Præterea volumus vt lingulis septimanis caput abluat hoc modo. Cōficiatur lixiuū ex cinere falicis, aut vitis, in quo decoquantur rosæ, myrti, & la dani durioris frustulū, & agarici drach. duæ, quo lixiuio lauabit caput, & sapone infra scribēdo vtatur.

R̄. Saponis optimi ʒ iij.

Agarici ʒ ij.

Iridis

Garyophyllorum, ana ʒ ij.

Camphoræ ʒ j.

Misce, & fiat sapo secundum artem. Laudamus præterea vt masticen assiduè teneat in ore, mandar, expuat, coneturq; vt per nares pituita excernat, fiântque à medicis caput purgia, prout illis magis opportunū videbitur. His igitur ita diligenter peractis, non minor pars reliqua est, & maxima: sine hac enim frustra reliqua adhibebuntur. Est autem ratio viuendi, quam exquisitissimè seruare debet, si se ab extrinsecis periculis præseruari voluerit. Ergo primū eliget aërem temperatum, cauendo à nebuloso, & crasso, & à tenui, & frigido, qualis est Florentinus, præsertim accedente hyeme: & vitabit etiam ventos, Solis ardorem, & pluuias, & demum omnem aëris excessum. Et curabit vt quotidie naturalia excrementa excernantur, per aluum, per vrinam, per palatū, per nares. Iubebitq; sibi fieri matutinas frictio

nes in brachijs, & partibus superioribus, quæ sunt supra diaphragma, sintq; frictiones leues, & longæ. Deinde cum electo surrexerit, se exerceat deambulando, donec anhelitus immutet. Cibum eligat qui optimum sanguinem generet, & facile cõcoquatur, qualis est caro perdicum, pullorum, phasianorũ, hœdi, annalisq; caltrati: & si ob nimiam inanitione sanguinis debilem se senserit, quandoq; sumat ouorum recentium vitella, & cum vino albo aromatico aque permixto lente decoquatur ad lactis consistentiam, & hoc ferculo ante cibum vtatur: esset enim optimi nutrimenti, & valentissimum. vtatur præterea ouis forbilibus. Ab oleribus, leguminibus, & ijs cibarijs quæ vulgò lactinia, & pastilia dicuntur, à piscibus etiam, abstinendũ est. Post cibum etiam vtatur confectioe ex pistacijs, seminibus melonum, & saccharo. Viter ciborum diuersitatem, neq; ad mensam accedat, nisi præteritum cibum recte concoctum senserit. Vinum eligat pauciferum, maturum, substantia & colore moderatum, quod etiam parcè bibendum est: ac potissimè obseruabit, ne inter cœnam & prandium bibat: longè tamen deterius est, si post cœnam dormitura potauerit. Inter medicamenta vnicum superest præstantissimum, quod superius suo loco omisissum fuerat, quod ita habet:

℞. Succii foliorum myrti

Succii agrimonie ana ʒ iij.

Succii absinthij

Succii hypocistidos ana ʒ iij.

Hoc succo post purgationem inungantur renes, venter, stomachus, & vtraq; hypochondria, & quod est in partibus inferiorib. circa lumbos: est enim membris mandantibus efficacissimum, & vasis recipientibus corroboratiuum. Hæc si fuerint peracta, spera-

mus Illustrissimam Dominam à multis imminenti-
bus periculis præseruatam iri, Deo fauente.

*Consult. VII. De catarrho, dolore capitis cum uerti-
gine, dolore podagrico, & œdematico tumore cru-
ris, pro Duce Melphensi.*



Intellectis his omnibus quæ à clarissimo
Doctore diligentissimè explicata sunt
circa dispositiones præter naturam Illu-
strissimi & Excellentissimi Principis, &
proregis in Italia Regiæ maiestatis, videtur hæc esse
summa. Patitur primò destillatione catarrhi ad par-
tes subiectas, quæ interdù difficultatè anhelitus in-
ducit: assidua tussicula infestat, nonnunquã etiã po-
dagrico dolore afficitur, ac præterea œdemate, & tu-
more crurū laborat, dolore etiam capitis, & vertigi-
ne non parū vexatur. Quæ cum inter nos diligenter
perpensa considerataq; fuerint, coniecimus proba-
bilibus rationibus ducti, fonte primamq; originem
horū omnium symptomatū esse imbecillitatē mem-
brorum naturalium ex frigiditate contractā, quæ qui-
dem frigiditas excessit, tum longo ætatis prouectu,
tum etiam mala victus ratione in omnibus sex rebus
non naturalib. Hoc ita esse satis indicare potest tu-
mor ille pedū œdematicus, & sanguis aquosus, qui
ex fluxu hæmorrhoidis conspici solet. Ea igitur ita
existente intemperie frigida tum ventriculi, tum he-
patis, par est omnia cōsequi symptomata enumera-
ta, præcipuè cum his accedat quoq; vt audio, capi-
tis intemperies frigida: plurimi enim vapores crudi
tum à ventriculo, tum à toto corporis ambitu ad ce-
rebrū ascendunt: itaq; non mirū est, si inde destilla-
tio cōtinua generet, cum ea materia vaporū sit per-
petua. Sequitur etiam, vt raptu materiæ, & catarrhi
descen-

descendens secundum locorū diuersitatē varia fe-
 quantur symptomata, tussis inquam, anhelitus diffi-
 cultas, dolores articulares, capitis etiā grauitas, do-
 lor & vertigines. Quæ cum ita se habeant, habita æ-
 tatis ratione, iudicamus Illustrissimū Principē mul-
 ta præseruatione indigere, moresq; ideo illi permu-
 tandos esse, vt proculdubio longē facilius sit præ-
 seruare, quam curare. Quæ quidē præseruatio nullo
 modo à medico fieri potest, nisi Illustrissimus Prin-
 cept eodē prorsus studio teneatur. Primò igitur to-
 ta victus ratio immutanda est, ærisq; excessus om-
 nes summopere vitandi, frigidi tamen præcipuè, &
 humidi. Cauebit flatus omnes, tam Austri, quam e-
 riam Boreæ. Fugiat quantū fieri potest omnes animi
 molestias, atque à cœna & prandio vacabit animo &
 corpore, nihil vel intense scribendo, aut cogitando,
 aut dictando, vt Principes solent, sed molliter deam-
 bulabit. Neque dormiet interdum, nisi in tota ætate
 fuerit consuetus, vel plus æquo noctu vigilauerit. Si
 ergo dormiendum fuerit, somnus erit perquam bre-
 uis, & si fieri potest, non decumbat. Procurabit sin-
 gulis diebus, vt venter obediat, & si natura defuerit,
 suppleendum est. propterea quāmaximè probauerim
 frequentem vsus terebinthinæ Cypriæ: nam præ-
 terquàm quòd ventrē leniet, cōferet etiā catarrho,
 & pectori, neruos cerebrumq; corroborabit, urinā
 prouocabit, quod senibus præcipuè maximè est expe-
 tendū. Si etiā caricis, aut sicubus aridis ex pinguiori-
 bus frequēter vtetur, ferè ad eosdē vsus cōferet. Su-
 mere etiam interdum oxymel scilliticū, vel acetum
 eiusdem scillæ, si venter tolerabit, summopere pro-
 derit, non tantum ad molliendum aluum, sed etiam
 ad humores crassos viscidosq; incidendos, ad tuf-
 sim, & podagram. Consularem quoque, vt aliquo il-

lorum, vel omnibus interpolatim, & alternatim uteretur, etiam absque leniendi alui necessitate. Quantum verò ad cibum & potum attinet, primò illi omnis mensa Principum lauta & deliciosa omnino interdicienda est: vnico enim cibo & simplici contentum esse oportet, qui sit facilis cõcoctionis, & optimi nutrimenti. Neque in eligenda materia multum immorabor, cum vulgatissima sit, habeatq; assistentem medicum prudentissimum, & doctissimum. Potus sit vini minimè dulcis, sed maturi, clari, limpidi, & vnus saltem anni, non multum potentis, medijs coloris, quod etiam parcè bibat: abstinebitq; omnino à potu à prandio & cœna. Hac victus ratione sibi proposita utatur, quæ nullo modo varianda est, sed habitus in ea faciendus: habet enim in præseruatione ferè totum pondus. Laudo postea, ut nonnullis etiam medicamentis utatur, quæ possunt ventriculum & hepar corroborare, & ab illis intemperiem frigidam remouere. Laudo igitur ut utatur ante cibum diatriõn pipereon, quod in rotulis ex saccharo conficiatur, vel diacalamento eodem modo confecto. Nonnunquam etiam summopere cõferet vsus Mithridatici antiqui, quod ego theriacæ prætulerim Illustrissimo Principi. Vbi præterea compertum erit medico prudētissimo corpus idoneè euacuatū esse, neque redundare excrementis, laudarem tunc temporis frictions quoque omnium membrorum, & balnea aquæ dulcis, in quibus tamen decoquerentur rosæ, & chamæmelum, & aliquid etiã absinthij, ut simul & calor innatus aueretur, cõcoctiones distillationesq; fierent meliores, ac præterea tonus singulis membris adderetur. Quæ intentiones etiã augebuntur, si post frictions & balnea totum corpus unguatur ex oleo garyophyllorū odorato, vel ex resina,

sua, aut gūmi nucis muscatę, quod iam deferri ince-
 pit à Lusitanis: est enim præstantissimū remedium,
 quod multa experiētia cōprobauimus ad omnes ar-
 tus corroborādos, cōtra podagrā, & mōrbos articu-
 lares. Cōsulerē præterea, vt singulis annis Illustris.
 Princeps bis purgaretur, vere inquam, & autumnō:
 esset autē purgatio mitis, cōueniens ætati, & nobili-
 tati. Neq; ego transcenderē in purgatione vsū cas-
 się & rhabarbari, augendo & minuendo dosim, pro-
 ut purgatio bene succederet, & virtus toleraret: nul-
 la enim purgatio est tam exquisita, quę perfici non
 possit his benedictis medicamentis, si modò dosim
 pro viribus metiamur: nullus præterea humor est in
 humano corpore redundās, qui his duobus medica-
 mētis educi nō possit, siue ille sit crassus & viscidus,
 siue terreus adustus, siue subtilis & biliosus, vt quo-
 tidiana experiētia deprehēdimus, & vt testat quidē
 apud Græcos Actuarius, apud Arabes verò Mesue.
 Nō ergo hæc medicamenta excedēda putauerim.
 Quātū verò profuturę sint annuę huiusmodi purga-
 tiones repetitę in affectibus Illustris, principis testat
 Gal. tum in lib. Quos, quomodo, & quando &c. tum
 in methodo de missione sanguinis. Vt tamen me-
 lius præseruari possit Princeps Illustrisimus, non
 displiceret, vbi prius aliquāto tempore omnia, quę
 diximus, rectē peracta fuerint, accederet etiā ad vtri-
 usq; cruris cauteria: plurimū enim possūt in auerten-
 dis vaporibus, & humoribus, qui raptū habēt ad ca-
 put. Consulo etiam, vt familiarē habeat vsū, vt ma-
 nē mastichen mandat, vt inde caput purgetur, vel ga-
 ryophyllum, vel portiūculam nucis muscatę, vel fo-
 lia dictamni Cretensis, quę non sint arida. Ista enim
 plurimū poterunt ad expurgandum caput. neque
 ascenderē ad validiores apophlegmatissimos, sed his

tantum esse contentus. Quantum vero attinet ad errhina, quæ vulgò caputpurgia appellantur, dimittere huiusmodi auxilia in Principe Illustrissimo, tanquam quæ nimis excutiât, agitent, & commoueant. Hæc omnia si diligenter, & suo quoque tempore rectè peracta fuerint, spero Illustrissimum Principem præseruandum, tum ab his symptomatibus, quibus nunc afficitur, tum etiam à deterioribus, quæ in neglecta curatione contingere possent, ad laudem Dei omnipotentis.

Consult. VIII. De inflammatione capitis, cum dolore dorsi, & suppressione menstruorum, pro nobili matrona Veneta de gente Cornelia.



NON tantum videtur casus iste difficilis propter rationem dictam à clarissimo Doctore, quoniam prolongata fuerit ægrotudo, sunt etiã alię rationes quamplurimę, quare sit difficilis cognitu & curatu: quia si naturam ægrotudinis considero & symptomatũ, & in causas volo reducere, non est facilis prouincia. Ideo et si longiori tempore essent consideranda, nihilominus quantum potui colligere ex hac improuisa visitatione tam circa essentiam, quàm circa curationem, quod mihi videbitur, dicam. Primò notanda sunt symptomata quibus affligitur, & proximè afflictã fuit, quoniam non parum facient ad cognoscenda presentia. Conqueritur primò de inflammatione, & grauedine capitis perseverate sine dolore cum caliditate insigni, vt referat illa magnum nocumentũ in illa caliditate percipere, & ita dispositam esse, vt à quacunq; causa lædente incurrat in talem inflammationem cum pruritu oculorũ & ardore, cum asperitate cutis. Et dicit etiam impetiginem quandem pati. Dixit præterea

terea consueuisse excernere pituitam ex naribus, & nunc suppressam esse talem excretionē. Præterea cōqueritur de dolore dorsi maximè circa infimam partem spinę: refertq; circa renes non dolere, sed circa finem dorsi. Præterea dicit affligi aliquando doloribus ventris inferioris. Habet præterea menstrua suppressa maxima ex parte, atque ea licet sint in quantitate diminuta, sunt etiam qualitate corrupta, imò aquosa, pallida, permixta excrementis albis, quibus solet etiã sana existens affligi. Ista ferè videntur quæ potui percipere. Vnum etiã notandũ est, quòd semper à quocunq; medicamento, dum melius se haberet, ita affecta est, vt in febriculam incurreret, & in capitis inflammationem. Hęc sunt tot symptomata, vt non sit facilè causas assignare. De febricula illa quid dicam? cuius sit generis, & naturæ, non video quę possimus pronũciare. Dicam ergo vnum. Considero ego naturam & habitum huius corporis. Corpora enim maximam dant occasionē ad ægrotudines certas suscipiēdas, ita quòd corpus aliquod facilius labatur in vnã quàm in aliã ægrotudinē. Ideo ex operationibus animalibus, & ex habitu totius, video ita optimi ingenij & discursus esse, vt animales operationes ita vegetes sint, vt dicam spiritus tenuissimos hanc nobilissimam iuuenem habere, & calorem tenuissimũ: quia operationes tam vegetes non possunt aliunde prouenire, nisi quia tenuissimos spiritus, & tenuissimum sanguinem habet. Quòd autem talem sanguinē habeat, & calorem, accipiendo pro qualitate simplici, hinc patet, quòd adest caliditas moderata non adiũcta siccitati, nec humiditati obtudenti: sed moderata, ita quòd caliditas illa moderata nõ habet dominiũ nec in siccitate, nec in humiditate: quæ siccitas iuncta caliditati faciat mor-

dacem, & sanguis fieret crassus. Crediderim igitur quo ad temperaturam, & quo ad qualitates primas, quod habeat caliditatem moderatam sine dominio passiuarum. Quo ad habitum corporis credo, quod sit raræ texturæ, vt ex mollitie carnis apparet, quæ consequitur prima principia, quia molles carne apti sunt mente. Et hac de causâ pueri molles sunt, quia sunt raræ texturæ, tenuium spirituum, facile alterabilium, & sanguinis tenuis. Talia ab omni causâ extrinseca, & ab intrinseca læduntur. Præterea habet hoc corpus, vt apparet ex auditis, hepar excedens à temperatura aliorum membrorum etiam pro merito complexionis totius: ideo dicendum est calidum, & ideo facillimè inflammatur propter calorem non requisitum certæ temperaturæ. De ventriculo an sit temperaturæ frigida: cum abundet pituita multa, & à capite etiam, an quia ratione frigiditatis cerebri excrementa non possint dissolui per halitum, vel confici, vel ratione alimenti proprii, vel ratione vaporum ascendentium, difficile est iudicare. Tamen credo quod temperatura cerebri optima sit, quia operationes optimas, & sanas efficit. Et ideo cum operationes eius sint validissimæ, temperatura etiam validissima est: & propterea si laborauit coryza à naribus, fuit ratione membrorum inferiorum mandantium. Et quia pituita in ventriculo generata est, siue modò per otium, siue propter victum delicatum, & fructus, & propter cibaria diuersa, & ratione obiecti prauis, & intempestiue sumpti, ratione frigiditatis fuit, quæ non impedit appetitum, imò aliquid facit ad appetitum. Et cum hepar calidum sit, non impeditur coctio. Bene ergo merito suæ temperaturæ potest id contigisse, quæ ad frigidum declinet, & operationes non sint læsæ: præparauerit tamè ad ægritudines frigidas,

gidas, & ad præparandum pituitã apta sit, & ab extrinsecis omnibus læditur, hoc fortè non est ab re: quia nobilissima mulier hæc nõ est multæ carnis, & hepar calidum habet: & ferè semper cum caliditate hepatis est frigiditas ventriculi, quia omentum, cuius munus est detrudere calorem innatum ventriculi interius, propter caliditatẽ hepatis absimitur pinguedo, & ventriculus fit frigidus. præterea habet musculos abdominis graciles, quia, vt relatum est, percipitur motus arteriæ è directo spinæ: exiles ergo erunt muscoli ventris. sed vbi est gracilitas illa, ventriculi frigiditas est. Si ergo spiritus tenues habet cum raritate texturæ, cum caliditate hepatis, frigiditate ventriculi, videmus corpus præparatum ad ista nocumenta, quibus affligitur. Ex ijs soluitur prima dubitatio, cur facillè in febriculam incurrat, & inflammationẽ capitis ex pharmaco: hoc est, quia proprium est pharmaci attrahere à circumferetia ad centrum, in qua attractione agitatio fit: & cum humores agitantur, spiritus tenues facile eleuantur, & humores facillè putrescunt. Ideo post euacuationes perpetuò inflammatur. Et licet non fuerit inflammata ab illo pharmaco exhibito à Papiensi, hoc potuit esse, quia inuenit humores præparatos valde, & vias apertas: ideo facillimè quos mouit, eduxit, & nulla fuit facta agitatio. Sed vbi humorum attractio facta non fuerit, eorum omnium qui moti sunt & agitati, vt ex pharmaci debilitate, vel quia viæ non sint apertæ, & humores non sint præparati, violenta fit tunc attractio: ideo in talibus corporibus fit accensio talis. Patet etiã cur facillè inciderit in menstrua alba, & retentionẽ ipforum. Talia corpora quæ habent calidum hepar & frigidum ventriculum, obstructionibus maximè parata sunt, quia hepar validè attra-

hit humores frigidus & pituitosus, quos aggregat ventriculus frigidus. Facile autem pituita obstruit, & sanguis intercipitur, & natura sæpe pituitam liquidior expellit, & ita apparent albâ & diuersa, pro diuersitate temperaturæ, vt lædatur ab omni no cumento extrinseco, quia tenuium spirituû est. Ideo quando nubilus erat, sana degebat: postquàm autem coniuncta fuit viro iuueni ac forti, nõ amplius sana est: hoc accidit mulieribus istis imbecilibus facile alterabilibus ad quencunque terminum, & maximè cum vir fortis est, quia spiritus valde resolubiles, resoluti fuerunt per cõmercium viri. Ideo habuit corpus præparatum valde ad has ægri tudines. Et ita ex occasione huius temperaturæ omnia cõtinentur sym ptomata passâ, & quæ patitur habent easdem causas. Inflammationem capitis habet sine dolore, quia raritatem texturæ habet, & vapores tenues: ideo mala temperatura non potest fieri, quia euaporât: & quia non extendunt, non fit solutio cõtinue, ideo nec dolor, quia ab his duabus causis fit dolor. Grauitatem percipit, quia humores aliqui frigidiores permanēt, quia non exhalant omnes. Percipit mordacitatē & pruritū oculorum, propter exhalationē multorum vaporum tenuium. De dolore dorsi causa facilis est: quia sanguis pituitosus, cum descendit ad renes per venas delatas aut concauâ ad matricē, in delatione illa cum transit per angusta loca, ventosatur: ventosatur autem per admixtionem pituitæ, & facit dolorem in fine dorsi. Etiam circa vterū causatur dolor, quia cum ventosatur materia illa circa membrū sensibile admodum, facit dolorem in ventre inferiori. Sed remanet difficultas vna, quam consultò hæcenus omisi: habet enim febriculam, vt patet ex pulsu, qui nec secundum magnitudinē, nec frequentiam,

aut

aut secundum pondus seruat propriam naturam. Ideo
 posset queri, quomodo febris hæc perseverans à cho-
 lera vitellina putrescente, ut suppositum fuit, tandiu
 perseveravit, ut iam mensis sit cum dimidio, & secu-
 ra non sint plura accidentia: quia cum febris sit perse-
 verans in corpore, multa sequuntur accidentia. Et Auic.
 in cap. de febre phlegmatica dicebat, quod cum phle-
 gmatica febris pertransit xiiii. diem, membra natu-
 ralia debilitantur: ideo exhibet ipse transacta xiiii.
 die trochiscos, quia virtus concoctrix & appetitrix
 debilitatur, fiunt obstructions, & hypochondriorum
 intumescunt sæpe pedes. Ista autem Ma-
 gnifica Domina appetit, concoquit, bene dormit, &
 tamen continue febrit: & supposuimus omnino ex hu-
 moribus putrescentibus intra venas provenire. Pre-
 terea si tangatur pulsus, videbitis velocitatem & fre-
 quentiam maiorem esse, quam inæqualitatem: præ-
 terea non video pulsus remotum à tensione, & à duri-
 tie. Quantum verò attinet ad illam perceptionem ca-
 liditatis, ubi manu diutius impresseritis, quoniam ego
 non tetigi eam, nescio quid dicam circa illud. Illud
 tamè verendum est, quod post cibum inflammetur,
 cum sit signum proximum & pathognomicum, ut
 Galenus & Auic. dicunt, febris hectica, quia omnes
 spiritus incalescunt. Est ergo mirum cur incalescat
 post cibum, & ibi non sit febris habitualis. Dice-
 ret aliquis, etiam ante cibum incalescit. Non est mi-
 rum, quia potest esse febris interpolata, habens pe-
 riodos, quamvis fixam habeat febrem. Si diceretis,
 non est marasmata: si autem haberet fixam febrem,
 magis extenuata esset. Dico quod non est ita malus
 diabolus: imò facilius curatur ista prima species,
 quam illa quæ ex putredine humoris cholericæ à cho-
 lera vitellina fit: nulla est ita difficilis. imò Galenus

libro v i i. meth. med. & saepe vbicunq; curat hec-
 ticam post febres ephemeram, ita facillimè curat eam,
 dum est in primo gradu, non dico cum pertransiit
 ad marasimum. Ideo suspicor quòd sit febris hæc ha-
 bitudinalis: & nõ sum ita tutus, quin sit aliqua febris
 in habitu: itaque non solùm indiget corpus hoc eua-
 cuatione, cum sit in hoc corpore inæqualitas mem-
 brorum, & maximè ex suppressione mensruorũ. Et
 credo quòd à principio putredinalem febrẽ habue-
 rit, & cum medicinis fuerit leuata: sed remansit fe-
 bris aliqua in habitu, facileq; potuit inflammari tale
 corpus, cum sit spirituum tenuiũ, texturæ raræ. Imò
 vult ibi Galenus, quòd vbi perseuerauerit epheme-
 ra per tres dies, & nõ pereat typus, dicas ipsam trãsi-
 uisse ad heclicã: ideo leuiori coniectura vtitur Ga-
 lenus quàm nos vtamur. Ideo non solùm euacuatio-
 ne, sed alteratione etiã indigebitis. Et propterea di-
 co quòd in habitu totius corporis est febricula hæc
 fixa, non tamen mala, quin possit curari, & facilius,
 quàm si esset putredinalis. Et credo quòd habuit pu-
 tredinalem febrem, quæ sublata fuit ex euacuati-
 onibus, permansit tamẽ feruor aliquis. Talem ergo cre-
 diderim esse naturam febris, & complexionis. Ex his
 patet consequenter, quid futurũ sperem, si verum est,
 corpus hoc ita facillè alterari ad quencũq; terminũ,
 licet ponam secundum habitũ caliditatem esse, cum
 illa sit in primis humiditatibus, & leuis, facillè remo-
 uibilis est. Neq; absolutè intelligendum est dictum
 Auic. quòd difficillimè cognoscatur cum sola est. Be-
 ne difficilis cognitionis est, cum alteri febrì putredi-
 nali coniuncta est, & tunc difficillimè cognoscitur,
 facillimè tamẽ curatur: imò credo quòd facilius cu-
 retur quàm tertiana. Credo etiã, cum adsint obstru-
 ctiones in corpore, & inde humores facillè putresci-
 biles

biles putrescunt, & fit typus. Minera autem putredinis ubi fit, quia dicit Galenus I. de diff. feb. febres quae habent periodos, non habent ita humores paratos, ut natura faciat putrescere hodie unam partem, cras aliam: sed membrum superfluitates aggregat, ad membrum debile expellit eas, & illa dicitur minera. Et exemplificat de inflammatione oculorum, & inquit, quod oculus affligitur periodicè, cum aggregatur in capite materia, & ad oculos transmittitur. Unde etiam contingit quod in febre hepar, vel aliud aliquod membrum aggregat superfluitates, & secundum periodos expellit eas, & ita fit periodus. Ita etiam credo quod in utero aggregat superfluitas, & partim per foramen expellitur: & superfluitates etiam in superioribus partibus sunt, vel etiam in venis supra hepar, & ab intra ad extra expelluntur, & putrescunt in venis etiam, & ideo periodicat: & quia humores illi expurgantur, cessat periodus. Istud est quantum ad egritudinem attinet, & quo ad hoc credo quod facile curabitur, nec debemus deterreri, licet dixerim hecticam febriculam esse. Cum quibus autem ingenijs & instrumentis? Cum hic sint obstructions, & suppressio menstruorum, ijs providendum est: postea si factis fuerit istis aliqua supercalefactio in corpore, alterabitur. Primum ergo aperienda sunt obstructions uteri, & omnes tandem: secundum alterandum est membrum. Aperiuntur autem obstructions euacuando humores qui obstruunt, incidendo, subtiliando, & abstergendo: utrunque enim necessarium est. De phlebotomia non dixerim aliter fiendam esse, quia maturè facta est, & tunc fieri debet cum principium est egritudinis. Quid autem nunc facere debeamus, consulendum est. Ego quidem sum concors cum suis Medicis, quod materia concoqui debeat cum aperiensibus & incidentibus ac abstergentibus, &

euacuari taliter vt simus memores huius temperaturæ & texturæ, vt nunquam rhabarbarum tranſeamus. Agaricum autem fugeres tu? minimè, quia dixit Meſue, familiariffimum eſſe naturæ: & Dioſcorides dixit, quòd corroborat ventriculum & cor: & dat eandem doſim de agarico, ſicut de rhapontico: ita rhabarbarum appellatur ab ipſo. Eſt autè infamis quadàtenus propter ſuam leuitatè, quia ſupernatat. poſſumus autem corrigere ipſum, addendo aliquid quod aggrauet, ſicut ſalgèma: & duo corrigit: vnū, quòd eſt tardæ ſolutionis: ſecundò facit ipſum grauitatem habere, vt deſcendat còmodius ad fundum ventriculi. Melius autem corrigitur quàm cum ſale, ſi rhabarbarum, & aloën, quæ grauitatem habèt, miſceamus: ſocietas hæc fidelior eſt, quàm fuerit triuuiratus Lepidi, Marci Antonij, & Octauiani. Ideo placet mihi còpoſitio ex aloë, agarico, & rhabarbaro: & crederem quòd aperirèt obſtructiones, & corroborarent membra. Sed diceret aliquis, in rhabarbaro a deſt ſtipticitas, & in aloë, quomodo igitur aperientur obſtructiones? Credo vos vidiffè Galenū in I I I. & v. de ſimp. med. vbi ait, cùm volumus bene aperire, cum re aperiète debet aliquid eſſe quod adſtringat. Ideo abſinthium optimè aperit, & ſtipticitas eius adiuuat ad penetrandum, & eſt tanquam manus aliqua impellens. Et exemplificat de oleo roſaceo, quòd magis humectat corium, quàm oleum ſimplex, quia ſtipticitas olei roſacei adiuuat penetratio nem, quod non faceret oleum ſimplex. & ita non debemus deterreri ſubſtantia rhabarbari. Iuuabit igitur, quia tranſit per venas, quæ non ſunt ſtriectæ, ſed amplæ. bene exterius non abſtergeret abſinthium, quia poros cutis, qui ſunt ſtriecti, non tranſiret: hoc autem facit farina fabarū, nitrum, ſuccus limonū: in-
 terius

terius autē non timerē exhibere hæc tria. Syrupum etiā laudo de cichorea cum rhabarbaro sine alia additione rhabarbari, quia in singula vncia syrugi ingreditur scrupulus vnus rhabarbari. Ideo satisfaciet ista portio, quæ ingreditur ipsius compositionē. Syrupus etiā acetosus compositus optimus est, & si timeremus nimiā eius incisionem, quoniā humores facile incisibiles sunt, essem cōtentus acetoso simplici, melle rosaceo, syrupo de betonica cum aquis distillatis, vel cum decoctionibus, quia ex eo simplici parua aqua elici potest: vel cum aqua cuscutæ, endiuia, boraginis, vt fieret præparatio, & incisio. nec statim euacuarem, sed paulatinè digererē, & paulatinè euacuarē, & facta vna iterū redirē ad aliam. Postea si euacuatīs humoribus remaneat caliditas in membris, quia timeo quòd sit impressa caliditas, quoniā alterabilis admodū est, tum procederē nō cum exterius refrigerantibus, sed cum interius, cum zuccharo rosato simplici & nouo: deinde linirē corpus totū cum oleo rosaceo, factis prius frictionibus: leuiter enim refrigeraret, & penetraret, & si esset exiccatū humectaret. Sed ante omnia prouiderē, vt habeāt exitum menstrua, & à leuioribus inchoarē, & circa vterū inciperē, factis prius euacuationibus cum decocto camomillæ, liliorum alborū, cum modico anethi, propter penetrationem maiorem, & pessarium facerem ex oleo maioranæ, vel alio odoramento in coto. vel bombyce, cū menstrua instāt. Factis euacuationibus procederem cum frictionibus circa coxas, & applicatione ventosarum intra coxas, siccas applicando. Vtrum modò balnea conueniant, cū fuerint omnia facta? Credo quòd non erunt necessaria, ideo Excellentissimus Doctor proposuit sub dubio: quia timerē supercalesfactionē. Et hac via procederemus.

Consult. IX. De epilepsia per consensum,
pro puero Germano.



V M actio medici circa epilepsiam fit ge-
 nere triplex: vel enim excitamus homi-
 nem quando actu cadit in epilepsiam, &
 hæc propriè cura symptomatis, nõ mor-
 bi appellatur: vel præseruatur, ne cadat, aut saltè ra-
 rius, vel leuius: tertia est causarum remotio, id est, e-
 gritudinis, à qua immediatè epilepticus casus con-
 tingit. Nos tertiam sequemur, arbitantes hanc esse
 potissimam, quæ si remoueat, alia quoque duo fa-
 cilè propellentur. Et cum in hoc nobilissimo puero
 causa proxima symptomatis sit materia frigida, à sub-
 iectis partibus, præcipuè à brachio, tanquam aura re-
 pentè ad caput ascendens, spiritusq; & virtutè ani-
 malem maxima ex parte intercipiens: ideo curatio-
 nem verà duco, prohibere ne talis materia gene-
 retur: auertere ad partes oppositas, quæ iam fuerit ge-
 nerata: caput corroborare, ne tam facilè recipiat.
 Quantum ad auersionem attinet (ab hac enim pri-
 mùm incipio) iam pridem idoneè, vt arbitror, à me
 prouisum fuit, brachio, vnde potissimùm ascende-
 bat materia, synapismos & cauteria applicâdo, à qui-
 bus non prius desistendum putauì, quàm integrâ (si
 Deo placuerit) adeptus fuerit sanitatem. Altera pars
 auersionis erat, vt per oppositas partes euacuare-
 mus quicquid continuè excrementosum generare-
 tur, quod neq; à me prætermissum fuit. † Institui e-
 nim vt iugiter vteretur alui subductione cum pilu-
 lis ex mea quadam descriptione, quâ apud se seruat,
 in quam ingreditur agaricum. Consului præter hoc,
 vt leuioribus quandoq; vteretur, vt aloë simplici, an-
 te cœnam, vel hiera Galeni de sex rebus, vel aceto
 scilli-

scillitico manè tribus horis ante prandiũ, aut melle
 itidem scillitico. His omnibus adhuc vtendũ consu-
 lo, hoc vel illo, prout felicius succedet. Et hæc quan-
 tum ad auersionem attinet. Vt verò prohibeatur
 materia ne generetur, quæ sicut verior & integrior,
 ita difficilior curatio est, præcipuè ex parte ægroti
 malè ferentis consilium, dicam tantũ ea quæ necessa-
 riò quam diligētissimè obseruanda putauerim, præ-
 cipuumq; est vt in omnibus sex rebus non naturali-
 bus regatur exquisitissimè. Primò igitur euitabit om-
 nẽ aëris excessum, præcipuè dum fuerit in Germa-
 nia, aëre frigidissimo & humidissimo: in ea enim re-
 gione peculiari circa hoc admonitione indiget: ferè
 enim Germani hyeme præcipuè in duobus extremis
 summopere peccant: nam vel in estuarijs suis torren-
 tur, vel sub dio frigido & gelu torquentur, cum ta-
 men ab utroq; enixè cauendum sit. Dum enim nobi-
 lissimus iste adolescens in vaporario versatur, me-
 tus cutis, præcipuè capitis aperiuntur, humores at-
 tenuantur, & in vapores transeunt, vnde necessariò ca-
 put repletur, alioqui ex morbo debile & imbecillũ.
 Sed vbi postea repentè in subdialem aërem transit, al-
 gor vehemens occurrit, qui penetrans per apertos
 meatus, cerebrũ refrigerans, humores in eo cõtentos
 comprimens & congelans, efficit vt omnino deter-
 rima subsequantur. Cum igitur hæc nocumenta om-
 nibus cõmunia iudicè, huic tamè puero arbitror fu-
 tura esse magis perniciosa. Erit ergo ab illis quãma-
 ximè cauendum, eritq; artificialis ratio, vt omnẽ aë-
 ris excessum quãprocul effugiat. Quòd si necessariũ
 erit quandoq; ex consuetudine gentis in utroq; ver-
 sari, primò frigiditatè munimentis & vestibus quã-
 maximè propellet: vaporaria verò eliget moderatiss-
 simè calida, & vix tepentia, in quibus magis aperto

capite cōmorabitur, vt postea eodem munito, cū egreditur, minor fiat illa mutatio, & transitus de cōtrario in contrariū. Si præterea perceperit flatus aliquos malos, vel niuem, vel pluias aërē turbare, intra domum se continebit. Deniq; illud cōmune feruabit, quemadmodum diximus, vt aëris immoderatos excessus effugiat. Præterea omnis animi molestia, ira præsertim & mœstitia summopere arcenda erit, studebitq; cum socijs & amicis honestè & iucundè conuersari. Quotidiano exercitio præcipuè delectabitur matutinis horis, quòd inferiores potius partes exerceat sine multa capitis agitatione. Ideo pilæ ludum, neque gladijs dimicare, aut saltus immoderatos facere nō probauerim in nobilissimo hoc puero & adolescente: cerebrum enim nimis concutiunt & exagitāt: sed potius eligerē deambulationes, equitationes, sagittarū, lapidum, pali ferrei iaculationes, & huius generis exercitia, in quibus sine insigni motu capitis reliquum corpus exerceatur. Exercendū tempus cōmodissimū est, quod duabus horis prandium præcedit. Sed & frictiones quotidianas nō minus laudo, siue præcedant, siue sequantur exercitiū, sintq; vniuersi corporis, lenes quidem & molles, sed longæ, quousque corpus incalescat & rubescat, dimittaturq; in frictione caput, & partes omnes quæ ad collum attinent, fricantisq; manus semper deorsum trahatur: optimumq; est si post frictionē totum corpus illinat oleo garyophyllorum odorato, quod vnguētarij cōficiunt, & non aromatarij. Et si quis vnquā cauere debet à somno meridiano, vel matutino, aut nimis prolixo, adolescēs iste vnus ex illis est. Erit igitur illi somnus moderatus, nocturnus, non diurnus. Procurabit vt quotidie beneficium alui habeat: quòd si defecerit, adiuet vel pilulis prius nominatis

tis ex hiera simplici, vel aloë, quandoq; etiã cum clysteribus emollientibus. neq; omnino patiatur fæces in ventre plus æquo retineri: inde enim magna grauitas capitis subsequi solet. Bis in die tantum comedat, sitq; cœna longè parcior quàm prandium. Neq; credant critici isti medici me propterea Galeno cõtradocere, cum longè alia ratio sit cœnæ nostratum, quàm fuerit antiquorum. Sed hîc non est huius difficultatis determinandæ locus: sat habeat, quòd si abundè cœnauerit, non erit immunis à maxima capitis repletione. Cœnet igitur parcè, neq; in hoc discedat ab Auicennæ præcepto, quod est nihil aliud, nisi Galenicum ex opposito immutatum, videlicet, vt ex tribus partibus diurni cibi duas in prandio assumat, tertiam in cœna: ita enim neq; interdiu percipiet repletionem aut grauitatem, neq; multa opprimetur cibi nimietate, sed suauiter & iucundè dormiet. Caucatq; ne post cœnã aut prandium aliquid degustet, aut bibat, Germanorũ more: frustra enim imperarem aliquid de cœna & pradio, si aliæ quoque cœnæ intercederent. Cibus sit vnicus, ac quam maximè simplex: nihil enim illi æquè nocebit, quàm epularum multitudo. A vino si toto tempore suæ curationis abstinere poterit, quemadmodũ hæctenus me admonente abstinuit, optimè illi succedet: sit tamen aqua cum cinnamomo & aniso confecta, sicut præcepimus. Abstineat quàm maximè à pastilibus, leguminibus, à lacticiinijs, caseo præsertim, à fungis, ab oleribus, crudis præcipuè, à piscibus, rebus fritis in sartagine, à carnibus auium palustrium, à carne porcina tam recenti, quàm salita: non etiam laudo carnes agnorum, propter redundantem humiditatem. Et cum iam appropinquet ætas Veneris, consulto vt ab ea quàm maximè abstineat: nihil enim aliud

Venus est, quàm breuis quædam epilepsia, si Hippocrati credimus. Hæc sit tota victus ratio, in qua ferè totum est curationis fundamētum. Si enim hoc modo sibi cauerit, materia illa frigida & cruda, quæ fouet epilepsiã, nulla vel paucissima generabit, quod erat à nobis intentum. Atq; ita satisfactum est & auersioni materiæ, quæ generatur: & prohibitioni, ne generet. Supererat capitis corroboratio, ne nocuumentum suscipiat. Est autem in corroborando capite ratio præcipuè habenda, ne agitetur cerebrũ, aut aliquo pacto concutiat: propterea neq; caput purgia probauerim, neque frictions capitis, aut stillicidia à medicis vulgò in huiuscemodi casu proposita: sed masticatoria, quæ ἀποφλεγματισμοί à Græcis vocantur, admittat, primò ex mastiche sola & simplici, deinde etiam adiecto pipere, & staphisagria, & pyrethro, pastillos conficiendo. Mandere etiam matutinis horis garyophylla, nucem muscatam, cinnamomum, zedoariam, & quæ huiusmodi sunt, summo pere laudo: maximè enim conferunt ad capitis corroborationem, in hoc casu, exiccatione & euacuatione. Præterea caput abluere singulis septimanis circa horas vespertinas ante cœnam, est remedium à me valde probatum, si lixiuium dulce eligatur, in quo decoquatur asarum, senna, betonica, maiorana, rosæ, & capilli Veneris, adiecto etiam agarico: erit enim lixiuium ad hunc vsu præstantissimum. Post lotionem verò suauissimè exiccari debet, neque fricando, neque agitando, cum pannis moderatè calidis. Caueat etiam ne ignè acriter intueatur, aut magnum splendorè, aut campos niue refertos, aut turbam hominum circumcursantem, aut curruum rotas velocissimè motas, vel molas, nec quicquid in gyrum versatur: ab alto etiam ne prospiciat, neque decur-

decurrētem fluuium intueatur: hæc enim omnia cerebrum & spiritus exagitant, & robur adimunt. Lau- do præterea pro capite & membris quoq; inferiori- bus corroborandis, vt bis in mense fumat optimi Mi- thridatici drachmam. Est etiam præstantissimum re- medium instillatio olei de ladano per sapientem de- stillatorē confecti, tum in aures, tum in nares, tum etiam quandoque illinendo verticem capitis. Sed etiam manē suauiter pectinari ilito pectine ex eo- dem oleo, non mediocriter conferet ad caput cor- roborandū, sed pecten semper retrò trahendus est versus occipitium. Et hæc sufficiant, tum in auer- tendo materiam, tum in prohibendo, ne generetur, tum in capite corroborando, quæ tria nobis à prin- cipio fuerunt proposita. Quod si etiam magis præ- seruari voluerit nobilissimus adolescens, verè pur- gabitur ex Galeni præcepto, poteritque huiusmodi esse purgatio:

℞. Hieræ simplicis ʒ ij.

Floris cassiæ ʒ j.

Cum saccharo fiat bolus, sumendus horis duabus vel tribus ante prandium. Item

℞. Oxymellis scillitici

Syrupi de betonica ana ʒ j.

Decoctionis granorum pæoniæ in aqua destil- lata pæoniæ ʒ iiij.

Misce pro vno syrupo, & sic pro septem. Deinde

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Syrupi rosati solutiui ʒ iij.

Cum aqua pæoniæ fiat potio, danda in aurora cum custodia. Talis igitur, vel huiusmodi poterit esse annua purgatio, quæ ad præseruationē attinet. Et hæc pro tempore suffectura arbitror in curatione & præseruatione huius nobilissimi adolescētis ad lau-

A P P E N D I X.

Locus postulare videtur, vt duo lectorem admoneamus. Alterum quidem est, vt sciat, qua ratione magdaleon ad pilulas conficiendas compositum sit: fuit enim hac arte conditum, vt plures Montani studiosi adnotarunt.

R̄. Rhabarbari electi	3 ij.
Garyophyllorum	
Cinnamomi	ana ʒ ij.
Aloës	3 iiij.
Agarici	3 iiij.
Seminum pæoniæ	3 j. s.

Misce, & cum melle rosaceo confice magdaleon. Alterũ verò est electuariũ ad vsum seruandũ, quod est:

R̄. Scillæ assatæ, & præparatæ secundũ artẽ	ʒ ij.
Seminum pæoniæ puluerizatæ	ʒ j.
Mellis optimi colati & despumati	lib. j.

Misce, & fiat electuarium.

Consult. X. De epilepsia, pro nobili uiro Vicentino.



Reponitur nobis curandus iste Magnus dominus, quia quo morbo infestus, hoc videre clarissimum est, ideo breuiter me expediam. Iste laborat epilepsia, habuit enim tria signa attestantia super ipsam epilepsiam. Primum quod habuit, fuit spuma in ore: secundo passus fuit conuulsionẽ, siue spasmm: tertio amisit sensum & motum. Ex ista accidentium syndrome facile possumus conijcere morbum hunc esse epilepsiam. Habita notitia morbi, quia oportet vt & nos ali quid de cura dicamus, nõ possumus autẽ quicquam perfecte dicere, nisi causas morbi indagemus, ideo est

est necessarium distinguere præsentem morbum, vt omnia hæc clarè habeamus : & primò videndum est quidnã sit epilepsia. Epilepsia nihil aliud est, nisi spasmus quidam factus ab obstructione ventriculorum cerebri, à materia crassa & viscida, siue ab aliqua qualitate venenosa, quam isti aurã vocant. Et quia in definitione cadit spasmus, videndum est quotupliciter fiat spasmus, vt ex hoc habeamus causas ipsius epilepsie. Spasmus, vt dicebat Galenus in I I I. de locis affectis, vbi loquit de hac re, fit tripliciter: aut à materia, aut à qualitate (quam aurã venenosam appellauit idẽ Gal.) aut à siccitate: istę enim sunt tres causę potentes facere spasmum. Videamus modò nunquid istę tres causę faciant epilepsiam. Quòd possit fieri à materia, hoc patet, quia cùm materia crassa est in ventriculis cerebri, siue sit per cõsensum, siue per essentiã, ita quòd ibi generetur pituita, obstruit ventriculos cerebri, qui postea insurgunt ad expellendum, & tantum contrahuntur, & in illa contractione deficiunt mittere sensum & motum ad membra, & ita priuatur membra sensu & motu. Quòd autem possit fieri epilepsia absq; materia, videlicet à qualitate illa mala, & ab illa aura, Galenus pluribus signis hoc probauit in illo loco præallegato. Dicebat enim ipse, videmus in ictu phalangij, qui etsi tantillus sit, tamen dispergitur per totum corpus, & omnia membra inficit illa mala qualitas. Non est dicendum, dicebat Galenus, quòd fiat à materia venenosa, quia illa fuit ita exigua, quòd non potuit hoc corpus totum inficere. Quare dicendũ est, quòd sit aliqua mala qualitas eleuata à tali materia venenosa exigua, quæ postea qualitas per totũ corpus dispersa & disseminata, sit sufficiens tale nocumentum causare. Simile potest cõtingere de epilepsia : à materia potest

fieri mala qualitas, quæ postea petens cerebrum potest esse in causa contractionis ventriculorum cerebri, & facere epilepsiam: & ita Galenus ex sententia Pelopis præceptoris sui conclusit, posse à mala qualitate fieri huiusmodi morbos. Nunquid autè à siccitate possit fieri? Dico quòd non, & in hoc differt spasmus ab epilepsia, quia spasmus potest fieri à tribus illis causis: epilepsia verò tantùm à duabus causis prædictis, & nõ à siccitate: quod potest & à priori, & à posteriori manifestissimè probari. Et primò à priori: nam cùm siccitas sit causa habens causare epilepsiam, oportet quòd cerebrum ita exiccetur, vt per siccitatem cõtrahantur ventriculi cerebri, & fiat epilepsia. Sed hoc nõ potest fieri, quia cerebrum cùm sit membrum humidissimum, nunquam poterit taliter exiccari, vt per siccitatem deueniat ad contractionem: quia cùm fuisset exiccatum statim periret homo, & ita antequàm fieret epilepsia, morerèt homo. Similiter à signo cõfirmari potest, quia epilepsia subitò fit: statim enim homo cadit in paroxysmum epilepticum: illa autem exiccatio non potest, si habet fieri, subitò causari, sed successiuè, ita quòd in tempore oportet vt exiccetur. Quare relinquitur, quòd à siccitate non potest talis ægritudo causari. Derelinquamus ergo tertiam causam, & accipiamus reliquas duas, scilicet quòd epilepsia potest fieri à materia, & à qualitate sola. Si fit à materia, fit ab humore crasso, vtputa ab humore pituitoso & melancholico obstruente ventriculos cerebri: ventriculos dico anteriores, de his intelligatis. Similiter intelligatis de obstructione non perfectà, sed imperfecta & diminuta: quia si intelligeremus de perfectà obstructione, fieret tunc apoplexia, & nõ epilepsia, quia tunc homo penitus ex perfectà & completa obstructione

struptione ventriculorum amitteret sensum & motum, ita quòd iaceret sicut cadaver. hoc fit in apoplexia: ideo intelligatis de obstructione diminutè facta. Cum ergo habeamus morbum hunc fieri à materia & à qualitate, videndum est modò, à quànã harum duarum causarum in isto Magnifico domino talis morbus proueniat. Ideo in hoc crediderim quòd à qualitate mala non principaliter causetur, licet reuera ipsa concurrat, & maximè quòd, vt retulit Excellentissimus Doctor, iste fuit à passionibus animi valde vexatus. Quantũ autem possunt isti animi affectus ad hos morbos epilepticos concitandos, vnicuique poterit esse manifestum. Noui ego duos, qui tantũ ex animi affectibus inciderunt in hunc morbum: vnus enim fuit quidam Laurètius Brachadenus, & Marcus Antonius Contarenus: isti tamen in victũ erant parcissimi, nõ erant excrementosi, tantum ex animi affectibus venèrè in talè egritudinem: & ita dico quòd potuit ista causa concurrere. Sed quòd principaliter est in causã, est materia crassa, ita quòd dicerem morbum esse materialem. Et cum materia potens epilepsia causare duplex sit, melancholica & pituitosa, à quànã, dicetis vos? Dico quòd potest prouenire ab vtroq; vtraq; enim materia concurrat: & ita causatur essentialiter in cerebro, & per consensum à reliquis membris ad ipsum demandatur. Quòd autem pituitosus humor in hoc Magnifico domino dominetur, hoc ostendit eius temperatura, & sua membra principalia. Audio quòd iste abundat pituita multa, quæ excernitur per nares & per os. Istud est signum humiditatis cerebri, habet enim cerebrum calidum & humidum, vt per signa manifesta potest apparere, & facilè comprehendi. Similiter habet ventriculũ satis abundantè pituita, in quo

ab inordinato victu & coitu, vt retulit, maxima copia pituitæ generatur, pituitæ dico non veræ: nam, vt scitis, non vera pituita in ventriculo generatur. Ideo ex pituita genita in ventriculo, & item illa quæ in cerebro generatur, concludo materiam esse tum per essentiam, tum per affluxû. Quòd autem fuerit aliqua materia melancholica, hoc facilè persuaderi potest. Audio hunc esse melancholicæ naturæ, etsi non fuerit ex naturali temperatura, tamen propter accidentia animi potuit effici melancholicus. Cùm quis autem aliquando cadit in melancholiã, impossibile est vt nõ retineat illam materiam in cerebro, vt dicit Galenus. Ideo cùm adhuc reliquix melancholix remaneat in hoc Magnifico viro in ipso cerebro, potest & ipsa concurrere ad obstructionem. Similiter hepar habet calidum: viget enim caliditas in toto illo corpore, & ita ob caliditatem hepatis potuit fieri adustio: nam cùm hepar est calefactû, oportet quòd & venæ sint calidæ: nam vt dicit Galenus secundo Artis medicinalis, orta debent attestari suis principijs. Cùm ergo hepar sit calidum, non est mirum si patitur cerebrû: nam, vt dicit Galenus in 1. 1. de locis affectis, loquens de dolore capitis, qui habet hepar calidum, facilè incidit in dolores capitis, quia ascendunt materiæ & vapores, vt causent dolorem. Habetis hucusq; vt omnia colligã, causas morbi, & morbum ipsum, à quibus facilè poterimus indicationes curatiuas sumere. Veniamus modò ad curam. Iste quærit curari, credisne hunc posse curari? Vt ingenuè fatear, morbus epilepticus, morbus est maximus, & non nisi à vehementi causa potest curari. fortissima causa cõcurrit ad excitandos hos dolores, & talem sensus & motus ablatione: dolor enim cùm in hoc morbo intrinsecus fiat, oportet quòd fiat

fiat à fortissima causa soluente continuum. Dimittamus modò nunquid dolor fiat à mala temperatura facta in quatuor qualitatibus, an à solutione continui. Teneo, vt aliàs dixi, fieri à solutione continui, & à mala temperatura: & quòd ista solutio continui sit æquiuoca ad illam solutionem continui, de qua intelligunt isti: longè enim differt ab ista. Sed de hoc diffusius alibi dixi, ideo nunc non est opus ea reuocare. Propterea dico, cùm ista ægritudo fiat à forti causa, quæ cum difficultate potest remoueri, iste magnificus dominus de facili poterit mori. Audio eum hucusq; habuisse duos paroxysmos epilepticos, inci piendò à x v. Iulij vsq; ad x x i i i i. Augusti: propterea facile poterit iterum cadere in hos paroxysmos: imò nunc conqueritur de aliquali tremore. Neq; debemus nos confidere suæ naturæ robustæ, & carnositati: nam licet videatur sanus, non propterea vacat periculo. Noui ego Iustinianum quendam, qui habuit tantùm vnum paroxysmum, postea mansit per tres menses sanus absque molestia, deinde reuersus est alius paroxysmus, deinde alius, & tandem mortuus fuit. Ideo cura difficillima est, neq; vt dixi, vacat periculo: tamen non est desperandum. Veniamus ad curã, & primò indicationes sumamus à morbo, & à causis eius. A morbo, cùm morbus sit in nobili membro, indicatur, quòd sit citò remouendus, & quam citissimè potest: epilepsia enim cùm occupet nobile membrum, morbus sacer fuit ab Hippocrate appellata. Sumamus modò indicationes à materia. Materia ista, vt dixi, duplex est, pituitosa, & melancholica: ista venit euacuãda. Et quia facta fuit sanguinis missio ab illo perito medico, propterea desiderem à missione sanguinis, deuenirem ad concoquentia pituitam, vt est syrupus de eupatorio, deco-

Etum pulegij, origani, syrupus de calamêtho, & infi-
 nita alia ipsam pituitam digerentia. Concoquerem
 etiam melancholicum succum, vt cum syrupo de tu-
 moterræ, de epithymo, & talibus. Postea cum erit
 cocta materia, euacuarem, & inciperem à leuioribus
 pharmacis: nō transirem illam confectiōē hamech,
 & pilulas cochias. De medicinis autem illis cum co-
 locynthide, & agarico, pro nunc nō exhiberem, quia
 sunt valde fortes. Quæ autem recipiunt ista, vt sunt
 illi trochisci Alhandal, hiera Logodion, isti aromata
 rij in hac ciuitate, cum sit mater studiorum, non con-
 ficiunt ista. & miror cur villa quæuis parua non ha-
 beat ista facta. Modò hoc corpus est euacuandum.
 Ego deuenirem ad caputpurgia, & ad masticatoria,
 & vellem vt masticaret, sicut de pipere, & reliquis.
 Deinde per nares prouocarem naturam cum aliquo
 leui sternutatorio. Facto hoc si voluerit assumere il-
 la balnea Aponitana, cum sint calida, ego laudo. De
 cauterijs, ego summopere laudarem cauteria in bra-
 chijs, imò hoc est familiare remedium. Et vidi anno
 præterito vnum qui solo cauterio sanatus est, & erat
 senex, in L I I. anno ætatis suæ constitutus. De die-
 ta, quia morbus longus est, instituatür conueniens
 diætã. Pro potu poterit conficere aquam decoctam
 cum aniso, & potissimè cinnamomo, & saccharo: est
 enim potio gratissima tum in colore, tum in sapo-
 re. Restat vnum derelictum, vtrum debeat bibere
 vinum. Videtur ex vna parte quòd non, quia vinum
 fumosum est, & facilè replet caput. Ex alio videtur
 quòd sit dandum vinum pauciferum, quod sapit na-
 turam aquæ. Sed, vt dicit Galenus in I I I. de ratio-
 ne victus, vinum si magnum est, obest cerebro sua fu-
 mositate: si verò sit pauciferum, licet non noceat ce-
 rebro, obest tamen ventriculo: & ita videtur conue-
 nire

nire, & non cōuenire. Ego tamen cōficerem vinum, & maximè quia fumus in tempore conuenienti, vellem vt fumeret vinum album, in quo aliquid aquæ imponeretur: & apponerem radicem pæoniæ, betonica, folia saluiæ, roris marini, & alia quæ respiciunt hos humores, & omnia decoquantur, & conficiatur vinum, quo poterit vti. Ista hîc posita non sunt ingrata, non sunt amara, & sunt appropriata pro tali morbo sanando. Et hæc sufficiant.

Consult. XI. De imbecillitate totius capitis, & oculorum, pro ciue Cracouiensi Polono.



Ominatio sua meminisse debet, atq; animo perpetuò tenere, & tanquam fundamentum necessarium præsupponere, atque ad hoc, veluti ad scopum quendam omnes actiones suas dirigere, videlicet, se habere totum caput & oculos vtrosque imbecillos, & paratos ad recipiendas superfluitates totius corporis, & ad omnia morborum genera subeunda, vt nulla iam arte, nullòue remedio huic vitio succurri possit: ita enim iam confirmatum est, & per essentiam parti illi appropriatum, vt ne Aesculapius quidem ad ferendam opem sit suffecturus. Et bene aduertet Dominatio sua me dicere hoc loco, imbecillitatem capitis & oculorum, ac præparationem ad suscipiendas superfluitates tolli non posse: sed non propterea dico, quin præseruari possit, & curari à malis præsentibus & futuris. Aliud enim est, membrum aliquod esse imbecille, & paratum ad morbos à quacunq; leui causa: aliud ægrotare. In hac opinione, & cognitione huius rei, quam diximus, tantam inueniet utilitatem S. D. vt, nisi id præsupposuerit, & constanter crediderit, in duo maxima incommoda, & pericula,

perpetuò collapsurus sit. Primum est, quòd quoties inciderit in medicum, vel cuiuscunq; generis hominem, qui sanitatè polliceatur, statim illi adhærebit, & torquebitur, & in deteriorè dispositionem, & fortè vltimã perniciem deducetur, quod ipse facillè potest proprio experimèto, & suo etiam discrimine cognouisse. Quòd si in bonam aliquam fortunam, vel peritum medicum inciderit, qui præsentès morbos curauerit, secundum incommodum non effugiet. Si enim arbitratus fuerit se ita fuisse curatum, vt imbecillitas quoq; capitis, & oculorum, & præparatio ad eosdem morbos simul sublata sit, huius meæ admonitionis oblitus, suo postea periculo facillè recognoscet verum & fidele fuisse nostrum consilium. Nam negligendo curam perpetuam sui capitis, & oculorum, quam inferius explicabo, etiam si millies curabitur, millies quoq; vel in eosdem, vel etiam deteriorès morbos præcipitabitur. Præsupponat, & fundamentum firmíssimum habeat, se habere caput & oculos summè imbecillos, perpetuaq; cura & præuentione indigere, si vult inter homines bene esse. Atque æquo animo ferat calamitatem, quæ tamen non ita improba est & detestabilis, vt si ipse velit non negligenter res proprias procurare, non possit satis commodè & honestè, sine multa molestia curari, actionesq; singulorum membrorum non inualidè exercere. Quibus igitur hæc omnia præstari possint, nunc tempus est explicare. Sua verò Dominatio audiatur, legatur, & perlegatur, neq; corrumpi patiatur vel à societatibus, vel à more patriæ, quæ, si verum fateri volumus, plus æquo voluptatibus indulget, iubeaturque vt hoc nostrum consilium in propriam linguam vertatur, secumq; familiariter habeat, & nõ tantum ediscat, sed etiam exquisitissimè obseruet: alioquin præter-

præterquàm quòd oculos amittet, multò etiam de-
 teriora patietur. Longè enim humanius est admon-
 re hominem de futuro aliquo periculo, in quod fa-
 cilè possit incidere, quàm ita molliter secum agere,
 ne dicam peruerse & dolose, & ne tristitia ipsum affi-
 ciamus, permittamus incuriosum, & nil tale cogitan-
 tem hominem in extremam perniciem præcipitari.
 Qua igitur arte S. D. præseruari possit, iam explica-
 re incipiam. Et primò ita aëris commoditate potie-
 tur, vt nec feruèti soli, nec vehemèti frigori se expo-
 nat, cauebitq; præcipuè ne sub cælo ventoso ac ne-
 buloso diutius immorari, neq; fenestrà se exponat,
 quam ventus aliquis perflauerit, aut aëri nocturno
 occurrat, vel noctu apertis fenestris dormiat: fugiat
 etiam humiditas, terrenasq; habitationes. Hyemis
 tempore, dum manebit in vaporarijs, sicut est mos
 suæ patriæ, non operiet caput, nisi operimento quo-
 dam leui: & postea, dum exhibet, accipiet cooperimè-
 tum pelliceatum cum vestibus optimè suffultis. Va-
 poraria etiam non erunt valde calfacta, sed modera-
 tè. Cauebit intueri ignem, manere vbi fumus vel pul-
 uis aderit. Prouidebitq; quantum fieri poterit, ne
 irascatur, nèue tristetur, aut aliqua animi molestia
 multum torqueatur. Coitu rarò admodum, & mode-
 rato vtatur. Manè exercebit totum corpus, vt cale-
 scat, & anhelitus fiat magnus, & frequens. Surgat sin-
 gulis diebus ante ortum Solis, & procuret omnes
 superfluitates collectas per omnes vias excernere,
 tum per aluum, tum per vrinam, tum per sreatum,
 & per nares, tum etiam pectinando se, & collum fa-
 ciemq; panno lineo molliter & suauiter perfrican-
 do, & aures donec rubescant: neque vnquam faciem
 lauet aqua frigida, sed vel desistat à lotionè, vel vtatur
 vino albo: aures etiam quotidie perfricet, & ab-

stergat, similiq; modo dentes etiam abluat & os vino albo. Quæ omnia ubi mane surgens effecerit, tum ad consueta negotia progredietur. Prandebit itaq; quatuor, aut ad summum quinque horis, postquam à lecto surrexerit, & nouem vel octo interpositis horis à prandio cœnabit, diligentissimè obseruando, ne interbibat spatium aliquo intra prandium & cœnam: neq; etiam comedat, sed sobriè interim degat, duobus illis tantum temporibus cibis contentus, prandio inquam & cœna, alioqui non erit tutus à recidua. Cibaria sint simplicia, cum paucis, aut nullis aromatibus: neq; delectetur ciborum varietate, sed vnico tantum cibo contentus sit: illa enim varietas corruptionem, cruditatem, & malitiam humorum generat, vnde postea ægritudines oriuntur. Abstineat à carnibus antiquis, & ab his ovis quæ in sartagine vel patella assantur. Abstineat à piscibus, caseo, leguminibus, & quibus palustribus: olerum etiam vsu euitet. Vinum, si fuerit consuetus bibere, eligat pauciferum, clarum, subtile, & mixtum aqua, quod etià moderatissimè bibat. Sed si vini potationi non fuerit assuetus, vel aquam mellis, vel ceruissiam bibere consueuerit secundum patriæ suæ morem, tunc laudarem magis vt prorsus à vino abstineret, & ceruissiam, vel mulsam eligeret. Hæc si ritè & diligenter peregerit, vix imaginari poterit, quantum sanitati suæ sint collatura. Si verò contraria sequatur, etiam medicinis omnibus adhibitis, frustra sanitatè expectabit. Sed vt exactè suæ saluti consilium adhibeatur, paucula quoq; adijcientur, quæ quicquid in corpore colligitur excrementorum, totum illud excernant. Vterur igitur ter vel quater in mense pilulis infrascriptendis hora vna ante cœnâ ad pondus drachmæ. Descriptio talis est:

℞. Aloës

R̄. Aloës optimæ	
Rhabarbari electi	ana ʒ vj.
Agarici electi	ʒ s.
Garyophyllorum	
Gingiberis,	
Cinnamomi,	ana ʒ j.
Rosarum rubearum	ʒ ij.
Myrobalanorum chebulorum	ʒ s.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur: cum melle rosaceo fiat magdaleon, de quo singulis vicibus fient pilulæ tres pondere drachmæ, sumendæ vt supra. Præterea laudo vt in vere, si semel: in autumno & vere, si bis, mittatur sanguis à basilica dextri lateris. Præterea si his omnib. peractis reliquiæ etiam suorum morborum permanserint, laudo vt in parte exteriori vtriusque tibiæ infra genu per digitos quatuor, cauteria fieri iubeat, quæ vulgò appellantur fontanellæ: efficacissimè enim diuertunt à capite. Item laudo vt bis vel ter in mense accipiat bolum optimi Mithridatici pondere drachmæ, additis drachmis quatuor sacchari rosacei, tribus horis ante prandium.

Consult. XII. De catarrho diuturno ex intemperie frigida & humida cerebri, pro heroë domino à Drichtristain Germano.



N adolefcēte iam in vigesimo anno constituto, alioqui boni habitus, satis proce-
ri corporis, & optimæ indolis, nō possēt
esse catarrhus tam diuturnus, tam mole-
stus, tam cōfirmatus, nisi intēperies cerebri insigni-
ter frigida & humida fuisset: est enim catarrhus pi-
tuitosus, muccosus, & frigidus. Vnde autē contracta

fuerit huiusmodi intemperies, an ab excessu rerum non naturaliū, vel ab alio aliquo, haud fatis comper- tum habeo. Quantū verò ad præsens negotium atti- net, non ita multum refert, siue naturalis, siue acqui- sita hæc fuerit intemperies. Hoc vnum proponam, neq; facilè, neque citò remoueri posse, imò indigere exactissima diligentia alicuius medici, sed longè ma- iori ægotantis. Ex longa enim perseuerantia cura- tionis poterit æger ad meliorem habitum deduci: alioqui periculū imminet, ne in deteriore aliquem morbum dilabatur, præcipuè ætate maturiore succè- dente. Enixè igitur tâto discrimini est resistendum, & in primis exquisitissima victus ratio habenda est, sicuti in omnib. morbis diuturnis obseruari debet. Primaria igitur diligentia circa aërem sit: omnino enim tam frigiditas quàm humiditas aëris est vitan- da. Sed nec flatus cuiusq; generis admittendi sunt, ne cerebrum repleant, vel refrigerèt, vel constipent, propterea eligat eiusmodi locum suæ habitationis, ne aër cerebro inferat aliquod malum propter frigi- ditatem, vel humiditatem. Et diligenter obseruabit, ne post ventriculi repletionem se ad studia, aut men- tis exercitia cõferat, sed per quatuor horas interim quiescat, vel deambulet remisso animo, vel cum ami- cis lætis & iucundis versetur, & euitet omnes animi molestias: illæ enim non tantùm catarrhum fouent & augent, imò generant. Laudo exercitia horis ma- tutinis, quæ sint placidiora, sed longiora, vsque ad manifestam mutationem anhelitus, totiusq; corpo- ris calefactionem insignem, ita tamen, vt post exerci- tium euitet aëris excessum quemuis, vel flatus, vel frigiditatis, aut humiditatis, immutetq; vestimèta, si fortè sudorem haberent. Laudo vt caput abluat semel saltem singulis septimanis, sitq; ablutio talis.

Suma-

Sumatur lixiuium dulce ex cinere vel salicis, vel populi, vel sarmentorū vitium, vel nucis, vel huiusmodi, & ex eo quantitas vnicæ ablutioni eligatur sufficiens, in qua camomilla, rosæ, maiorana & betonica decoquantur simul cum drach. duabus agarici minutim incisi, & in panno lineo inuoluti, qui postea pannus post decoctionem diligenter in hoc decocto exprimitur, hocq; lixiuium caput abluat adhibito sapone aliquo odorato, quales apud pigmentarios reperiuntur. Hora ablutionis sit vesperi ante cœnam, vt deinde facilius possit aëris omnia incōmoda evitare: & post ablutionem suauiter & leniter caput panis moderatè calidis exiccetur. Studeat quoque, vt manè ante ortum Solis exurgat, neque comedat nisi sex horis post egressionem lecti: tali enim modo catarrhus rectè collectus optimè cōcoquetur & digeretur, ac cibus in prandio purum ventriculum inueniens, optimam cōcoctionem perficiet. Nihil enim pestilentius his qui catarrho subiecti sunt, quàm serò è lecto surgere, atq; ad prandiū accedere nocturno catarrho adhuc fluctuante. A prandio caueat, ne aliquo modo dormiat, bibat, aut comedat: nam nihil inter prandium & cœnam sumendum est, si quis catarrho studet liberari: imò & cœnāumat longè parciolem, quàm prandium, tum in cibo, tum in potu. Laudaremus, si vesperi à carnibus abstineret, neque cubitum eat, nisi duabus horis saltè transactis à cœna: interim leuiter deambulet, vel stet: ita enim caput leuius erit noctu, maneq; recrementis ac vaporibus omnibus liberum habebit. Ergo vt hæc cōmodè fieri possit, surgat maturè, & sic maturius prandeat, & cœnet. Cibus illi omnino simplex eligendus est: ciborum enim multitudo catarrhis aduersissima est. Vinum sit pauciferū, album, limpidissimū, bene

maturū, quod etiam pacissimè bibat. Carnes comedat animalium iuuenum castratorum, pullorum, hœdorum, vitulorum, leporum etiam iuuenum, & cuniculorum, auiumq; campestriū. Abstineat à palustribus cuiuscunq; generis: pisces etiā euitet, & caseū, & lacticiniorum omnia genera: item legumina, & pafillos, panesq; azimos, & quæcunq; in sartagine asfantur. His ita bene dispositis necessarium est quamplurimo tempore seruare institutū: neq; enim facilè, sicut antè paulò diximus, tolletur affectus tam longo tempore confirmatus. Quantum verò ad medicinas attinet, noui illustrem Dominū à quocunq; genere medicamentorum abhorrere, vt nesciam an vnquam talem inuenerim: ideo ne frustra offeratur, quæ nullo modo sunt admittēda, placidissima quæque proponamus, quæ non nisi à pertinacissimo reijci possunt. Et primò vtetur saccharo rosaceo singulis anni tēporibus, singulis quoq; diebus, si licuerit, vel saltē ter, aut quater in septimana vtatur. Vtatur etiam ante prandium odoratissima & iucundissima cōfectione, quæ ita habet:

℞. Rosarum rubearum

Sandalorum citrinorum

Seminum citri

ana ʒ j.

Ligni aloës optimi & synceri

ʒ ij.

Sacchari optimi quantum sufficit.

Misce, & fiat cōfectio in rotulis: vtatur drach. duabus vna vice ante prandiū & cœnā vna hora. Quòd si pateretur rhabarbari optimi scrupulum manè ante prandium mandere, primò sensim, deinde deglutire, haberet remedium præstātissimum. Quòd si id noluerit, vtatur saltem bis singulis mensibus pilulis infrascriptis, & ex eis vnā duntaxat sumat in vesperi ingressurus lectū, quæ ponderis esset drachmæ s.

℞. Rha-

℞. Rhabarbari electi
 Aloës succocitrini
 Agarici optimi ana 3 j. s.
 Nucis muscatæ
 Garyophyllorum Gingiberis.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, postea aspergantur succo rosarum puro, & permittantur exiccari, & sic iteretur septies: deinde cum oxymelle simplici fiat magdaleon, & seruetur ad vsum. Item laudo vt in ingressu lecti vnā aut alteram guttam in vtranq; aurem inijciat olei ex optima terebinthina, & appposito bombyce muscato dimittat vsque ad lucem sequentē. Si etiam manderet manē granum mastiches, vt expueret quicquid saliuæ redundaret, egregiē suæ saluti consuleret. Atq; vbi hæc diligēter ac diu peracta fuerint, spero illustrē Dominū ab omni deteriori dispositione præseruandū, atq; ad meliorem habitū profuturū, diuino tamē aspirate auxilio.

Consult. XIII. De præseruatione à catarrho salso destillante ad partes subiectas, excitante diuersa symptomata, & de potu thermarum Lucensium, pro equite Cornelio Clementino.

DVO sunt quæ à nobis in casu Illustrissimi equitis Cornelij Clementini requiruntur. Primò, qua arte sit præseruandus à destillatione pituitæ salsæ à capite ad partes subiectas, à stillicidio vrinæ, & excretionē arenarum, viscidæq; materiæ, & à sputo sanguinis obcorrosam venam paruam pulmonis contingente, vt refertur. Secundò, vtrum illi competant aquæ thermarum Lucensium. Incipiam ab hoc secundo, nam & hoc videtur maximè ad præseruationem cōferre.

Supponentes igitur hepatis ac renum caliditatē, unde par est & urinæ stillicidiū, & arenas generari, Lucenses aquas, illas inquam quæ ferreæ sunt, credi terim præstantissimum fore remedium hepatis & renibus corroborandis, tum excedentem caliditatē temperando, tum laxitatem vasorum ad mediocritatem ducendo: retundent etiam falsedinem pituitæ, quam probabile est ob hepatis sanguinisq; feruorem fieri: simul etiam venis pulmonis egregiè tonus addetur: & cum falsedo destillantis materiæ retundetur, maxima ex parte tolletur periculum corrosio nis. Nec obstat ventriculi frigida & humida intemperies: primò enim remouebit humiditas, cum omnes thermarū aquæ, siue calidæ siue frigidæ fuerint, semper exiccet. Exiccata ergo redundante humiditate, ventriculus proculdubio reddetur robustior, & aptius cibum amplexabitur, & consequenter feliciter cōcoquet. Quantum verò ad aquarum frigiditatem attinet, poterit interim defendi ventriculus cum linimento calefaciente, quale est oleum de garyophyllis odoratum, de styrace, addita mastiche & ladano. Non ergo ab harum thermarū vsu abstinendum cēsuerim, siue putauerim. Reliquū casus quod ad præseruationē attinet, cum iam plurima sint peracta à clarissimis illis medicis, eius rei potissimū gratia præcipua sunt duo cauteria, tum brachij, tum sin cipitis. Neq; verisimile est eos, qui ad tantam accesserunt præseruandi diligentiam, dimisisse exquisitissimam victus rationē in omnibus sex rebus non naturalibus. Ideo ne ineptire videar, indignū duxi, vt hic à me explicarentur circa victus rationē, quæ etiā semidoctis medicis sunt cōperta. Vnum tantū proponā, quòd in omnibus his affectibus, & in tota syndrome, nullo penitus repugnāte, ad præseruationem

sum-

sum opere cōuenire videtur, videlicet frequentissimus vsus duorum remediorum secundum omnem administrationis modum, sacchari inquam rosacei, & rhabarbari. Consularem ergo suæ illustrissimæ D. vt singulis diebus ante cibū vteret saccharo rosaceo etiam ad vnciæ quantitatem, ac præterea quater in mense tribus horis ante prandium manderet ac deglutiret drachmā optimi rhabarbari. In reliquis omnino abstineret ab omnibus validioribus medicamentis: & in qualibet etiam magna purgandi necessitate non excederet rhabarbarū, cassiam, mānam, & syrupum rosatum solutiuum. Quæ omnia si rectè obseruentur, & addentur his quæ clarissimi illi Doctores iam pridem consuluerunt, spero non tantum ad præseruationem ex catarrho cum sputo sanguinis, sed etiam curationem, vbi oportuerit, subuentura.

Consult. XIII. De destillatione catarrhi ad partes subiectas, fluore alui penè dysenterico, assiduo vomitu, torminibus uentris, cum febre assidua & insigni totius corporis tunc, pro adolescente filio Medici.



Non ab re Excellētia tua onus istud grauissimum vix subeundum putat, curandi huius nobilissimi adolescētis, tanquā illius diuini præcepti memor, Caue ne malarum ægritudinū curā suscipiēs, mali medici nomen adipiscaris: præterquā enim quòd difficillimis quam plurimis, & inter se etiam discrepantibus morbis infestatur, adeò consumptus est & labefactatus, tamq̃ virium imbecillium, vt penè nulla omnino via relinquatur, qua etiam medicus audacissimus aggredi velit prouinciam tam difficilem: nihilominus, vt

tibi viro amicissimo & doctissimo morem geram in re tam ardua, tanquam Iphiclus, herenti sine adminiculo, dicam quod faciendum iudicarem. Cùm ergo adolescens iste nobilissimus simul destillatione catarrhi ad partes subiectas laboret, alui fluore penè dysenterico, assiduo vomitu, rugitibus, & torminibus ventris, febre fortè assidua, insigni totius corporis tabe, ego tentandum censerè primò, vt fluor alui sifteretur, vomitus sedaretur, & ventriculo robur adderetur, vt corpus nutriri incipiens redderetur validius, nosq; simul aptiores redderet ad reliquos affectus tollendos, quod sicut fieri posse dubito, ita iam faciendum necessariũ esse ducò. Et quoniã ab excrementis biliosis tam per vomitum, quàm per secessum maxima copia redditis, iudicamus esse hic maximam hepatis caliditatẽ, cuius ratione fortè ex plurima bile assiduè generata, & ad ventriculum intestinaq; erumpente, perseverat alui fluor, vomitus, inappetentia, & sitis: ideo ad hepar accederem curaturus, tanquam ad omnem malorũ fontẽ: quod cùm calidum sit, refrigeratione proculdubio indiget: cumq; eius tonus sit valde remissus, leui etiã adstrictione roborandum iudico: & vt hæc fiant, aliquo exquisito, potenti, & parato remedio indiget. Nihil igitur ad hæc omnia peragenda præstantius occurrit, quàm potus thermarũ Calderianarum: in illis enim, propter plurimam ferri materiam, magna vis est refrigerandi, & adstringendi: nec tantũ id præstat, sed & validissimè præstat. Et quoniam, sicut Hippocrates dicit, maximis morbis maxima & exquisita remedia adhibenda sunt, sicut etiã Galenus testatur in quinto methodi, in magno morbo à leuioribus incipere nihil aliud est, nisi parare agro longum interitũ: ideo hanc præcipuè ætatis occasionem nactus, quamcitissimè ad

hoc auxilium accedat, priusquam vires huius corporis, alioqui ita affectæ, ad extremum debilitentur. Et si suspicatio aliqua occurreret, ne inde ventriculus a quarum frigiditate læderetur, facile huic quoque incommodo occurrere possemus, illinētes eam ventriculi partem quam refrigerandam timemus, cum oleo, quod vim habeat calefaciendi simul & corroborandi, sicut præcipue oleum est odoratum ex garyophyllis, quod a pigmentarijs confici solet, addita mastiche, & modico ceræ. In ratione autem victus occurrit magna dubitatio, nunquid huic iuveni vinum cõpetat: virium enim imbecillitas, ac ventriculi frigiditas, vinum potius exposcere videntur: at illa insignis hepatis caliditas, febris, & destillatio, omnino contrarium postulant. Crederem ego in hoc casu, dum tantisper hepar refrigeretur, cui maxime, ut supra dixi, insistendum est, tutius esse si omnino a vino abstineret, vtereturque vel iure leui pulli iunioris, quod vulgo aquam pulli medici appellant, vel etiam hordei decocto in optima & tenuissima aqua, quæ facile distribuatur, & transeat hypochondria: cui si quid etiam adderetur quod ventriculo confuleret, moderatæ caliditatis, non etiam displiceret, & hoc esset quale est cotoneum cum saccharo conditum, si eius frustum simul cum aqua & hordeo decoqueretur: fieret enim potus iucundus ventriculum roborans: & cotoneum ex condimento & saccharo patet aliquid remissæ caliditatis acquisivisse. Ergo huiusmodi potus, præter hoc quod hepar refrigerabit, non etiam ventriculo nocebit. Hoc vellem clarissime Doctor, tentare potius, antequam ad aliquam aliam curacionem accederem. Quod si Excellentia quoque tua idem videbitur, nihil ultra morandum iudicaverim, quin ad opus accedatur. Si verò contrarium senserit,

idq; ad me scribere dignetur, enitar sedulo, vt aliud proponam, quod magis Excellentie tue satisfecerit, cui plurimum me comendo. Erit etiam mihi gratissimum audire successum curationis filij tui suauissimi, & quidnam proficiant remedia, quae simul conuenimus esse facienda. Oro igit vt me quoq; admoneas: nam de eo aequè ac de filio meo audire cupio, quod bene succedat. Vale.

Consult. XV. De dolore capitis periodico, grauitate eius, & sibilo aurium, pro Veneto.



I quis rectè discutiat quae causa & origo sit doloris capitis periodicè infestantis Magnificum dominum, videbit per verum consensum illum esse ab inferioribus partibus, & non quia cerebrum vel primogenio affectu, vel per essentiã patiatur. Si enim membrum illud dicitur esse sanum, cuius operationes sunt sanae, vt cerebri propriae operationes sunt imaginatio, discursus, & memoria: atque haec omnes in sua Magnificentia cum rectissimè se habeant, sequitur cerebrum in se sanum esse, nisi aliunde consensum acceperit. Sunt etiam aliae operationes hoc idem testantes, quae licet non fiant in cerebro, sunt tamè à cerebro, sicut sensus exteriores, & facultas quae per electionem mouet: atque haec omnes facultates integerrimae sunt, vt inde quoque patere possit, hoc cerebrum in se esse sanum. Cum verò sanitas vniuscuiusq; membri amplà habeat latitudinè, cerebriq; optima temperatura sit vnde optimae prodeunt operationes, sitq; quando ad reliqua membra principalia comparatur, frigidum & humidum, quaeritur hic, nunquid & cerebrum sit hoc modo & hoc sensu frigidum & humidum, an verò declinet ab hoc optimo statu per aliquem excessum vel defe-

defectum. Respondeo, quantū ad qualitates actiuas attinet, iudicio meo, vel non recedere à temperato cerebro propriè, vel si recedit, ad frigiditatis excessum potius declinare. Indicat id caliditas illà immensa hepatis simul & cordis, sicut in confesso est, etiam reliquorum medicorum iudicio, & sicut ex proprijs signis apparet. Amplitudo enim venarum, color subniger corporis, pilorū multitudo nigrorum, crassorum & crispiorum, maxima ad Venerè promptitudo, insignem quandam hepatis caliditatem præ se ferūt. Animi verò constantia, & in rebus agendis audacia & vehementia, cum maximo arteriarū motu, cor planè calidum ostendunt. Sed nemo prudens medicus vel philosophus ignorabit, hepatis & cordis insigni existente caliditate, si etià cerebri caliditas accesserit, necessariò fore vt vir talis ferorū & barbarorum morum sit, truculentus, crudelis atque inexorabilis, cum spiritus animales non habeant vbi sedentur & mitescant. Sed Magnificus Dominus itacundus quidem est, sed facilè placabilis, mitis, mansuetus, optimorum morum, ac præterea prudentissimus. Quæ omnia arguunt vel frigiditatem cerebri, vel temperiem, in quo spiritus temperantur, sicut est sententia philosophi & I. I. de generatione animalium, & x x x. sectione problematum. Præter hanc qualitatem actiuam, quæ in cerebro esse opinamur, credimus etiam in passiuis ad siccitatem potius declinare: ingenij enim perfectio & iudicij stabilitas, opinionumq; grauitas, memoriæq; tenacitas, siccitatem mihi, non humiditatem ostendunt. Tale igitur erit cerebrū Magnifici domini, vt si à naturali suo temperamento recedat, recessus sit potius per frigiditatem & siccitatem. Quibus ita se habentibus, sequitur quòd primò circa caput rarè texturæ & habitus sit: secūdò, quòd

alimentū propriū non concoquat ita exactè: tertio, quòd excremeta tam propria quàm aliū de trāmissa non faciliè expellat & difflet: quarto, quòd faciliè admittat vapores & materias aliunde transmissas. Ista enim omnia symptomata familiaria sunt temperaturæ frigidæ & siccæ. Et hæc sufficiant de cerebro, de quo multus erat habēdus sermo, quoniā in illo principaliter doloris causas inuestigamus. De hepatis verò & cordis temperatura idem erit iudiciū, quod obiter superius retulimus: vtrunq; enim horū membrorū insigniter calidum est. Nam hepatis caliditas ostenditur faciliè ex corporis colore nigro, ex multitudine pilorū nigrorum, crassorū, & crisporū, ex amplitudine venarū, & quòd plurima bile redūdat, atque in ipsā cute citrinus color cum fuscēdine apparet. Cordis caliditatē ostendit maximus & velox arteriarū motus, animi vigor, & promptitudo ad irā. In ventriculo autem non eam esse caliditatē, quæ reftæ concoctioni requirit, indicat generatio pituitæ, quæ nullam aliam probabilem causam habere potest suæ generationis in hoc corpore, quàm ipsius ventriculi frigiditatē. Sed & habitus abdominis hoc idē indicat, est enim gracile, & sine pinguedine, quod quidem ad calorē retinendum & coctiones adiuuandas maximi iuuamenti est, sicut est & Galeni & Aristot. sententia. His ita explicatis & cōstitutis, apparet iam quemadmodum in hoc corpore sint omnes dispositiones ad capitis repletionem & dolorem excitandum idoneæ. Primò frigiditas & siccitas cerebri, de qua proximè multa diximus. Secundò hepar calidū, cuius ratione sanguis feruens plurimus generatur, ex quo feruore necessariò plurimi vapores reduntur capiti ex toto ambitu venarum, vt optimè dicebat Galenus 111. de locis affectis. Accedit ad hoc

cordis

cordis caliditas, à qua etiam spiritus feruētes & mobiles generantur, qui cōfertim & cum impetu ad cerebrum delati, extendunt, percutiunt, aperiunt: agitantur enim interclusi in angustiis locis, vnde necessariò dolores excitantur. Propterea frequenter deprehendit Magnificus dominus ipsa experientia dolores capitis repentè excitari, & facile etiam discuti, non ob aliam rationem, quàm quòd spiritus ipsi mobiles sunt, & sicut citò mouentur, ita etiam citò dissoluantur. Est vltima causa pituitæ in ventriculo generatio, quæ in vapores versa propter caliditatē adiacentiū membrorū ad caput ascendit, dolores excitat: inde est quòd sepe percipit grauitatē capitis protensam ad oculorum radices, & quòd dolor extenditur vsq; ad aures cum quodam sibilo, qui incipit circa primas colli vertebrae. Grauitas autem à vaporibus pituitosis tanquam crassioribus, extensio ad aures & radices oculorum, quoniam pertingit crassus vapor, & percutit interiorem cerebri membranam. Sibilus autem non aliunde prouenit, quàm quòd vapor crassus & viscosus agitated à calido, & non ita facile resolutus, strepitū facit, quemadmodum vapor venti propulsus in aëre. Quòd verò in occipite dolor incipiat, inde est, quoniam vapores à ventriculo ad cerebrū eleuati, necessariò per œsophagum transeunt, qui in parte posteriore positus est. Ergo vt dolor iste capitis est multiplex, ita etiam multiplices habet causas: sanguinē vaporosum & feruentem, hepatis ratione, quòd calidius est: spiritus vitales calidosigneos, superius facile raptū habentes: pituitosos vapores à ventriculo delatos. Atq; ita in cōfesso est dolorem istum capitis per consensum purum ab inferioribus partibus, propter vapores & spiritus ascendentes, & non alio vitio capitis vel cerebri,

quatenus est membrum organicū, licet ratione temperaturæ vnā tantū auferat actionē, vt non multū resistat, vel repellat, aut difflet causas alterātes: in reliquis penitus culpa vacat. Ac inde est, quod nō ascendētibz vaporibus præter naturam, caput fanissimū persistat, in omnibus suis operationibus noxa carēs: illis verò elatis, longē minori parte temporis patitur caput: paucis enim horis dolore capitis affligitur, reliquo toto tempore omnino excitatissimum est, & omni nocumento carens. Ergo & rationibus & signis ostendimus, illud esse quod à principio propōsumus de hoc capitis dolore. Et hæc satis de causis & essentia symptomatū & morborū in hoc Magnifico domino existentium. Quātū ad curationem, nihil aliud addendum occurrit, quā quod iam præscripsimus in sequēti cōsilio: ad id recurrat: & ita integrū erit cōsiliū tam quo ad speculationem & cognitionē causarum, quā quo ad curationem.

Consult. XVI. pro eodem.



Dolor periodicus, vel non periodicus capitis tam in anteriori, quā posteriori parte capitis, magis tamen in anteriori, in hoc nobili viro incipiens cum frigidityate pedum, deinde inuadens totum caput, & præcipuè mordicans ambos oculos, qui iuuatur ab adstrictione & repressione, quam ipse facit à natura edoctus, manibus validissimè comprimendo, nec potest pati frigus præsentē dolore, imò necessarium est vt totum corpus caleseat & calefiat arte, quod iugiter fit pannis calidis applicatis: præcipuum tamē iuuamentum est calefactis naribus, desinens postea cum sudore copiosissimo totius corporis, & relinquēs in palpebris impotentia motus. Talis in quā dolor cum
huius-

huiusmodi symptomatibus, proculdubio per cōsensum est à ventriculo & toto ambitu venarum, eleuatis vaporibusvndecunq; & ideo etiam totum caput dolet, magis tamē antērius quā postērius: quoniā pars anterior & calidiōr & apertior, magis recipiēs excrementa & sensibiliōr, ac prēterea vapores eleuati à ventriculo crassiores & plures, nec tamen facilē dissolubiles. Cuius signū, quōd finito dolore adhuc remanet impotētia motus in palpebris, propter reliquias vaporū crassorū in membranosis illis partibus impactas, nec dissolutas. Incipit autē cum frigiditate pedum: quoniam dolore in suprema parte existente, calor maximē & spiritus ad illas partes vergūt simul cum vaporibus calidis & acribus. Sed cū caput validē manibus astringit, ideo iuuatur, quia reprimūtur vapores, & caput foboratur, ne tam facilē suscipiat vapores. Læditur à frigore, quoniā dum friget corpus, pori adstringuntur, vaporesq; magis reclusi ascendūt ad caput: at calefacto corpore relaxātur distanturq; vapores & auertuntur. Et præcipuē iuuatur quando nates calefiūt, quoniam maximē ad oppositum trahuntur ac vertuntur vapores. Cuius signum manifestum, quoniam declinante dolore totum corpus in copiosissimum sudorem resoluitur: tūc enim vapores planē ad diuersas partes resoluūtur, & per sudores educuntur. Tum etiam, quod longē deterius habet, quando alius adstricta est, vaporibus scilicet magis eleuatis, & quōd irritatur perio-dis ab animi molestijs, quoniā inde calefcit caput & imbecillius redditur. Etiā ab aēre tam calido quā frigido, quoniā calidus aperit, rarefacit, attrahit: frigidus densat, cōprimit, prohibet distillari vapores eleuatos, & à proprio alimēto capitis redditos. Iuuatur à pilulis aloëticis, euacuat enim ventriculus eis,

Curatio huius nobilissimi viri in hoc cōsistit, vt maximè corroboret caput, & totū corpus exquisitissime mundū cōseruet. fiet id præcipuè propoſita ſibi recta viuendi ratione. Cauebit ergo ab aëre alterate caput tam frigido quàm calido, tam humido quàm ſicco: excessus enim omnes euitandi, & temperies eligenda est: ideo nec noctu exponat ſe aëri, neque in Sole ambulabit. Abluet caput ſingulis ſeptimanis ſemel, ſuauiſſimeq; ſine multa frictione exiccabit: roſæq; ſaluia, & fruſtulū agarici bullient in lixiuio. Cauebit à vino potenti: ſed & acidum auſterumq; euitabit, eligetq; tenue, maturum, pauciferum, quod etiam parcè bibet. Simplici cibo contentus erit, parciusq; cœnabit, nec niſi poſt duas horas cubitū accedet. Fugiet diurnū ſomnum, ac venerem: vteturq; ſingulis diebus antequā è lecto ſurgat frictionibus vniuerſi corporis, & poſt frictiones linimento ex oleo garyophyllorum, quod venditur ab vnguentarijs. Prouidebit ſingulis diebus, vt ſubducatur aluus, & ad hoc vtetur pinguiſſima terebinthina pondere trium drachmarū, tribus horis ante prandium, quam deuorabit hoſtia aut ſimili re inuolutam. Præſtantiſſimum eſt, ſi quotidie hora ante prandium deglutiat zucchari roſati ſemunciam. Bis in anno purgandum conſulo, quemadmodum viſum fuerit præſentibus medicis. Singulis ſeptimanis ſemel ſaltem ſumet ante cœnam drachmam pilularum de hiera ſimplici. Tempore paroxyſmi, dum primò incipit, illinet frontem, vtraq; tempora, collum, & circa ſcapulas, dimittendo ſpinam, quæ nullo modo tangeretur tali linimento:

℞. Terræ ſigillatæ

Boli Armeni orientalis

ana ʒ j.

Hypociftidos

Acaciæ

Acacię ana ʒ ij.
 Albuminũ ouorũ conuassatorũ num. iij.
 Aceti mediocris ʒ iij.
 Misce.

*Consult. XVII. De dolore capitis & dentium, cum
 uarijs symptomatibus, pro nobilissi-
 ma quadam matrona.*



Abita matura consideratione omnium symptomatum, quibus affligitur hæc nobilissima matrona, reductis omnibus seorsim in suas causas, quemadmodum nos esse opinabamur, iudicauimus tria membra uniuersales esse causas eorum omnium accidentium, à quibus tanquam à principijs & origine omnia nascantur incommoda, hepate inquam, cerebro, & ventriculo. Atque hepar quidem naturali sua ac fortè etiam aduentitia caliditate, plurimum sanguinis feruentis biliosum & adusti generare. Ventriculum tum ratione imbecillitatis propriæ, tum etiam ratione obiectorum, cibi inquam & potus, quorum usum audimus sine aliquo defectu esse, plurimum generare pituitæ, quæ partim per venas distribuitur, partim in vapores versa ad cerebrum ascendit, partim in ipso ventriculo & intestinis immoratur, motura mensum tempore dolores illos & flatus, qui deinde facilè superius & inferius extrudantur. Cerebrum præterea siue ob innatam humiditatem, siue ob acquisitam, quod magis credo, accedentibus plurimis ac molestis cogitationibus, neque ipsum deest in quamplurimis frigidis humoribus generandis, qui deinde ad ventriculum per vias latas & communes, tum per venas ac spinæ vertebrae per totum corpus disseminati ac sanguini admixti, statis temporibus generant extremi-

tatum intolerabiles dolores ad illas partes expulsi. Cùm verò totum corpus perpetuò redundat feruentissimo sanguine, qui tanquam alimentum ad singulas corporis partes necessariò deferatur, quæcunq; eius pars subtilior acriorq; est, ad cutim tanquã excrementum defertur, attenuando subinde & insensibiliter difflando. Hæc igitur pars ita attenuata & ad descensionem parata, si fortè frigori vel ex aqua vel ex aëre occurrerit, statim condensatur, meatusq; adstringuntur. Vnde introclusi spiritus illi tenues, acres & mordicâtes, necessariò primò excitant prurimum, deinde dolorè, multiplicata videlicet materia & sibi inuicem succedente: vnde etiam in ea parte dolente ex multiplicatis scilicet vaporibus, color flautus apparet. Hoc autem ita esse facilè indicat consueta curatio. Audimus enim, quotiescunq; rursus locus incaluerit, vel frictione vel re calida admota, evanescere statim pruritû, dolorem & colorè flauum. Hæc igitur cùm ita se habeât, sintq; illæ tres vniuersales causæ in ventriculo, cerebro & in hepate, ad quæ singula referuntur, dicimus quidem perfectâ curationem in hac nobilissima matrona non esse exigendam: neque enim eorû membrorû vel naturales, vel tâquam naturales dispositiones tolli poterût, in pueritia secus certè, iam & plurimis negotijs implicata. Credimus tamè magna ex parte sedari posse symptomata, si duo pro curabunt. Primò, vt corpus bene expurgatum ac difflabile tam internè quàm externè reddat, viæq; omnes ad naturalè distributionè & excrementorû expulsionè aperiâtur. Secùdò, si membra corroboretur, hepar quidem ad moderatiore caliditate reducèdo, cerebrû modicè exiccâdo, ventriculû calefaciendo. Hæc est summa intétionû, iudicio nostro, quas in hoc casu debet medicus intueri. Inter instrumeta

menta autem particularia primò quidem est diligēs
 victus ratio, deinde opportuna euacuationes tum
 per pharmaciam, tum per sanguinis missionem. De
 ratione victus statim apparet eum esse eligendū, qui
 & optimo alimento corpus reficiat, & nullo incom-
 modo afficiat. Erit igitur primùm circa aërem ita stu-
 dendū, vt in eo nullus excessus appareat: siue enim
 calidus, siue frigidus fuerit, ob membrorum diuersi-
 tatem, semper habebit quod huic nobilissimæ ma-
 tronæ negotium faceffat. Molestias animi quantum
 potest effugiat, ab hac enim causâ multum detrimen-
 ti accessisse arbitramur. In cibo & potu, cauendum à
 vinis potentibus, præcipuè si nigra & crassa fuerint.
 Limpidum ergo vinum eligere oportet, bene matu-
 rum, mediocris potentie, vel album vel nigrum. Om-
 ninoq; cauebit à potu aquæ, quâ si propter aliquam
 occasionem bibere cogatur, eligat quæ in illa ciuita-
 te laudabilior habetur, admisceatq; vinū: pura enim
 nequaquâ bibenda est. Carnes omnes antiquas, bu-
 bulas præsertim, effugiat, & quæcunque sunt auium
 palustriū. A falsis omnibus abstineat, ab acribus, qua-
 lia sunt cepæ, allium: & lacticijs, & præsertim anti-
 quo caseo, & pastilibus, à piscibus palustribus. quòd
 si etiam pisces optimi fuerint, parcè quoq; illis vtatur,
 quamuis eorum vsus non omnino sustulerim.
 Olera, præsertim syluestria, sunt omnino euitanda.
 Fructibus etiam horarijs parcissimè vtatur, & nō nisi
 ante cibū: omnino enim à cibo sunt fugiendi. Studeat
 vt quotidie beneficium alui habeat, quātumq; matronæ
 cōuenit, corpus matutinis horis exerceat, pomeridianis
 quiescat potius, iucundeq; cum familiaribus tempus
 transigat. Hæc quantū ad victus rationem pertinet. Pro
 euacuatione bis singulis annis euacuabitur, vere inquam
 & autumno, ac primò per

sanguinis missionem, deinde per pharmaciam: sanguinis tamē missio semel tantum singulis annis sufficiat, atq; illud vere magis quam autumno. Si igitur feruor tēporis hoc anno non impedierit, purgari poterit in hoc Iunio mense, primò cum vncia vna floris cassiæ, adiectis drach. duabus specierum hieræ simplicis. Quo pharmaco sumpto, proximo sequenti die syrupum accipiat, qualis est infra scriptus:

℞. Syrupi de cichorea Nicoli cum rheubarbaro
Mellis rosati ana ℥ j.
Aquæ betonice ℥ iiij.

Misce pro vno, & sic pro alijs septem. Sumptis duobus primis syrupis, mittatur sanguis à vena communi dextri brachij vsq; ad vncias octo vel decem. Post septem syrupos bibat infra scriptum pharmacum:

℞. Confectionis hamech ℥ iiij.
Syrupi rosati solutiui ℥ iiij.

Cum aqua betonice fiat potio danda in aurora cum custodia. Quòd si feruore æstatis impediēte purgari non poterit, ad proximū mensem Septembris differatur. Hæc quantum ad euacuationē vniuersalem singulis annis seruandā, Atq; vt melius tum euacuari, tum etiā auerti possint humores, consulo vt præter annuas illas euacuationes habeat quasdam pilulas familiares, quibus frequēter vtatur: erunt autem sine custodia, & sine aliqua molestia sumendę, qualis esset huiusmodi descriptio:

℞. Rheubarbari electi
Aloës optimæ
Myrrhæ ana ℥ iiij.
Crocii ℥ j.
Sandalorum citrinorum
Rosarum rubearum
Myrobalanorum chebulorum ana ℥ s.
Garyo-

Garyophyllorum ℞ ij.

Puluerizentur omnia subtilissimè: deinde aspergan-
tur succo rosarum puro, & permittantur exiccari, &
ita reiteret̃ septies: postea cum melle rosato fiat mag-
daleo, de quo fiant pilulæ pro singula drachma tres,
de quibus vnam, aut alterâ, aut etiam tres, si parum
eduxerint, sumantur hora vna ante cœnam, ter aut
ad summum quater in mense. Hæc igitur satis dicta
sint quantum attinet ad vniuersalem corporis pur-
gationem, quemadmodum antea pollicebamur.

Quantum verò pro membrorum corroboratione,
primò quidem caput quater saltem in mense laua-
bit hoc modo. Fiat lixiuium ex cinere salicum aut
vitis, in quo deinde coquatur rosæ, folia myrti, ma-
ioranæ, camomillæ, singulorum drachma, & agarici
electi. Deinde forti colatura & expressione facta sin-
gulorum, hoc decocto caput lauabitur. Item singu-
lis saltem septimanis in tinea vel dolio ad id commo-
dè fabricato, quod sit oblongæ vel oualis figuræ, to-
tum corpus fouebit & lauabit cum aqua dulci mo-
deratè calida, in qua decocta sit camomilla, anethū,
pulegium, maiorana, & betonica. Ventriculo ce-
ratum apponat compactū ex mastiche, aloë, myrrha
& ladano partibus æqualibus, quod perpetuò adhæ-
rebit ventriculo, præter horas quibus morat̃ in bal-
neo, & præter diem in quo sumet pilulas, addito e-
tiam proximo sequenti. Utatur quàm poterit frequen-
tissimè zuccharo rosato optimo vnius anni, quod su-
mat hora vna ante cibum manè, seu ante prandium,
pondere vnius vnciæ, aut saltem dimidiæ. Quòd si
etiam, his nō ita perfectè conferentibus, cauteria fie-
rent in tibia vtraq; in loco consueto, crediderim fo-
re illi remedium præstantissimum. His omnibus ritè
peractis speramus nobilissimā matronam aliquid in

melius prouectum iri, & à deterioribus dispositio-
nibus præseruatum iri, ad laudem Dei opt. max. Cu-
ius nomen sit benedictum in secula.

Consult. XVIII. Pro puella epileptica.



IN casu proposito vtar omni breuitate,
qua potero, non tamen ea, vt videar ali-
quid quod necessarium sit, prætermitte-
re. Ne igitur tempore abuti videar, deu-
niam ad casum istius nobilissimæ puellæ. Suppo-
natur istam pati epilepsiã, quod apparet tum ex sym-
ptomatibus, tum ex relatione nobis facta à medico
ita affirmante: & non morabor nunc in recensendis
omnib. causis ipsius epilepsiæ, quoniã necessariũ esse
minimè puto. Ideo ero breuis in recensendo quas-
dam causas, quas ponere oportet, quoniam ista labo-
rat tali morbo ex diuersis causis. Quantum ergo ad
efficientes causas, quædam sunt intrinsecæ, quædam
extrinsecæ. Intrinsecarum prima est inundatio, siue
agitatio spirituum in ventriculis cerebri, ita vt spi-
ritus impediuntur à libero transitu. Secunda causa est
ebullitio humorum, siue spirituum contentorum in
ventriculis cerebri, quomodo scilicet propter cali-
ditatem incipiunt ebullire ipsi humores, & spiritus.
Tertia causa sunt humores contenti in cerebro, qui
sua crassitie, visciditate & multitudine obstruunt ven-
triculos cerebri. Quarta causa sunt vapores, vel ma-
la qualitas, ascendentes ad ipsum cerebrũ ab istis par-
tibus inferioribus, sicuti à ventriculo, hepate, vte-
ro, & consimilibus: qui quidem vapores & mala qua-
litas cum petunt cerebrum, excitant motus istos epi-
lepticos. Et sic istæ sunt quatuor causæ intrinsecæ.
Extrinsecæ verò potissimæ sunt, aër, cibus & potus,
accidentia animi: temperatura etiã potest hoc idem
efficere.

efficere. & has volui enumerare causas, quas duxi esse
 necessarias in cognoscenda hac ægritudine, qua
 ista puella laborat. Materiales verò causæ istius ægri-
 tudinis sunt vel humores, vel vapores. humores qui-
 dem aut sanguinei, aut melancholici, aut pituitosi:
 qui quidem humores vel sunt in cerebro, vel in par-
 tibus inferioribus. Si in cerebro, dicuntur causare epi-
 lepsiam in capite per essentiã. Si in inferioribus, per
 consensum, quando scilicet eleuantur vapores, aut
 mala aliqua qualitas, sicuti à vermibus, aut à morstu
 scorpionum, aut à consimilibus, quæ qualitas tendit
 ad ventriculos cerebri, & motus hos excitat epilep-
 ticos. De loco autem nihil dicam, cum satis per se
 constet. At cum sint tot causæ, iudicás ne ab aliqua
 istarum, an ab omnibus talem affectum generari in
 hac puella? Credo ego quantum ad efficientes atti-
 net, primò quòd adsit illa inundatio spirituum, vt in-
 dicatur à strepitu illo percepto, ac si aliqui dimica-
 rent. Secundam etiam adesse causam credo: nam di-
 xit se percipere veluti fulgura quædam præ oculis:
 & sunt vapores quidam ignei, qui faciunt ebullitio-
 nem spirituum in ventriculis cerebri, & faciunt ap-
 parere ista fulgura. Quòd autè tertia causã adsit, sci-
 licet obstructio ex humoribus crassis & viscidis ac
 multis, patet: nã hoc indicat grauitas capitis. Quòd
 etiam adsit mala qualitas, arguitur, quoniam reten-
 ta sunt menstrua, à quibus eleuantur vapores vene-
 nosi ad ipsum cerebrũ. Quòd autem à menstruis ele-
 uentur isti tales vapores, testatur Gal. in v l. de lo-
 cis affectis vltimo. Et sic videtur quòd omnes causæ
 efficientes cõcurrant in ista nobili muliere, &c. Ac-
 cedit postea temperatura humida vniformis huic di-
 spositioni: nam audimus corpus eius esse carnosum,
 pingue: corpus autem in quo est pinguedo cum car-

nositate, significat quòd in eo dominat̄ caliditas, & humiditas. Si autē fuerit plus de pinguedine quàm de carne, ostendet humiditatem præpollere caliditati: & cōtrā si plus de carne, quòd caliditas sit maior. Ideo temperatura hepatis in ista calida est & humida, & nulla est tēperatura magis apta ad replendum caput, quàm ista. Et sic inter causas efficientes connumeranda est temperatura. Quòd autē ratione cerebri disponatur ad epilepsiam, patet: nam audio quòd semper habuit debile caput, & semper fuit affecta aliquo dolore ipsius capitis. Causæ autē extrinsecæ, fuit mala ratio victus. Accedit etiam, quòd incœpit alere illos vermiculos, à quibus tum putrefactis, tum viuis, eleuantur mali vapores, qui quantum possint disponere ad hos motus epilepticos, vnicuiq; per se patet. Habuit insuper retentionē mēstruorum. Accedit ad hæc omnia regio ipsa, quæ primò est exposita Austro: Auster enim spirat per hos lacus Venetos, & accedit ad hos valde humidus. Ex parte autē Septentrionis sunt mōtes, & spirat Boreas, & credendū etiam ibi esse valles, in quibus colligitur iste ventus, & vnitur, & causat maxima frigora. & sic Auster humectando, & Boreas refrigerando, potuerunt hanc malam qualitatem & affectum inducere. Et sic omnes ferè causæ concurrunt, & nulla fuit à nobis superfluè enarrata, neque enumerata. De causis autē materialibus, credo quòd humores sint in cerebro: nam habet grauitatem cum summa frigiditate in parte posteriori: ideo concedendum est quòd ibi sit plurima pituita. Quantum verò ad consensum, credo quòd adsit consensus veteri, ventriculi, & totius. Et ista materia in capite est difformis: nam in parte anteriori sunt vapores illi ignei, in posteriori autē pituita frigida. Talis igitur est ægri-

est ægritudo istius puellæ, quæ agit x x i i. annum. Et hoc notandum, quantum ad prognosticum attinet: nam ubi puella creuit vsq; ad x i i i. annum, & non sunt remotæ eæ malæ affectiones, nõ est sperandum quòd ita facillè debeant remoueri. Nam ratione ætatis verendum est, ne ægritudo ista sit incurabilis, præsertim alijs cõcurrentibus. Sed quicquid sit, cura nõ est impossibilis, & si nõ poterit penitus tolli, saltẽ efficietur leuior. Et hæc quantum ad prognosticum. De curatione autem, ex quo tot habet causas, oportet singulis occurrere: nam intentiones tum curatiuæ, tum præseruatiuæ sumentur ab illis: oportetq; omnes causas amouere extrinsecas. At si posset mutare aërem, mihi summopere placeret: & si non potest, caueat à ventis australibus, & alijs ventis, & remaneat in cubiculo bene disposito, & alteret aërem ipsius cum aliquo alterante: vt, si esset acetum cum aqua rosata, & fieret suffumigium cum garyophyllis. Et mihi summopere placeret, vt in cibo haberetur maxima cura, vt scilicet vtatur attenuanti diætã: nam si ventriculus abundat pituita, & in toto redundant plurimi humores crassi, nihil melius quàm quòd attenuetur, ex quo etiam prouocarẽtur menstrua. Et panis sit fermentatus, in quo ponerem anisum, & cinnamomum: cinnamomum enim est tenuissimæ substantiæ, si quid aliud. Quantum verò ad carnes attinet, omnes quæ habent vim attenuandi. Galenus autem in hoc affectu exhibebat Apium, quod tamen Auic. maximè detestatur, & dicit quòd nihil deterius: imò quòd à proprietate nocet ipsis epilepticis: & tamen Galenus vtitur eo pro medicina cõuenienti. Sed credo ego quòd Apium apud antiquos, quod nos Petroselinum vocamus, nõ est ita vaporosum, sicuti apium. Et si consideretis, in apio

sunt plurimæ humiditates indigestæ, crassæ: nam in tota ferè hyeme est pertinacissimæ viriditatis, & est vaporosum, ac replens caput: & de isto intelligit Auic. à quo est summopere abstinendū. Sed Galenus intelligit de petroselino, quod conuenit in ipsa epilepsia: & hoc modo isti duo magni viri poterūt conciliari. Et sic attenuanti diætā est vtendū. Vinum autem, quoniam est inter attenuantia, videretur conueniens, licet in principio morbi prohibeatur: hoc enim fit iure: nam triplici causa prohibetur vinum, morbo existente crudo, dolore capitis, & inflammatione intrinseca. Nam si exhiberemus vinum materia existente cruda, præcipitaretur ipsa materia: & in epilepsia incôcocta materia est, & mala. Vinum, vt inquit Auic. dilatat animā, & adiuuat cōcoctionem, moderatè tamen sumptum: vinum autem forte & validum percutit neruos, & caput: sed laudare vinum pauciferū. De carne autem & alijs nihil aliud dicam. Factis his, cū morbus habeat duas materias, pro materia quæ est in inferioribus vellem diuersiones, & vellem habere ea quæ continuò diuerterent materiam à capite, & lubricarent aluum, vt pilulæ ex myrrha, aloë, & rhabarbaro: ex ijs enim haberemus euacuationem materiæ, & apertionem menstruorum: & si ijs adderetur aristolochia longa, esset optimum: & sumantur per horā ante cibum: & prouocentur menstrua cum pessarijs, cum lotionibus non multum euaporantibus, vt si decoqueretur pulegium, calamentum, bacca lauri, & lauarētur pedes cum tali decoctione: & ante cibum vel manè vel sero cucurbitulæ applicentur poplici. Et si ista non euacuant menstrua, non mihi displiceret euacuatio hæmorrhoidarum: ista enim iuuarent ratione diuersionis per rectum: nam vereor ne tanta multiplicetur materia, vt tandem

tandem fiat apoplexia, & mors. Præterea euacuare-
tur cum tali aliquo, qualis est hiera Logodionis, vel
Hermetis, vel pilulæ cochix, vel confectio Hamech,
& similibus, in quibus est vis agarici, & colocynthi-
dis, rarò tamen: nam si hæc fortiora sæpius sumeren-
tur, debilitarentur spiritus animales, & ventriculus,
ex quo fieret apoplexia. Ideo nollem crebrò vti ijs
medicamentis vehementioribus, ne debilitetur ip-
sius virtutes, & membra. His nõ iuantibus, & acce-
dente vere ad ipsum caput accederè cum valde exic-
cantibus, & cum cauterijs, synapismis, rubificationi
bus, vesicatorijs, quæ & capiti & spatulis essent ap-
plicanda, sicut de ijs tunc melius cõsulendum esset.
Si etiam exhiberetur decoctum ligni, non esset ma-
lum: nam ex ipso haberemus attenuationem ipsius
materiæ faciētis epilepsiam, & multa alia bona huic
morbo occurrētia. Et vellem quòd ter in mense tan-
tum Mithridati acciperet, quantum esset vna drach-
ma, cum aqua pæoniæ, & vteretur ipsa pæonia in om-
ni suo ferculo. Laudarè etiam scarificationes saphe-
næ, quando cætera non prouocarèt menstrua. Et ita
sperarem hanc nobilissimam puellam posse, & si non
penitus curari, saltem præseruari.

*Consult. XIX. De intemperie humida cerebri, & de
præseruatione dentium à nigredine & putredine,
pro puero nobili Germano.*



Ria à nobis requiruntur. Primò, cùm ce-
rebrum & caput suapte natura valde hu-
midū sit, ad temperiem magis æqualem
quomodo reduci possit. Secundo, quo-
modo detes ad putredinē nigredinēq; præclues,
præseruari & custodiri possint. Tertiò, vtrū dentes
qui iam ad nigredinē & putredinē deducti sunt, pos-

sint vel arte vel natura restaurari. Ad primum quali-
 tum respondemus, cerebrū posse ad maiorem æqua-
 litatem traduci, ablata superflua humiditate, non so-
 lum arte, sed etiam natura. Constat enim pueros om-
 nes humidioris esse cerebri, & postea in ætatis incre-
 mento exiccari magis, & ad æqualitatē quandā per-
 uenire. Habebit igitur & istud nobilissimus puer,
 quòd beneficio ætatis in melius verget: sed non pro-
 pterea ars ociosa esse debet in adiuuanda natura, præ-
 fertim cum illa cerebri humiditas eò deueniat, vt
 multorū incōmodorū causa fuerit. Hactenus autem
 non desuimus cōsulendo, credoque curatores suos,
 quæ probauimus antè, videlicet ea quæ moderatè
 exiccant, adhibuisse: vt tamen magis ac magis opta-
 tum finem consequi possit, nunc quoq; pauca dice-
 mus. In ratione victus præcipuā perseueratēq; cu-
 ram adhibere debemus, sine qua rectè nihil fieri po-
 test. Post reliqua aër est præcipuè obseruandus. Ideo
 animaduertendū, si quandoq; in Germaniā accesserit,
 nam certè accessurus est, vt caueat ab intensa fri-
 giditate & humiditate aëris, eligatq; loca quæ mini-
 mè de his qualitatib. participant: & si cogatur in tali
 aëre manere, caput suum aliquo cooperimento mu-
 niat, & vtatur odorem calidis & siccis, sicut est
 suffumigiū ex storace, belzuino, decocto garyophyl-
 lorum, corticū citri in aceto & aqua rosata, ac pluri-
 bus huiusmodi. Circa potū caueat à potationibus,
 & vino potenti: hæc enim maximè replent caput, &
 calorem innatum extinguunt. Fugiat ventriculi cru-
 ditates, vtaturq; vino simplici & moderato. Et quis-
 nam cibus esse debeat, iam frequētissimè sibi præce-
 pimus: neq; enim à laudabilibus carnibus est abscen-
 dendū, qualis est vitulina, hædina, pullorū, & auium
 campestriū, caponum senum: oua sorbilia, & fercu-
 la ex

la ex hordeo, oryza, panico, concedunt. Cauendum est ab oleribus, piscibus, à lacticiuijs & leguminibus à rebus frictis & fructibus quantum fieri potest: hæc enim omnia cruditatē habent, caput replent, humorēq; excrementitium efficiunt. Hęc in ratione vitus seruari debent, vt caput ad æqualem temperaturam reduci possit. Quantū verò ad medicamentum attinet, optimum erit si bis singulis annis purgabitur, vere inquam & autumnō. Purgatioq; sit talis:

℞. Aloës optimæ ℥ iij. Detur per vnā horam ante cœnā. Postridie incipiat sumere infra scriptum syrupum per dies septem:

℞. Syrupi de betonica

De sthœcade

ana ℥ j.

Deco- { Saluix }
tionis { Maioranæ } factæ in aqua melissæ
 { Betonicæ } destillatæ ℥ iij.

Misce pro vno syrupo, & sic pro alijs. Vltimò pilularum cochiarum ʒ j. vel indarum, vel confectionis hamech cum zuccharo in bolo, in haustu in decocto betonicæ, prout illi placuerit: detur in aurora cum custodia. Hęc satis sint pro euacuationibus. Spatio verò quod est inter ambas purgationes, vtetur semel tantum in septimana hora vna ante cœnā ℥ j. aloës optimæ in pilulæ formam redactæ: ac præterea sepius accipiat manè myrobalanum chebulum conditum in Oriente: erit enim efficacissimū medium ad exiccandum cerebrum, corroborandūque. Præterea vtetur lotionibus capitis singulis septimanis semel tantum, quæ sint ex lixiuio dulci factō ex sarmentis vitiū, vel ligno salicis quantū sufficit, maioranæ, saluix, betonicæ, rosarum rubearum, ana manip. j. Agarici ʒ j. Decoquant omnia in prædicto lixiuio, & cum hoc caput abluat, deinde mo-

deratè siccando extergatur cum pãnis moderatè calidus. abluatur vespertinis horis ante cœnam, ita vt non amplius in aërem exeat vsq; ad sequentem diem. Item gestet continuè in manibus poma odorata arte confecta, & poterunt esse huiusmodi:

℞. Seminum nigellæ	3	iiij.
Garyophyllorum		
Nucis muscatæ	ana	3 iiij.
Storacis calamitæ optimæ	℥	iiij.
Laudani electi mollis	℥	ij.
Musci		
Ambrae	℥	j.

Cum mastiche & colophonia dissolutis secundū artem, admiscendo aquam rosaceam, & oleum aromaticum garyophyl orū, vel cinnamomi, fiat pomum, & vtatur vt suprâ. Hoc quantum ad cerebri temperiem inducendam, quod primum fuerat à nobis propositum. De secundo, de præseruatione dentium à putredine & nigredine, erit sciendum primò, quæcunq; diximus ad cerebri temperaturam corrigendam, maximè etiam facere ad dentium præseruationem, si modò credimus, sicut credendum esse arbitror, dentes & nigrescere & putrescere ab excrementia cerebri humiditate: erunt tamè nonnulla localiter adhibenda, vt dentes præseruentur. Quamuis multa iam præcepimus facienda, nihilominus addentur quoque alia quædam, ita tamen vt ea quæ hætenus instituimus non propterea contemnantur. vnumq; erit quod præstantissimū iudico tum ad abstergendos mundificandosq; dentes, tum etiam à putredine conseruandos, quod eiusmodi est:

℞. Ofsium dactylorum	3	ij.
Coralliorum rubeorum	3	j.
Farinæ lupinorum	3	iiij.

Scillæ

Scillæ assatæ 3 vj.

Radicum iridis 3 iij.

Contundantur contundenda, & omnia misceantur cum optimo melle, deinde fiant trochisci parui, & exciccentur in umbra: postea vsus tempore dissoluantur vel in aceto scillitico, vel in vino albo, vel in decocto ramorum lentisci cum vino, & cum eo liquore abluat singulis diebus manè dentes, & foueatur, tenendo in ore istum liquorem, in ea maximè parte, in qua putrescunt dentes: sed prius diligenter fricentur panno albo, subtili, mundo. Et si videbuntur ginguarum quandoq; nimis rubearum, liuidarum, vel tumetes, scarificentur manè, ita vt inde sanguis exeat, qui exprimatür diligèter & expuatur: postea in ore teneatur vinum nigrum calefactum, in quo saluia, rosarum, & balaustia decocta fuerint. Aliud dentifricium optimum:

℞. Corticum ostreorum combustorum & pulverizatorum 3 iij.

Vernicis seu Sandarachæ 3 iij.

Radicum iridis 3 ij.

Radicis Aristolochiæ

Gentianæ

Centaurij maioris ana 3 ij.

Terantur omnia per se, deinde misceantur, & excipiantur cum oxymelle scillitico, fiant trochisci parui, & postea tempore vsus fricentur dentes cum illis, & lauentur dentes cum aceto scillitico, vel dissoluantur isti trochisci cum vino, & fiat sicut suprâ dictum est. Aliud præstans remedium, quod dentes mirum in modum abstergit, & à putredine præseruat, ita vt prius frictis dentibus sola gutta liniat dentes cum oleo vitrioli, & postea perfricentur cum panno asperiori: statim enim decidunt sordes per plurimum temporis collectæ in eis. Si haberi etiam pos-

set cedria, optimum esset ad eundem vsu. quòd si haberi non poterit, loco eius vtatur oleo per artem destillato ex vernice seu sandaracha, hocq; idē præstare poterit quod cedria. Quantū ad tertium, non videmus dentes euulsos aliquo pacto vel artificio refici posse, sicut & aliàs affirmauimus.

Consult. XX. De catarrho, & spūto sanguinis periodico, pro nobili Veneto.



Vius nobilissimi viri supponatur hepar & cor calida admodum temperaturā à natiuitate fuisse, & ventriculum à natiuitate frigidum, sicut hoc perpetuò accidit ijs, qui habent hepar calidum. & rationabile est, quia tales non habent multam carnem in suis ventriculis, quod est vnum quod in ventriculo facit caliditatem, cū plurima caro est in fundo ipsius: tum etiam, quia caliditas hepatis adurit pinguedinē quæ in omēto est, quæ etiā ipsa caliditatē facit: tum quia musculi longitudinales abdominis graciles sunt. Et ideo quia tales non habent musculos amplos circa fundum stomachi, nec pinguedinem circa ipsum myrach, & circa cutem ipsarū, ex his malè concoquunt. præterea habent nocumentum, quia nō retinent in ventriculo cibum, quandiu oporteret retinere pro optima concoctione, quia hepar propter sui intensam caliditatem attrahit ad se citius quàm oporteret. Habet igitur nobilissimus iste vir frigidum ventriculum à natura cum hepate calido, addita omni mala victus ratione, & maximè in coitu: quia vt audiui, in xli. suæ ætatis anno cœpit vti coitu immoderato admodū. Et nos scimus quòd in illa ætate, cū fit incrementum, vix sufficit alimentum pro incremento corporis, ideo non opus est vt aliò demandent;

dent: & huiusmodi habent texturas raras, vt nõ possint sustinere sanguinis missionẽ. Et scimus ex Galeno, quòd maior sit euacuatio ex vnica feminis emissione, quàm si quadragesies mitteretur sanguis. Et ideo credo ego quòd causa ista fuerit efficacissima ad augendã ventriculi frigiditatẽ. Sunt & alia signa: solitus est aliquando redundare pituita acida, quam euomit aliquando. Habet præterea cerebrũ inæquale admodum. Et quia video aliquos medicos hæsitare circa capitis tẽperaturã, ex hoc arguo cerebrum neq; temperaturæ admodũ calidæ, neq; admodum frigidæ esse: quia sic faciebat Galenus IIII. Methodi loquens de aceto: quia acetum non excedit neq; in caliditate, neq; in frigiditate, ideo, inquit, dubitarunt multi an esset calidæ, an frigidæ temperaturæ. Ita ergo de cerebro istius nobilissimi viri, dico non excedere multum per caliditatẽ, neq; frigiditatem. & primò quantum ad agnata: pili enim sunt albidii, & sic capilli. an verò sint molles & tenues, quia non tetigi, non possum super hoc dicere: habent enim colorem attestantem super debilitatem caloris, & super debilem frigiditatem, tamen videtur mihi quòd magis ad frigiditatem declinet. Vtrum verò cum remissa caliditate vel frigiditate iuncta sit humiditas, vel siccitas? Si deponere debeo quid sentiam, dico quòd magis siccitas dominatur: & ratio est, quia video promptitudinẽ operationum in agendo: & cùm non sit immẽsa caliditas, sed remissa, si ei iuncta fuisset humiditas, nõ fuisset ita acris ingenij: sed vbi non est caliditas admodũ intensa, tamen iuncta sit siccitas, illi prõptissimi sunt ad operationes, & acris admodũ ingenij, & magis etiã, quàm qui calidi sunt admodũ cerebri. Ideo qui moderatã habent frigiditatem cũ siccitate, illi sunt acerrimi ingenij: imò vide-

mus melancholicos optimi ingenij esse, quia habent cerebri temperaturam frigidam & siccam, nō tamen cum multa frigiditate. Arguitur præterea ex ægritudinibus calorem cerebri esse diminutū: & quia non poterat conficere alimētum sibi demandatum, ideo pustulis redundabat, quæ pustulæ à pituita falsa proveniunt. Habuit præterea à principio suæ natiuitatis redundantiam catarrhi per nares, quæ omnia arguunt super debilem cerebri caliditatem. Item ex mala victus ratione, & præcipuè ex coitu redditum est frigidius, quia nos scimus quātum infrigidet ipse coitus. Ideo quantum ad cerebrum, crederem ego quòd sit frigida & sicca temperaturæ: & sic etiam ventriculus, quia siccitas est sibi naturalis cum caliditate remissa, quæ postea ad frigiditatem declinauit, tum propter inordinatum regimē, tum propter coitum, cuius signum est redundantia pituitæ: cum etiam hepar sit calidæ & sicca temperaturæ. Ex qua membrorum inæqualitate si studuisset dedita opera in istas ægritudines incidere, nihil aliud fecisset, & maximè si in fluorem sanguinis deuenire voluisset. Primò enim habuit fluorem sanguinis per nares, secundò per sputum, tertio per vrinam. Et iam sunt septem anni ex quo patitur symptomata hæc. Præterea incidit in aliam dispositionem peiorem, scilicet in catarrhi destillationem à capite, à qua procedunt symptomata multa: & præter fluorem sanguinis habet tensionem etiam circa hypochondriū dextrum, & etiam quandoq; cum dolore ad tactum: habet difficultatem anhelitus, quæ incipit in confinio thoracis, & membrorū naturalium. Et quæsiui ego diligentissimè, an percipiat sonitū aliquem in anhelitu, & negat se sentire. Habet præterea febriculam diuersam quidem, quia prima vice qua tetigi ipsum,

inueni

inueni calorem adurentem tactum cum pulsus inæqualitate. Heri verò cum tetigi, sensi caliditatē quidem, sed admodum remissā, & in pulsū nō tantam inæqualitatem: & hodie reperi caliditatē adhuc minorē: & vrinę rubeę perseuerauere. Et ista sunt accidentia, quibus affligitur nobilissimus uir iste. Et licet nunc nō patiatur sanguinis fluorem, tamen non minus est considerandus, quā sit catarrhus qui adest, quoniam natura sanguinis nobis ansam & ad iudicandum, & ad curandum maximā dabit. Incipiam ergo primò à catarrho, deinde ad fluxum sanguinis deueniam. Quantum sit ad catarrhū, oportet primò videre in quo loco generetur catarrhus iste: deinde, cuiusnam sit naturæ, & reliqua quæ in catarrho considerari debēt ac solent. Catarrhus enim est species fluxionis: generat̄ ubi excrementa multiplicant̄, vel in toto vel in parte, & in partē corporis imbecillio rem demandant. Quod cōtigit in isto viro, ex mēbrorū inæqualitate, & mala victus ratione, cacochymia multā, & deprauationes, multorum humorum diuersitate, & etiā ex animi accidentibus quamplurimis, quæ passus est nobilissimus vir iste, secutæ sunt. His ita aggregatis cum cerebrum à natiuitate fuerit debile, & nunc maximè sit debilius propter causas iam dictas, nō mirum est si iste fluxionē patitur tum propter vapores à toto, à ventriculo, & ab hepate ascendentes. Et caput est magis aptum ad suscipiendas superfluitates, vt dicit Galenus I I I. de locis affectis, quā corpus, in quo est caliditas in ambitu venarū, & in hepate: & cum cerebrū naturaliter debile sit, non potest diffilare vapores illos nec cōcoquere, & hoc non solum per cōsensum, sed etiam per essentiam, & ratione propriæ imbecillitatis: ideo verè rheumatizans est. Habet præterea texturam admo-

dum raram : ideo à quolibet extrinsecò tum calido tum frigidò patitur mirum in modum, cum etià non habeat calorem innatū validum . Quantum verò ad naturam catarrhi, tenuis est & frigidus, & insipidus, quandoque tamē falsus. Quòd autem sit tenuis, cognoscitur ex hoc , quia fluit, & in principio tenuior adhuc erat: ideo Venetijs medici plurimùm laborarunt, vt crassifacerēt, sicut refert Magnificentià sua. Quòd autem sit frigidus, patet à substantia, quia pituita de se frigida est, nisi aliquid extrinsecus adueniat. Præterea est pituita insipida, quæ arguit maiorem frigiditatem. Præterea longam morā traxit, diu etià perseverauit: sed cum catarrhi diu perseverant, licet sint cerebri calidi, tandem fiunt frigidi. Tum etiam propter priuationem signorum catarrhi calidi, arguitur catarrhum istum frigidum esse: quia si esset coryza, quod nomē tractum est ἀπὸ τοῦ κορυφαίου, quod est lacerare & mordicare, quod etià annotauit Auicenna, nares mordicaret: sed non habet mordacitatem aliquam in descensu, neque in naribus, neque in palato, neque in faucibus, & est sine sapore aliquo. Non habet præterea sitim: ideo iudicandum est esse frigidum. Quòd si aliquando aliquam falsedinem habuerit, hoc fortè fuit, quia falsedo, vt voluit Galenus & Arist. fuit propter putredinē humoris crassi adusti: vel, vt voluit Auic. propter permixtionem vaporum calidorū & acrium, sit falsedo . In isto ab utraq; causâ tum à pituita putrescente, vt videbimus, tum ex permixtione vaporum calidorum , quia totum & maximè hepar calida sunt, à quibus euaporant vapores calidi & acres in non parua copia, ideo in natura sua frigidus est, & tenuis, & insipidus, quandoq; tamē falsus, propter causas iam dictas, & loquor de defluente. Quantū ad descensum videbimus, quòd ha-

bet

bet tres vias, per quas descēdit: primò per gulam ad œsophagū: & nos vidimus, cū accessimus, ipsum euomentem catarrhum, & pituitā illam à capite defluxam. Item destillatio illa quæ vadit ad ventriculum, facit obstructionem, & difficultatē anhelitus, licet sit in fine naturalium membrorū, quia tangit ipsum diaphragma, ideo potest facere anhelitus difficultatem. Alia via est per quam descendit catarrhus iste, & est per venas capitis, & deuenit ad venas thoracis, & fortasse est occasio non leuis quòd expuat sanguinem. Tertia via est aspera arteria, & descendit ad pulmonem, & excitat tussim, quæ est motus à natura factus ad expellendū excremēta in pectore contenta. Videndum modò est, an istud quod expuitur fit in concavitate pectoris, quia locus ille non est debilitatus, nec dolor præcessit, nec abscessus aliquis, sicut solet contingere in epyematib. post ægritudines pectoris, & post pleuritidē, & post peripneumoniā. Ideo credo ego quòd sit in substātia pulmonis. Vtrū modò sit purulētus? dico quòd nō est immunis nec liber omnino ab aliquali putredine, quæ fieri solet in humore qui potest putrescere, & nō descendit ad fundum vrinæ, quia non totaliter putridus est, & quia permixtus est cum pituita spumosa. Quòd si odorētis, sentietis aliqualem putredinē, nō qualis est illa quæ prouenit ab vlcere: & fit ista putredo à caliditate hepatis & membrorū inferiorū, quæ resoluit ipsius tenuiores partes. Possēt etiam per admixtionem bilis deferri per venas, quod nō credo, quia bilis signa perciperentur. Vtrū verò ab vlcere facto in pulmone proueniat sanguis iste? dico quòd nō, quia nullū est signū hoc indicās: nam si esset vlcus in pulmone, adesset febris fixa perpetua: & licet sit exēplū Gentilis, nescio quomodo potuerit ipse imaginari,

quo pacto etiam si inducatur callus in vena, non per seueret febris hectica. Præterea nō audiui, quòd Magnificencia sua incalescat post cibum, quod indicat mihi non esse febrē fixam. Præterea si tangatis arterias, non inuenietis in ipsis maiorē caliditatē quàm in reliquis partibus, quod quidem obseruauī, neque etiam duritiem aliquam. Præterea habet inæqualitatem in pulsu, quod non cōuenit in pulsibus hecticorum, imò sunt illi æquales. Præterea si esset hectica febris, colliquantur solida membra: sed non colliquantur, imò nutriūtur. Et sic dico quòd non videtur mihi, quòd adsit febris hectica. Neq; etiā est suspicio de phthisi: quia si esset phthisis, vt dicit Gale. primo de locis affectis, volens indicare an vlcus sit intrinsecū velextrinscū, dicit, esset pus. Non igitur est phthisis, quia non adest sanguis cum pure, neque pus vllum, neque viride, neque pus quod non possit cōmisceri cum sputo. Præterea vbi est vera tabes, nō poteritis ingredi thalamū, quin percipiatis odorem malum. Præterea virtutes omnes constant: sed si tabesceret pulmo, non constaret virtus cordis, nec esset talis color, si esset cōsumptio in substantia membrorum. Sed quæ est causa huius febris? dico quòd ista est febris potius putrida, proueniēs ab humoribus pituitosis emanantibus per venas pectoris, qui diffunduntur per sanguinē, & faciunt febrē occultam, quam Græci typhodē appellauere, & laticā Arabes, quæ simillima est hectica. Et aduertatis quòd textus antiquus Auicēne habet, cum rigore: sed nouus stat bene, qui dicit, sine rigore. Talis ergo febris est, nec ita facilè est iudicare, licet sit calor præter naturam, & pulsus inæqualis: quia, vt bene dicit Galenus quarto de causis pulsuū, & in de locis affectis, loquens de Antipatre medico, vbi materiæ sunt in pectore

ctore contenta, fiunt pulsus inæquales. Cùm igitur sint in isto humores in pulmone qui putrescunt, faciunt calorem quendam præter naturã, qui medius est inter calorem febrilem & non febrilem, & faciunt etiam maximam inæqualitatem: fit etiam propter vapores illos putridos eleuatos ad ipsum cor: & quia cor non potest ita bene euentari, ideo fit febris erraticã. De fluore ipsius sanguinis duo dicam: & primò de causis floris sanguinis per sputum, deinde de eo qui per nares, & qui per vrinas, & quare cœnosus aliquando fuerit. De sanguine igitur qui per sputum eijcitur, certum est quòd vel à superioribus, vel ab inferioribus membris excernitur, qui per tussim à pulmonis partibus eijcitur, & non per vomitum: quia tussis, vt iam dixi, est motus factus à pulmone ad excernenda excrementa ipsius pulmonis. An verò ad pulmones à capite demandetur, plurima sunt indicia quæ possunt hoc persuadere. Primò, quia ante fluxum apparet calor & grauitas circa ipsum caput, & cùm emanat sanguis à pectore, illic cessat & calor & grauitas illa. Præterea est & alia coniectura, quia eo tẽpore quo defluit sanguis per tussim, eodem tempore defluit etiã per nares, præterea sanguis qui expuitur, niger est quandoq; . potest etiam addi priuatio signi, quod est, quando à pulmone deuenit, spumofus est, vt dicit Galenus v. Aph. x i i i i. & v. de locis affectis: iste verò sine spuma est. Sed quia alij medici, qui ipsum curarunt, non affirmarunt quòd à capite flueret, imò inquit, quòd ei dixerunt à partibus superioribus pectoris emanare: ego si quod sentio in medium afferre debeo, dicerem à pulmone emanare, & non à capite. Et ad hoc me mouet autoritas Galeni in v. de tuenda sanit. qui dicit cõtra antiquos, Etiã sanguis à capite defluit, dum fauces oc-

cupat, & si mordacitatem nullam habeat, tussim excitat, & maximè antequàm venit ad pulmonem: nam si perueniret, ibi congelaretur & concrederet, & faceret sæuissimam accidentiam, & rigores maximos, & contractiones caloris, quorum neutrum huic accidit. Præterea sanguis dum defluit, percipitur maximè in vigilia: sed iste nobilissimus vir nunquam percipit talem descensum, ideo non possum persuaderi quòd à capite defluat. Neq; rationes, quæ istis difficultatem pariunt, vim aliquam faciunt: nam dicunt, cum accidit isti sanguinis sputum, percipit caliditatem circa caput & grauedinè, quæ cum expuerit cessat, quia credo hoc esse ex vaporibus eleuatis à partibus inferioribus qui petunt caput: quia dum sanguis aggregat, inflammatur pulmo, & fit id quod fieri solet in peripneumonia, si peripneumonia est inflammatio pulmonis. Cum igitur sanguis iste tenuis permixtus pituitæ à toto defluat ad partes pulmonis, inflammat ipsum, à qua inflammatione eleuatur plurimi vapores qui petunt caput, & inflammant & aggregant ipsum. Et quia fluit à naribus etià tunc temporis, dico quòd illa potest esse causa, quòd cum sanguis est feruens in toto, vel ab aliqua causa antecedenti, vel à causa aliqua extrinseca, à pluribus partibus potest simul erumpere, quia potest pars illius sanguinis deuenire ad nares, & illinc fluere: & sic potest esse causa quòd caput inflammetur & aggrauetur, cum sanguis à toto transmittatur ad nares. Et quia quandoque talis sanguis, qui expuitur, niger est, ideo credunt isti à capite prouenire. Sed potest etiam à pulmone fluere, & esse talis coloris: quia scimus, quòd nihil citius putrescit quàm sanguis, cum est extra venas. Ideo quandoque apparet rubeus, quia illicò cum exit venas expuitur: quandoq; verò subniger, quia facit moram, &

in principio apparet aliquo modo spumofus ex vehemēti tufsi: cū verò facit morā, deficit eſſe ſpumofus. Quia bene valet argumentū, expuit ſanguis ſpumofus, ergo prouenit à pulmone: non tamē valet eius oppoſitū, non eſt ſpumofus, ergo non prouenit à pulmone: & hoc dicit Galenus v. Aph. x i i i i. qui dicit: Quicunq; ſanguinem ſpumofum expuunt, hiſ eſt pulmone eductio eſt. Galenus in fine illius cōmentū dicit, quòd cū iſ ſanguis qui expuitur, ſpumofus eſt, indicat vlcera in pulmone, ita quòd verè dicatur ſolius pulmonis vlcera indicari, non verò vlcerato pulmone ſpumofum expui, dicit Galenus. Sæpius enim vidimus quibuſdam ex alto cadentibus, vel calcitratis, atque in paleſtra percuffis, ſanguinem plurimum expui cum tufsi bene coloratum, ſine vllo dolore, quem ratio dicitur ex aliquo pulmonis vaſe diſrupto prodire. Et ſic dico quòd licet non ſit ſpumofus, poteſt tamen à pulmone exire. neq; credo quòd à ſubſtantia pulmonis exeat, ſed à venis in eo exiſtentibus. Sed contrā inſtabis, ſi à pulmone, ergo phthiſis. Dico quòd non valet, quia triplex poteſt eſſe cauſa exitus ipſius: vel apertio orificiorū venarū, vel diſruptio ipſarū, vel corroſio ipſarū. Dico quòd quādo eſt corroſio in ipſis venis, quòd tunc caueat à phthiſi: cū verò fractio eſt in venis, quia vt plurimū, ſicut dicit Gale. v. meth. propter ſolutionē cōtinui ſit inflammatio, & ſic fiūt tabidi: ſed ſi ante triduū eis occurratur, plurimi ſanant: quia ſi prohibeāt inflammationē, tunc ſanant: ſed ſi ita relinquātur, poſt triduū ſequit̄ inflammatio, & ſic tabidi fiūt. Sed in apertione orificiorū venarū, quod in extrinſecis partib. videmus, quādoq; quòd in naribus aperitur aliqua vena, quæ poſt fluxionē ſanguinis clauditur: ſic etiam dicendum in interioribus, quia illa orificia clauduntur:

& nos curauimus annis præteritis Cameranū, & aliū Doctorem de Bataglijs, qui spuebat sanguinem ex apertione orificiorum venarum. Est tamē hoc etiam periculosum, quia potest contingere quòd sanguis ille non bene excernatur, & cū ibi retineatur, putrescit, & putrefacit quod sibi proximum est: quia quod tangitur à putrido, putrefit. Et ita credo esse in isto nobilissimo viro, quòd orificia venarum pulmonis aperiantur quandoq; & fuerint causa expuitionis sanguinis: & quia bene mundificatū est & expuitur totus ille sanguis, non causat accidentia alia. Sed adest tussis maxima, quæ si perseverabit, credo quòd facile ad rupturam venæ deueniet. His stantibus, quid dicendum de hac ægritudine? quia est destillatio perpetuò perseveras à capite ad pulmonem & ad pectus, & fluxus sanguinis periodicus è pectore timendus est, & est tussis vehementissima, propter quam maius adhuc instat periculū de sputo sanguinis. Dico quòd stantibus eisdem causis sequuntur eisdem effectus: quia nisi remoueat illa mala cerebri & ventriculi intemperies, in peius quoque dilabetur. Sed quo modo reducetis cerebrum & ventriculum ad proprium temperamentum? quia non facile erit, imò difficillimum, maximè cū sit lapsus ad contrarias qualitates, à caliditate scilicet ad frigiditatem. est tamen possibile. Sed id quod mihi facit difficultatē, est, quia dicit Galenus in primo Aph. oportet seipsum præstare obedientem, & non tantum medicū opportuna facientē. Et quia morbus est longus, certè credo quòd non poterit pati optimam victus rationē in sex rebus nō naturalibus, & maximè in cibo & potu, in animi accidentibus, & in Venere, quia (vt credo) habet pulcherrimam vxorem. Et sic possibilis est cura, sed difficillima, si quæ alia sit. Et quia

quia adest istud sputum sanguinis: & vos scitis quid dicat Hippocr. in 1 1 1 1. Aph. sanguis eiectus à quacunque parte corporis, malum. præterea adest multitudo catarrhi, quæ maior est, quam sit cibus & potus quem assumit. & est malus etiam, quia purulentus. varius, quia subtilis & crassus: & tandiu perseverat. ideo mali moris est, quia fuit curatus ab Excellentissimis medicis, & tamen non potuit sanari. Ideo dico, quòd licet sit viaticum, habet tamè iter longum admodum: propter quod attendendum est ad virtutes non tantùm præsentēs, quia propter longã ægritudinẽ tandem fient debiles, & sic nõ facillè est prognosticari. Credo tamè quòd possit curari, & quòd ægritudo longa est, eradicabilis tamen: & quia virtutes in hoc itinere tam longo possent deficere, ideo illis providendum est maximopere. Quantũ modò attinet ad curam, vos scitis esse sententiam Galeni v. metho. in cap. de cura catarrhi, vbi est sputũ sanguinis, à leuioribus non est inchoandum, quia sic facere, est parare ægro longũ interitũ: ideo à fortissimis inchoare curare. Et Galenus in eo loco à tribus maximis & validissimis inchoat: primò cum validissimis euacuantibus, & sæpissimis: & legatis ipsum, quia docet facere quasdam pilulas cum agarico, quæ valde similes sunt pilulis cochijs, & sæpissimè euacuabat. secũdò in synapismis fortibus: tertio in corroboratione membrorum, in quo utebatur diaspermation, & theriaca noua, & antiqua. Ideo in primis curandũ est, vt corpus istud exquisitè euacuetur: & circa euacuationem huius corporis proposita sunt duo instrumenta: primum fuit emissio sanguinis, secundum pharmacia. Quantũ ad euacuationẽ, possumus ipsam facere. Quantũ ad indicationes sumptas à causis antecedentibus, sunt enim vapores calidi, &

multi ascendentes à toto ad ipsum cerebrū, ideo infurgit vna indicatio, quòd remouenda est caliditas hepatis, quod fiet per euationem sanguinis, vt videmus etiam ex vrinis, quia sunt rubæ, quæ indicant etiam de quantitate sanguinis, & ideo posset ex hæmorrhoidibus, si apparuerint, fieri. Et licet adsit multa pituita, tamen poterit fieri parcissima: quia dicit Galenus quinto methodi, & quarto de tuenda sanitate, quòd vbi est putredo mixta in febribus, etiam si indigeamus phlebotomia, debemus tunc vitæ thesaurum conseruare, qui est sanguis. & idem dicit Auicenna prima 4. Quantum possibile est, caue à missione sanguinis, quia est thesaurus vitæ. Et istud corpus indiget magis euacuari per pharmacum, quàm per missionem sanguinis. Ideo si feceritis copiosam phlebotomiam, facietis multa incōmoda, tum quia suspicio est de ruptura venæ: & scitis Galenū in de missione sanguinis dicere, Non solum facienda est phlebotomia, quando magnus est morbus, sed etiam quando futurus est magnus. & quinto methodi, cap. de catarrho: Vbi corpus dispositum fuerit ad rupturam venæ, & pectus angustū fuerit, & ipse fuerit longus, etsi nunquam inciderit in rupturam venæ, mitas tamen sanguinē propter præcautionē. & sic cum sit multitudo sanguinis, ratione cuius soleant rūpi venæ, vel cum sanguis solitus sit erumpere ad partes pectoris, tūc indicatio est de missione sanguinis. Et quia in vere maximè solet abūdare, ideo indicatione sumpta ab hoc, non esset malum mittere sanguinē in hoc subiecto, & hoc vt prohibeamus vapores ascendentes ab hepate ad caput, vel ratione auersionis. Ideo paulatim extraherē verbi gratia vnc. ij. deinde nutrirē, & iterū alias vnc. ij. & sic iterū nutrirē, & sic partiremur. Quātum verò ad euacuationē, dico quòd

quòd torū debet esse exquisitè euacuatū, quia tūc ca-
 put magis potēs erit ad excernendū proprias super-
 fluitates, & debemus vti euacuationibus quæ tra-
 hāt à capite. Ideo in singula hebdomada euacuarem
 ipsum, cum rebus tamen leuibus, & non dimitterem
 agaricum: quòd si vomitum excitaret, abstineremus
 ab ipso, sed prius rētarem an excitaret. Ideo exhibe-
 rem florem cassiæ cum agarico, vel terebinthinam,
 vel cum cōfectionibus consuetis, vt essent pilulæ ag-
 gregatiuæ, quæ optimæ sunt, quia haberēt quicquid
 habent illæ pilulæ Galeni: nam in illis est rhabarba-
 rum, agaricum, scammonium, & portiūcula colocyn-
 thidis, & cum myrobalanis. purgarem cum cochijis:
 pilulæ etiā de hiera cum agarico sunt leuiores. Sed
 quia non euacuamus, nisi concoquamus materiā,
 & quia sunt diuersæ materiæ in pectore, aliæ enim
 sunt crassæ, aliæ fluidæ: ideo alia præparatione indi-
 gent quæ fluunt, & alia quæ crassæ sunt. Ideo in illis
 vterer rebus abstergentibus. & incidentibus: in flui-
 dis autem incrassantibus. & hæc de materia iam flu-
 xa. Quæ autem à capite desfluunt, videntur præpara-
 tæ: neque enim admodum crassæ, neque admodum
 tenues, neque parietibus adhærentes sunt. Ideo pro
 incisione materierum crassarum, quæ in pectore cō-
 tinentur, vterer rebus valde incidentibus & abster-
 gētibus, vt esset syrupus de liquiritia, syrupus de far-
 fara, de hyssopo, de betonica, & cōsimilibus. De cor-
 roboratione verò membrorū mandantium & reci-
 pientiū, quantum sit de recipientibus cū bene eua-
 cuata essent, vterer zuccharo rosato in maxima quā-
 titate, & bolo Armeno: nam bolus Armenus simplex
 post purgationē prohibet descēsum catarrhi ad pul-
 monē: & vterer etiā theriaca noua & veteri: sed cū
 sunt vigiliæ, noua: quādo non adsunt, veteri. Et vellē

vt vteretur myrobalanis chebulis conditis, quia cō-
 fortāt ventriculū, cerebrū & hepar. Quæritur mo-
 dō, an stilliciidū in hoc casu capiti cōueniat. Et quia
 dixerē alij, quòd temperatura huius capitis est cali-
 da & sicca: quod si ita esset, minimè conueniret, quia
 dicit Galenus lib. de tuen. sanit. ijs qui sunt calidi &
 sicci capitis, non conueniunt thermæ, quia magis au-
 gent affectum. Sed quis dixerit, quòd bene à natiui-
 tate caput fuit calidum & siccū, nunc autē permuta-
 tum est ad frigidum & siccum. Ideo non abstinere-
 m à balneo calido: imò credo quòd per ipsum reduce-
 rem cerebrū ad propriū temperamentū calidum &
 siccū: prius tamen quærerē caput ex omni parte ex-
 purgare, & cum caput purgijs, non ex aqua maiora-
 næ, betæ, & violarū, quia videntur illa frustra opera-
 ri: ideo deuenirē ad succum cyclamini, id est, panis
 porcini, & ad alia huiusmodi, quæ maximā vim in ex-
 purgando à capite habent. Abstinerē à gargarismis,
 quia suspecti sunt propter descensum materiæ: nam
 maiorē quātitatē ipsiustraherēt. Quantū ad mastica-
 toria, vterer mastiche simplici primò, deinde staphil-
 agria cum pipere, vt per os catarrhum expueret, ne
 ad pectus descenderet. Quantū ad reliquas diuersio-
 nes, quia factum est cauterium in genu sinistro, face-
 rem aliud in dextro, & in alijs etiam partibus, sicut
 in brachio, & collo, quia ab ista ægritudine imminet
 maximum periculum. Accederem etiam ad synapi-
 smos ex thapsia, ex flāmula Iouis, ex apio canino, seu
 ranunculo. Cauerem tamē à cantharidibus, propter
 illum mictum sanguinis. Et sic procederem cum reli-
 quis huiusmodi vesicatorijs, quæ facerent crustas.
 Deinde, super caput, pro confortatione apponerem
 pulueres ex ladano, de garyophyllis, & agarico, pari
 portione. Vellem & vt caput lauaret cum aqua, in
 quibus

quibus decoctæ essent herbæ calidæ, & odoratæ, quas temporis angustia prætermitto. Haberet præterea pomum quod continuè odoraret, confectum ex rebus odoratis, vt ex nigella, ladano, nuce muscata, garyophyllis, mace, ambra, musco. Et hac via procederem.

Consult. XXI. De dolore capitis periodico, de ventriculi debilitate, & mensibus albis, cum detestatione coitus, pro matrona Veneta.

TRia in hac Magnifica D. membra affecta sunt, cerebrum, ventriculus, & vterus. Cerebrum, quoniã patitur dolores vehementissimos, tam in anteriori, quàm in posteriori parte, & illos periodicos: quãdiu enim ventriculus suos vapores ad ipsum transmittit, tandiu infestatur, & hoc propter colligantiã quam ventriculus cum cerebro habet. Patitur ventriculus, primò plus appetit quàm deberet: secundò malè concoquit: tertio non retinet cibum, quod ex ructibus & flatibus declaratur: quartò non expellit, imò quãdoque acida per vomitum eijcit. Vterus verò & ipse suo munere non fungitur, menses etenim albos reddidit, offenditur in coitu, ita vt post congressum pessimè semper se habeat, & sæpe virum suum deprecatur, vt ab eo abstineat, neque delectatur in venere. Istis dispositionibus, & affectibus præter naturã affigitur. Quantum ad dolorem capitis nihil aliud dicam, cum per essentiam in capite non sit, sed per cõsensum ventriculi. Ratio ergo tota ad ventriculum referenda erit. Ventriculus, sicut apparet ex operationibus læsis, frigidus est: plus enim appetit, quàm concoquat, quod supra ventriculi frigiditatem attestatur. malè etiam retinet, cuius signum est, quòd

flatus & ructus acidus percipit, & cibum in stomacho flatuatē, euomit acida semper, quæ omnia frigidam ventriculi intemperie ostendunt: & dum ventriculus ita malè dispositus est, caput ipsum non pauca læsione affligit. Vtrum verò cum ista mala intemperie frigida sit coniuncta siccitas, vel humiditas. Si considero substantiam ventriculi, abdomen gracile, fucus erit & exanguis: si verò totum hoc aggregatum, & humorem frigidum cõtentum in ipso, dicam humidum esse. Itaque mala ista intemperies cum affluxu humoris frigida statuenda est. Vterus frigidior quoque factus est, quod patet ex multis: primò ab exeuntibus mutatis, ex illis albis menstruis ante & post fluorem, quæ frigidiorē vterum declarant. Secundò ab actionibus læsis, cùm decennio non pepererit: ergo actio diminuta: diminuta autē actio à frigiditate provenit, sicut corrupta à caliditate. Signū postea à posteriori, quoniam semel tantum peperit, & scæmellam: scæminæ autē, si Hippocrati credimus, generantur propter vterum frigidiorē, ergo læditur in coitu, non quòd collum matricis tortuosum sit, quòd actum venereum lædat, sed quia vterus ex emissio spermate virili afflicta, quod dum emissum est refrigeratur, inflatur & intumescit: vnde postea matricem lædit, ipsam extendendo, & dilatando: cuius signum est, quòd dum calida applicat, statim vaporibus per calorifica ista ascēsis dolor cessat. Quartò vterus frigidior redditus est ex magno fluxu, quæ passa est post partum: quantum enim superflue evacuationes membrum lædant, à quo exeruntur, testatur Hippocrates ipse plurimis in locis. Quid ergo mirum, si vterus cum ventriculo frigidior quàm par sit, caput ipsum in consensum traheret? vnde dolet caput propter communicantiam istorum duorum

rum membrorū in parte posteriori, quoniam ab utero per venas & arterias plurimi vapores frigidi eleuantur, qui ipsum extendunt, & replent: in anteriori, quoniam ventriculus vapores & fumos ad ipsum delegat, sicut etiam apparet in his qui vertiginem, aut suffusionem per consensum ventriculi patiuntur, magis in anteriori cerebri parte dolent, sicut illi quibus per aortam, & venam cauam vapores ascendunt magis, in posteriori. Prognosticum erit, quod curabitur, non tamen ita perfecte vt omnino integram valetudinē recipiet: concipiet proculdubio, si nostris præceptis obsecundabit. Curatilis instituenda est, vt bona ratio victus præscribatur, & bono regimine in sex rebus non naturalibus vtatur: nihil enim perniciosius in ægritudinibus chronicis, quàm multis solutiuis corpus macerare, quæ licet primò occurfu videantur proficere, tempore tamen ipsum destruunt, vires deiciunt membrorum præsertim naturalium, sicut & nix super segetes dum cadit, iuuat non nihil, sed tandem quoque illas in totum destruit. Instituto bono regimine, leniendus erit venter cassia, & hiera simplici: postmodum cōcoquēda materia in hoc infra scripto syrupo:

℞. Syrupi de absinthio.

De cichorea Nicoli sine rhabarbaro ana ℥ ij.

Foliorum cichorei

Absinthij, decoctorū in iure pulli tenui, quantū sufficit. Purget postea. Assumpto secūdo syrupo fiat phlebotomia non euacuandi gratia, sed vt euētetur icur, quod calidius aliquantulum est, sicut ex vrinis apparet. Peractis purgationib. accedat ad thermas Apponenses, quas bibat, & in illis se immergat: hac enim ratione, & uterus, & ventriculus refrigeratus calefiet & corroborabit, quod præcipuē intēdimus.

Consult. XXII. Ad phtiriasim, seu tineam
capitis antiquam.



Rimò abstineat à lacticiuijs, pastilibus
carnibus antiquis, auibus palustribus,
rebus frictis in fartagine, legumini-
bus, herbis crudis, vino dulci & crasso,
& à vino nigro & turbido, à fatietate & multitudine
ciborù, post cibù à studio & exercitio pleno existen-
te stomacho. Hęc vbi iste fecerit, sumat pilulas singu-
lis septimanis semel, aut etià bis si oportuerit, num-
iij. hora vna ante cœnâ, quarum descriptio est talis:

℞. Succi fumiterræ

Boraginis

Chamędryos ana ʒ ij.

Myrobalanorum chebulorum

Indorum

Citrinorum ana ʒ iiij.

Ellebori nigri ʒ ij.

Agarici electi ʒ iiij.

Aloës ʒ vj.

Epithymi

Foliorum senæ

Polypodij ana ʒ j.

Puluerizentur omnia, & permisceatur succis, & per-
mittatur exiccari, & postea cum syrupo de fumo ter-
ræ fiat magdaleon: de quo formentur pilulæ pro sin-
gulis drachmis tres, sumendæ vt suprâ. Itē tondean-
tur capilli vsque ad cutem, postea vtatur lotionem in-
frascripta saltem semel in septimana:

℞. Lixiuij dulcis quantum sufficit pro vna vice,
in quo decoquantur,

Aristolochiæ rotundæ

Panis porcini ana ʒ s.

Gen-

Gentianæ
 Rheupontici ana ʒ iij.
 Centaurij ʒ ij.

Decoquantur omnia ad consumptionem tertiæ partis lixiij, & cum eo lauetur caput, & exiccetur semel aut bis in septimana. Deinde inungatur caput oleo infra scripto magistrali:

℞. Ireos	s.
Squilla	j.
Centaurii minoris	s.
Myrtillorum	j.
Garyophyllorum	j. s.
Olei amygdalarum amararum	lib. j.

Ponantur omnia simul in vase vitreo bene obturato, & bulliant in balneo Mariæ lento igne per horas sex, postea seruetur oleū in Sole, remouendo ipsum tempore nubilo & in nocte, & hoc oleo illiniatur caput quotidie in introitu lecti, & post lotionem ordinatam à nobis.

Consult. XXIII. De dolore capitis post partum, cum symptomatibus melancholicis, pro matrona Germana.



Vlier quædam x i i i. diebus post æditum partū coepit laborare ex dolore capitis, adeò vt existimauerit, caput sibi inane & vacuum esse, nec dormire potuit, vnde timuit ne priuaretur sensibus, & ratione, & voluit ipsa sibi inferre violētās manus, quod quidem perdurauit à puerperio tribus mēsis. hoc quidem etiam illi contigerat antè in duplici partu, sed non ita diu perdurauerat. Cùm verò vterum gestabat, dolebat quidē ex capite, sed magis quieta fuit. Curanda erit hæc nobilissima mulier ab affectioni-

bus suis, quas melancholicas arbitror, habita ratione ætatis, temperaturæ, genere morbi, tempore anni, & reliquis non repugnantibus: primò recta ratione victus, secundò missione sanguinis, tertio alteratione & purgatione humorum, quartò confortatione membrorum. Pro victus ratione, custodiatur ab ab omnib. animi molestijs, degatq; cum amicis cum omni animi hilaritate, quantum fieri potest, arte & studio comparanda. Utatur vino albo & tenui, & si fieri potest, subdulci. Carnibus iuuenù animalium, hædorum, pullorum, & reliquorum huiusmodi. Sumat mane singulis diebus oua forbilia, neque utatur multitudine ciborum: euitet crapulas, potationes, & cruditates cuiusq; generis. Aluum mollem quam fieri potest conferuet, pro quo si natura defecerit, enitetur cum flore cassiæ, vel decocto prunorù dulcium & saccharo, vel decocto malux ex iure pulli aluum lenire: nihil enim perniciosius suis affectibus, quam aluum strictam habere. Procuret concoctiones, neq; cum cruditate accedat ad cibum: cruditas enim melancholico omnino vitanda. Circa Martij mensis medietatē, lenita prius aluo vel clysteri, vel drachmis decem floris cassiæ cum zuccharo in bolo confectis, sequenti die sanguinem mittat ex basilica dextri lateris, trahaturq; sanguis pondere vnciarum decē, ac postea die etiam eodem missio sanguinis repetatur, sed à sinistro latere. Deinde utatur diebus septem iure hoc modo confecto, quod sumat mane hora syrapi:

℞. Foliorum boraginis

Buglossæ

Betonicæ

Polypodij

Glycyrrhizæ

ana ʒ j.

Radiciſ

Radicis althææ ana $\frac{3}{4}$ j. s.

Decoquantur omnia in libris duabus iuris pullacei, ad consumptionem dimidiæ partis, deinde facta expressione & colatura, bibat totum residuum vna vice: & sic repetatur per dies septem. Octauo die sumat bolum infra scriptum:

℞. Confectionis hamech 3 iiij.

Radicis hellebori nigri 3 s.

Misce cum modico iuleb violati, fiat bolus cum zucchero, deturq; in aurora cum custodia. Item

℞. Conseruæ florum boraginis $\frac{3}{4}$ vj.

Conseruæ rosarum $\frac{3}{4}$ ij.

Zedoariæ 3 j.

Misce, fiat electuariū, de quo sumat singulis diebus cochlear vnum tribus horis ante prandiū. Deinde illinat rotus venter quotidie infra scripto linimēto:

℞. Olei de absinthio $\frac{3}{4}$ iiij.

Masticis 3 iiij.

Ceræ parum.

Fiat linimentum. Item abluat caput singulis septimanis bis cum infra scripto decocto:

℞. Furfurum tritici $\frac{3}{4}$ iiij.

Florum camomillæ $\frac{3}{4}$ ij.

Glycyrrhizæ 3 iiij.

Polypodij 3 ij.

Radicum ellebori nigri 3 ij.

Agarici electi 3 j.

Bulliant omnia simul in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionem medietatis: deinde facta expressione, vtatur hoc decocto pro lixiuio, & tergat caput sapone odorato muscato, & hæc omnia explebunt quæ promisimus. Quod si optimum quoque Mithridaticū ter in mense sumat ad drachmæ vnius quantitatem, cum modico vini aromatici albi, quinq;

horis ante prandium, perficiet adhuc magis corroborandi cōsiliū. Montanus iussit diligenter inquiri an post partum 30. diebus, vt moris est, post masculum partum, post fœmellam 40. sit satis purgata: an habeat sua debita menstrua, an vtatur debita ratione victus, an visa sit aliquando habere purgationes, quæ nunc aliquandiu cessarunt, alui, vomitus, hæmorrhoidarum.

Consult. XXIII. Pro eadem, & marito eius laborante morbo Gallico.



Pro consultatione fanitatis huins nobilis & strenui viri & nobilissimæ suæ vxoris, nunc duo sunt proponenda, ratio victus inquam, & medicamentorum vsus. Quantum ad rationem victus attinet, erit illa vtriq; communis, ideo de hac ratione victus quęcunq; admonebuntur, intelligi velim vtrunq; esse pariter admonitum. Medicamēta verò singulorum cū diuersa sint, explicabuntur seorsim. Primò igitur quærent ambo omni conatu quascūq; animi molestias quàm maximè vitare, & tanquā pestem abominari, iracundiam præcipuè, mœstitiāq; ac timorem, sed læti ac in optima spe constituti viuant. Præterea otium & quietem corporis procul effugiant, moderato exercitio vtatur, mane præcipuè ac vesperi ante cœnam. Caueant tamen ne exerceantur, & post exercitium quiescāt in aère admodū frigido aut ventoso, & vbi talis aër contigerit, tunc se intra domum cōtineant & exerceant, suas res familiares procurando, hoc enim optimum exercitij genus est. Fugiant meridianum & omnino diurnum somnum: proinde hortor vt manè ante vel circa Solis exortum surgant, & procuratis excretionibus corporis consuetis per aluum & vri-

& vrinam, per sputa & per scretus, nariū emunctio-
 nes, frictiones capitis, auriumq; sorditie expurgata,
 tunc vegeti atq; hoc modo excitati ad exercitia cor-
 poris se cōferant. Et si aliquando cōtigerit vel in al-
 tero, vel in vtroq; vt excremēta alui præter consue-
 tudinem supprimi velint, nō permittant hoc vitium
 inualescere, sed protinus si clysteres nō admiserint,
 præbiant ante prandiū ius pulli, in quo decocta sit
 mercurialis, malua, & beta, vel folia brassicę, dein-
 de adiecta portione zucchari rubei: lenietur enim al-
 uus sine molestia. Præterea non diu versent, aut com-
 morentur, aut aliquo modo se exponant, vbi sit aër
 frigidus & ventosus: & tempore hyemis caueāt, ne
 more Germanorum repētē exeant à suis vaporarijs
 & hypocaustis calidis, exponentes se aëri frigido: il-
 lud enim longè detestabilius est, quàm si perpetuò
 in eodem aëre frigido versarētur: sed vbi necessitas
 aduenerit exire hypocausta, habeāt operimēta tam
 capitis quàm vniuersi corporis, quibus se à repenti-
 na aëris frigiditate tueantur: neq; ita calefiant hypo-
 causta, vt multi consueuerunt, quibus non satis est,
 vt corpore mediocriter incalescant tantum, vt à fri-
 goris excessu muniantur, imò non cessant nisi prius
 torrefiant & assentur. Caueant igitur ab eo impor-
 tuno hypocaustorū feruore, sed tantum tepescat lo-
 cus, nimis enim offenderentur in egressu. Præterea
 aëri nocturno ne occurrant, sed in locis altis, versus
 Orientē & Meridiem sitis habitent. Caueant quàm
 maximè, tanquam à peste, à comestationibus & com-
 potationibus, sed sobrij intra proprios parietes sibi
 viuāt: nisi enim hoc fecerint, frustra reliqua agētur.
 Bis in die moderatè comedant, & moderatè bibant,
 omittendo has computationes, quæ nedum sanita-
 tem amissam reficere student, sed eam quoq; quam

possidēt deperdere. Potus ante omnia deligendus: ille sit vinū minimè potens, sed lene & pauciferum, nullius aciditatis particeps, sed bene maturum, colore album vel rufum: à nigro, obscuro, crasso, prorsus abstinendum: & si album vel rufum haberi non potest, eligatur giluum, limpidum: & eo modestè vrantur, neq; à prandio aut à cœna potēt. Panis sit bene fermentatus, bene coctus, neq; ultra quàm quotidianus. Carnes pullorum, castratorum iuuenum, hœdorum, auium campestrium pinguium. Sed caueant maximè à palustribus, vt anatū, anserum. A piscibus abstineant quam maximè fieri potest. Oua recentia vel cum aqua, vel cum igne mediocriter cocta, conueniunt, cum modico zuccharo & cinnamomo condita, prorsus sine butyro. Fercula etiam ex oryza, hordeo, spelta, farro, non vitupero, si in iure pingui optimè cocta fuerint. Euitent herbarum omne genus præter lactucas, quandoq; & boragines. Fructus etiam præcipuè fugiant, & maximè horarios. Autumnalia pyra & poma decocta cum saccharo & aniso, non male post cibum admittuntur. Caueant ab omnib. lacticinij, pastilibus, rebus cuiuscunq; generis in sartagine frictis, à carnib. antiquis, sicut bubulis, hircinis, à salitis item omnibus, à multitudine cibariorum, imò in singulis mensis singulo tantum genere sint contenti. Hæc quantum attinet ad victus rationem, quam diximus vtrique esse communem. Nunc ad medicamēta accedemus, quæ sint singulis seorsum propria. Nobilis igitur vir quamprimum se in propriam domum contulerit, incipiet purgari hoc modo, qui proximè sequitur. Primò

℞. Floris cassiæ ʒ. j. s. Cum zuccharo fiat bolus, sumatur manè hora vna ante prandiū. Deinde
℞. Syrupi de fumo terræ simpl.

Oxy-

CONSULT. MEDICIN. 127

Oxymellis simpl. ana ℥ j.

Seri caprini ℥ vj.

Misce pro vno, & sic pro septem alijs. Postea verò

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Syrupi rosati solutiui ℥ ij.

Cum aqua fumiterræ fiat potio, sumenda cum custodia in aurora post syrupum vltimum die sequenti.

Sed post assumptionem duorum syruporum primum mittatur sanguis à vena basilica dextri lateris, extrahantur vnciæ decem, vel vltra. Finita hac purgatione quiescat per dies duos, & interim manè & vesperi hora ante cibū sumat sacchari rosati vnciam vnam. Peractis his duobus diebus incipiat bibere syrupum infra scriptum, ex quo soluetur alius sine molestia quater aut sexies singulis diebus. Erunt autem omnino sex syrupi, sex diebus exhibendi.

℞. Aquæ fumiterræ lib. vj.

Myrobalanorum citrinorum

Chebulorum

Emblicorum

Indorum

Belliricorum

ana ℥ s.

Epithymi

Polypodij

Senæ

Glycyrrhizæ

ana ʒ vj.

Sem. citri

ʒ ij.

Corticum ellebori nigri

ʒ iij.

Fricentur myrobalani cum oleo amygdalarum dulcium, vbi prius contusi fuerint grosso modo, deinde infundantur in prædicta aqua per diem naturalem, postea decoquantur omnia simul secundum artem, ad consumptionem medietatis: postea facta diligenti expressione & colatura reseruetur, & tota illa coctio diuidatur

in sex partes, & fumatur vna pars singulis diebus tepida in aurora cum vncia vna Syrupi de infusione rosarum. Vbi verò hæc tota purgatio peracta fuerit, (hæc purgatio vere & autumnò fiat, eademq; erunt prorsus & similia omnia, præterquàm quòd missio sanguinis vere tantùm admittenda est) triù dierum quiete interiecta, ac saccharo rosato ante cibũ semper sumpto, vt paulò antè instituimus, interim parabit sibi decoctum ligni Indi, quod transacto illo tri duo potare incipiet. Accipiat igitur illius ligni nigri & derasi lib. j. Aquę distillationis endiuicę lib. xiiij. & fiat infusio in olla noua bene obturata per horas x x i i i i. postea in eadem olla sensim decoquatur, donec decrescat tertia pars: deinde facta colatura, bibat huius decocti calidi lib. j. manè, & alteram vespere, hoc modo, vt hora octaua primam bibat, duodecima comedat siue prandeat: decimanona verò bibat secundam, & vigesima tertia cœnet: atq; ita perseueret vsq; ad diem quadragesimũ. Caueat interim hoc toto spatio à ventis, & si sudor prouocetur, accubet lecto, pannisq; diligenter operiatur. Quotidie procuret beneficium alui. Cibus sit singulis vicibus panis biscocti vnciæ tres, pulli iunioris vncię totidem. Loco vini bibat aquam communem optimi fontis vel putei, in quo id lignũ secundò decoctum fuerit. His ritè peractis habeat postea familiares pilulas, quas pro conseruatione sanitatis toto anno vsurpabit semel in septimana, hora ante cœnam, pondere ʒ ij. vel drach. vnius. Et si integrè se percipiet, bene erit: sin minus, futuro vere rursus eadem purgatione præmissa, ad decoctum ligni Indi redibit. Neque enim dubitamus hoc solo remedio tandem esse curandum.

℞. Aloës optimæ ʒ j. Puluerizetur optimè, inde asper-

de aspergatur succo rosarum puro, & permittatur exiccari. Deinde

℞. Agarici electissimi ʒ vj. & similiter puluerizetur: postea aspergatur oxymelite, & exiccetur eodem modo, vt de aloë diximus. Postea

℞. Rheubarbari ʒ iij.

Rosarum siccarum

Succi glycyrrhizæ

Nucis muscatæ

ana ʒ j.

Salis gemmæ

ʒ ij.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & cum melle rosato fiat magdaleon, de quo conficiantur pilulæ vt supra, quæ sumantur ter vel quater singulis mensibus hora vna ante cœnam pondere ʒ ij. vel ʒ j. & fiant pilulæ tres. Et hæc satis pro nobili viro. Pro honestissima vxore, & ipsa bis singulis annis purganda est, vere inquam & autumnno, ita vt vere etiam sanguinẽ mittat, autumnno nequaquam. Purgatio autem talis erit:

℞. Electuarij de sebesten solutiui ʒ x. Cum saccharo fiat bolus: sumat manẽ tribus horis ante prandium, ac parcè prandeat.

℞. Syrupi Sabor regis

De fumo terræ

ana ʒ j.

Aquæ boraginis

ʒ iij.

Misce pro vno, & sic pro alijs.

Item

℞. Confectionis hamech

ʒ iij.

Syrupi rosati solutiui

ʒ ij.

Cum aqua boraginis fiat potio, sumenda die proxima sequenti syrupum vltimũ. Sed post duos primos mittatur sanguis e vena basilica dextri lateris, & trahantur vnciæ decem, vel libra sanguinis: & hoc vere tantũ, non autumnno. Vbi ita bis in anno purgata

fuerit, vtatur postea bis vel ter aut quater in mense
infrascripta portione benigna, & sine custodia, quam
sumat tribus horis ante prandium:

℞. Folliculorum senæ

Epithymi ana ʒ iiij.

Polypodij ʒ j s.

Glycyrrhizæ ʒ j.

Ponantur vesperi in infusione in iure pulli pinguis,
vel in sero lactis caprini: facta diligenti expressione,
& colatura, bibatur decoctum tepidum addito sac-
charo, si libuerit. Hoc præcipuè erit vtile ad omnes
affectus arcendos in hac nobili muliere. Item ante
prandiū vtatur quamsepissimè electuario infrascripto,
quod sumat hora antequàm prandeat, ponde-
re ʒ s.

℞. Sacchari buglossati

Boraginati

Violati

Nenupharini ana ʒ iiij.

Commisceantur omnia simul, & addantur folia auri
puri numero vj. & feruetur in vase vitreo, & hoc ma-
ximè vtatur cū fuerit grauida.

*Consult. XXV. De catarrho, pro Illu-
strissima Ducissa Urbini.*



Vm illud nobis propositum sit, vt cure-
mus destillationem Illustrissimæ Ducis-
sæ, præcipuam curam ac diligentiam in
recta victus ratione in primis illi adhi-
bendam esse existimamus. Igitur à vario ciborum ge-
nere sibi temperet, comedat parcè, potissimū in cœ-
na: inter vnam mensam & alterā nihil bibat. Vinum
illi conueniens, tenuè sit oportet: aut si natura tale
non fuerit, aqua erit diluendum, modò illi aqua à na-
tura,

CONSULT. MEDICIN. 131

tura nō sit infesta. Nec verò illi esset aduersum, si vinum lenem quandam dulcedinem haberet. A fructibus, piscibus, lacticijs & pastilibus est abstinentiū. Interim dum vitur hac uictus ratione, eius Excellentia consulo, vt quotidie in nocte, hora somni, inferius describendi Electuarij cochleariū vnum accipiat: illique admodum consultum esset, si sæpius etiam in die exiguam eius quantitatem in os acciperet, nec tamē statim deglutiret: sed tandiu ibi retineret, donec paulatim & sua ferē sponte in spiritalem arteriam destillaret. Hoc illi proculdubio saluberrimum est futurum. Illud quoq; mihi maximē probaretur, si faceret sibi consuetudinē sumendi bis in septimana medullam casia fistularis, recens ē canna extracta: idq; per horam mediam ante prandium. Quantitas autem eius medullæ sit, quanta ē canna ponderis vnciarum quatuor extrahi potest. Curabit autem eius Excellentia, vt se presente ē canna extrahatur, atq; illam statim deuorabit: plurimi enim eo modo libentius accipiunt quàm consueto. Illi tamen liberum erit, hoc ne an illo modo velit accipere, perinde enim est. Electuarij descriptio ea est quæ sequitur:

℞. Capitum papaueris albi	num. xx.
Liquiritiæ rasæ	℥ ij.
Carnis siliquarum pinguium dempto cortice, & exemptis acinis	℥ iij.

Bulliant omnia simul in libris x. aquæ fontis, donec remaneant duæ. Deinde

℞. Zucchari albi	lib. j.
Penidiarum	℥ iij.

Syrupizentur omnia simul secundum artem, vsque ad consistentiam mellis, deinde seruetur ad vsum.

Consult. XXVI. De dolore capitis cum tinnitu aurium, pro illustrissima matrona.



Supposita ægritudine, vel potius dispositionibus præter naturam, quibus laborat illustrissima Domina, videlicet dolore capitis & tinnitu aurium, quæ licet aliquando remittantur, tamen subinde redeunt, neque prorsus remittuntur. Supposita etiam temperatura, ut conijcere possumus ex his quæ referuntur, calida & humida, & habitu corporis pingui & obesi, in magnis delicijs degendo, lautissimis & copiosissimis cibarijs adhibitis, dicimus facillimè deprehendi posse earum dispositionum causam esse plenitudinè humorum & redundantiam. Et cum non audierimus capitis aliquod vitium præcessisse, cerebriq; operationes tum extrinsecas tum intrinsecas fuisse secundum naturam, neque vnquam destillationem perfectam fuisse, credimus hanc ægritudinem primogenio affectu ad caput non esse reducendam, sed ad membra inferiora, ut ventriculum, & hepar, ac totum venarum ambitum. Existente enim in illis membris redundantia, necessarium est omnino repleti caput ob plurimos vapores ascendentes, præcipuè in regione frigida, ubi paucissima transpiratio. Quamprimum igitur occurrendum est plenitudini, ne cerebrum affectum eliso ac suffocato calore innato, reddatur seipso imbecillius, ac deinde intemperies per essentiã firmetur in capite, reddaturq; ægritudo vel insanabilis, vel quæ difficillimè tolli possit. Estq; via curationis manifestissima. Plenitudinem, sicut dicebat Hippocrates, euacuatio sanat. Euacuabitur tum adhibita recta victus ratione, cibiq; ac potus parsimonia, tum medicinis euacuatibus, ac sanguinis missione.

ne. Quantum igitur attinet ad victus rationem, cauendum primò ne aëri frigidus occurrat, vel flatibus ventorum, etiam si æstiuo tempore quandoq; videatur esse iucundum: sed ab Austro caueat præcipuè, ab aëreq; nocturno. Somnum meridianum fugiat, maxime enim officeret capiti. Procurabit ut singulis diebus reddat alui excrementa, quæ si pauca aut retenta fuerint, adiuuet mollietibus, sicut est potus ante cibum pullacei iuris, in quo malua, mercurialis, & beta alba decocta fuerint, addito etiã saccharo. Vbi herbarum facta fuerit expressio, ebibat haustum copiosum tribus horis ante prandium: proderit enim ad aluum emolliendam. Ad idem etiam confert usus passularum dulcium ante prandium, puluere sacchari adiecto. Bis tantum in die comedat, neq; inter prandium & cœnam bibat, & præcipuè post cœnam. Vni co cibi genere contenta sit, nihil enim ad augendam plenitudinem efficacius quam ciborum varietas. Carnibus vescatur iuuenibus, facilis concoctionis, quales vitulinæ, hœdinæ, pullorum, leporum iuuenum, auium campestrium, ut perdices, phasiani, & aues paruæ. Abstineat à carne antiqua, porcina tam salita quam recenti, à pastilibus & lacticijs, à piscibus, & omnium ciborum genere vaporoso, viscoso, & humido. Oua recentia conueniunt, si tremula fuerint, elixata, vel calido cinere cocta. Quantitas cibi sit intra satietatem. Vinum bibat vel pauciferum, vel bene dilutum, & in pauca quantitate: & hoc maxime refert: nihil enim magis replet caput quam vinum vel potens, vel vaporosum, vel utrunq;. Et hæc quantum ad rationem victus attinet. Quantum verò ad purgationem, laudare, nisi æstus maximi impediret, ut quamprimum, præmissa lenitione alui, cum ʒ. j. floris cassiæ, & specierum hieræ simp. ʒ. ij. die proximè se-

quenti sanguis mitteretur à vena brachij, quam communem appellant, extrahereturq; sanguinis quantitas vsque ad $\frac{3}{4}$ viij. vel x. Deinde ad vltiorem curationem cum pharmacis accederem, præmissis infra scriptis syrupis:

℞. Syrupi de betonica

Mellis rosati ana $\frac{3}{4}$ j.

Aquæ maioranæ $\frac{3}{4}$ iij.

Misce pro vno, & sic pro quinque. Postea purgetur modo infra scripto:

℞. Agarici præparati 3 ij.

Floris casisæ $\frac{3}{4}$ j.

Misce, fiat bolus cū zuccharo: detur in aurora cum custodia. Vel si mallet pilulas,

℞. Pilularum cochiarum ℥ iij. Cum melle rosato fiant pilulæ v. dandæ eodem modo, & hora eadem. Ego tamen præferrē bolum. Facta hac purgatione, si vltius res vrgeret, laudo masticatoria, primò ex mastiche simplici, matutinis horis semper expuendo: deinde si vellet vires masticatorio adijcere,

℞. Mastiches 3 ij.

Pyrethri

Staphisagris ana 3 s.

Ceræ 3 ij.

Misce, fiat masticatoriū in forma trochiscorum pondere ℥ j. & vtatur eodem modo, quemadmodum de mastiche diximus. Deinde si adhuc vrget res, laudo ea quæ caput purgia vocat, leuia tamē, sicut cum decocto betæ, maioranæ, & mercurialis, attrahendo per nares ieiuno stomacho, quemadmodū fieri consuevit. Ad tinnitū aurium maximè confert oleū picis vel terebinthinæ, adiectis duabus partibus olei amygdalarum amararum: mane & vesperi guttam vnam & alteram destillet in aures, adiecto coto vel bombace

bombace carminato & muscato. Præterea pro diuer-
sione & euacuatione, si morbus perseveraret, laudo
ter aut quater singulis mensibus vtatur 3 j. pilula-
rum infrascriptarum, hora vna ante cœnam:

℞. Aloës optimæ 3 iiii.

Agarici electi

Rheubarbari electi ana 3 ij.

Spicæ

Zingiberis

Nucis muscatæ

Mastiches

ana ʒ j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, po-
stea conspergantur succo rosarum puro, & permit-
tantur exiccari, & ita vtetur septem vicibus.

Consult. XXVII. De tremore membrorū, et mouen-
di imbecillitate uitio cerebri, pro Magnifico uiro.



Vppositis his quæ tum ab Excellentissimo
Medico, tum ab assidentibus & fa-
miliaribus intellexi de hoc Magnificovi
ro, qui tot annis membrorum tremore,
& mouendi imbecillitate laborauit, considerataq;
septuagenaria ætate, temperatura calida & sicca, in-
signiq; extremorum caliditate, & doloribus pun-
ctiuis, immoderataq; alui adstrictione, consulerẽ pri-
mò circa rationem victus, vt effugeret pro viribus
molesta animi accidentia, sicut iram & mœstitiã,
quæreretq; omni studio, vt cum amicis quietam vi-
tam iucundamq; degeret, calidum aërem euitaret,
ptisana, lactuca, boragine, portulaca, endiuia in fer-
culis vteretur: ac si ventriculus ferret, laudarem vt
omnino à vino abstineret, & vini loco huiusmodi
porum sibi confici curaret.

℞. Aquæ fontis

lib. xvj.

I 4

Ligni guaiaci lib. j.

Bulliant ad consumptionem quartæ partis: coletur, & referuetur. Est & hoc poculum præstantissimū ad nutriendū, vt quod nihilo segnius vino nutriat. Pro alui verò lenitione velim vt singulis diebus fumeret ante cibum libram mediā iuris pullastri, in quo decocta esset malua, violæ, hordeum, & sex vel x. pruna dulcia. præterea acciperet quater in mense, duabus horis ante prandium, tale medicamentum:

℞. Floris cassiæ ℥ j.

Rheubarbari electi ʒ s.

Cum saccharo fiat bolus. Quotidie ad hepar & renes huiusmodi linimento vtatur:

℞. Vnguenti rosacei Mesue eiusdem anni ℥ ij.

Vnguenti Sandalini recentis ℥ j. Misce.

Præterea foueret omnia membra dolentia huiusmodi balneo:

℞. Florum Camomillæ man. iiij.

Hordei man. vj.

Rosarum siccarum man. ij.

Violarum man. ij.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, in qua moderate calida sedeat ieiunus bene coopertus vestibus, & in aëre calido: curetq; vt post huiusmodi balneū statim membra huiusmodi linimento inungat:

℞. Olei Camomillini

Rosati

Violati

ana ℥ ij.

Et nisi facta fuerint cauteria infra crus exterius, sicut fieri consuevit, laudo vt omnino fiant. Nec displicet hæmorrhoides prouocare, præsertim si natura per eas vias aliquid tentare videatur. Quantū vero ad aquas thermanū attinet, nullas ego laudarem, nisi forte Calderianas, quæ in agro Veronensi sunt, tanquam

tanquam ad refrigerandum hepar & renes idoneas. Sed quod ego præstantissimum remedium iudicarem, esset vt ligni Guaiaci decoctum sumeret, non quidem eo victu tenui, qui solet adhiberi plerisque, sed moderato, qualis ætatis temperamento, & viribus fulciendis conuenit. Velim tamen vt quod loco syrupi biberet, in aqua endiuie decoqueretur. quod si ita fieret, si quid vnquã huic Magnifico viro prodesse debet, hoc maximè profuturum credo.

Consult. XXVIII. De uertigine, & tinnitu aurium antiquo, pro uiro integerrimo domino

Mathia Zesz Bohemo.



Quoniam & purgatio vniuersalis, & potus aquarum thermarũ præcessit, & ratio victus est instituta, ideo ea quæ nũc sint agenda proponam. Et primo

℞. Olei de pice

Olei amygdalarum amararum ana ʒ ij.

Misce, & frequenter auri guttatim instilletur: prodest enim ad surditatem, & auriũ tinnitum antiquatum, & cerebrum confortat. Pro capitis autẽ & stomachi confortatione, semel in septimana vtatur pilulis infra scriptis, aut ter in mense, prout necessitas exegerit:

℞. Nucis muscatæ

Garyophyllorum ana ʒ s.

Zedoariæ ʒ ij.

Gentianæ ʒ j.

Rosarum rubearum

Sandalorum citrinorum ana ʒ j s.

Aloës opt. succocitr. ʒ vj.

Rheubarbari electi ʒ iiij.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, po-

stea aspergantur aqua rosacea, & permittantur exicari, & ita iteretur septies. Postea cum syrupo violato formetur magdaleon, de quo singulis vicibus fiat pilulæ ℞ j. num. iij. cum eodem syrupo violato, & sumatur hora ante cœnam. Lotio pedum fiat ad prouocandum somnum:

\mathcal{R} . Folia salicis

Anethi

Cortices papaueris albi, quantum sufficit.

*Consult. XXIX. De dolore capitis, cum asthmate,
& dolore dextri lateris, & febre leui,
pro puella Maurocena.*



Sanare debemus hanc puellā, oportet cognoscere ægritudinē & causas: neq; tantūmodo hæc cognoscere debemus, sed & loca affecta particularia, & naturam ipsorū. Si enim ista non cognouerimus, fieri nō poterit, vt habeamus indicationes curandi. Primò ergo quæ sit ægritudo, vel quæ sint ægritudines, & quæ symptomata, videbimus: secūdo, quæ sint causæ facientes eam: tertio, quæ loca affecta, & quæ sit natura totius corporis: postea ad curationē accedemus, & procedemus per capita, & conclusiones, quoniā cum doctoribus, & non cum scholaribus, habemus sermonem. Pro recta igitur cognitione, oportet rememorari quædā audita heri, quòd hæc puella ferè ab ortu suo ichoras & fluxus quosdam emanātes à capite habuit: deinde audiui quòd icteritiam patitur, vt à quacunque leui causa in citritatem totius corporis deueniat. Ista sunt rememoranda, quia erunt signa rememoratiua, & coniecturæ ad cognoscendum essentiam & causas ægritudinis. Quantum ad has dispositiones attinet, quibus affligitur

gitur in præsentia, audiui primò quòd dolorem capitis patitur, & diu perseverasse, vt etiam nunc conqueratur. Audio præterea quòd difficultatem anhelitus patitur, vt non sufficiat diaphragma & thoracis musculi ad dilatandum pectus: sed etià musculi ventris inferiores & superiores, qui non faciunt ad dilatationē pectoris, nisi vrgente necessitate. Audio etiam quòd conqueritur cōtinuè de dolore existente circa latus dextrum supra costas mendosas è vestigio hepatis. Audio præterea dolorem habere in iuncturis brachiorū, & tibiærum aliquando, sed maximè circa brachium dextrum. Et hæc sunt omnia illa, de quibus conqueritur. Habet etiam febrem continuam, quoniam pulsus seruat motum vniformem, & motus hodiernus vniformis est cum motu hesterni. pulsus verò vnum modum habet, insignem scilicet duritiem, ac si chorda arcus extensi tangeretur: cum vrinis crassis, multam & sæculentam habentibus subsistentiam, non multæ tamen intensæ rubedinis: sitiq; minimè vexatur, dolor tamè clamorosus est. Omnia ista rectè cōsideranda sunt, & quæ possint esse causæ omnium istarum dispositionū: & fortè vnum erit causa omnium istorū symptomatū. Ego incipiam rememorari dispositiones præter naturā. Habet caput quod continuè abundauit multis ichoribus, qui tamè cessauerūt. Citrinitatē etià habet, qua semper ferè vexat ex leui occasione. Cōsidero etià cōplexionem corporis naturalē. Video q̄ hæc puella, ex qua multā copiā bilis generat, multā habet caliditatem in hepate, ex qua sanguis calidior generat, cum bilis sit veluti spuma, & tantò feruētior sanguine, quanto subtilior. Et cum humor ille effundat per totum, signum est, caliditatē plurimam in hepate esse. Multitudo etiam sanguinis indicat eius temperaturam

calidam & humidá. Et quia video plurimá pituitam generare, vt ex dispositionibus illis apparet, & nunc ægritudinibus torquetur quæ dependent à pituita: ex hac coniectura video ventriculum frigidum esse, quæ duo inæqualitatem faciunt maximam: & cùm in ventriculo sit frigiditas præter naturam, malè concoquit, & humores crudi aggregátur: & quia secunda concoctio non corrigit primam: vbi enim excesserit prima, non corrigitur, quin humor crudus non sit crudus, cùm in ventriculo est genitus: & cùm hepar intemperatū est, in quo sanguis generatur, si excedat ad intensum, adurit: si deficit, crudos generat humores. Cùm ergo hepar ratione caliditatis cholericum generet sanguinem, ventriculus ratione frigiditatis pituitam, non est mirum si omnia hæc contingant, maximè cùm natura imbecillum caput habeat suscipiens bilem plurimam, ac pituitam simul: quia Galenus & Auic. inquit à natura ita institutum esse, vt debilia membra superfluitates suscipiāt aliorum. Non est mirum igitur, si puella debilis capitis, vt ex principio natiuitatis apparet, excrementa in ventriculo, hepate, & in ambitu totius genita suscipiat: ascendunt enim bilis & pituita ad caput, & ibi incrassata descendunt, & omnes dispositiones, quibus affligitur, generant. Et quia perpetuò vapores ascendunt ad caput imbecillum & magnū, & hepar calidum, & ventriculum frigidū habet, ideo habet omnes causas, vt incurrere potuerit in has dispositiones, quia habet omnia quæ possunt replere caput. Et ideo dolorem capitis incepit pati, qui perseueravit, quia causæ perseuerabant: & quia repletio ad intensiorem deuenit, defluxū fecit, & ad inferiora decurrēs ad loca magis preparata, expellitur: sunt autem imbecilliores iuncturæ. Descendit ergo materia

teria pituitosa bili permixta, tanquam vehiculo quo-
 dam, per partes posteriores, & per spondylos colli,
 per nervos aditum habens, vt inquit Galenus in *x.*
νατὰ τόπους, vbi de podagra loquitur. Occupat au-
 tem iuncturas, cum ibi chordæ & cartilagine sint, &
 loca exanguia: ideo ibi detinetur, & cum imbibitur,
 non facile tollitur. Eadem præterea materia cum de-
 stillat ad pectus, catarrhum facit: & eadem prorsus
 materia est, bilis scilicet & pituita, quæ omnes istas
 dispositiones facit. Secundum autem quod diuersa
 occupat loca, diuersa fortitur nomina: si enim pedes
 occupat, podagra: si iuncturas, arthritis: si pectus, ca-
 tarrhus appellatur: quia verò materia hæc occupat
 anulos asperæ arteriæ, bróchus appellatur. Quæ au-
 tem est causa faciens dolorem in costis? est materia
 biliosa & pituitosa, faciens difficultatem anhelitus,
 quia nõ potest pectus dilatari liberè, sicuti oportet:
 non quod adsit aliqua imbecillitas virtutis causans
 talem difficultatem: nec aliam ob causam id accidit,
 sed ex copiosa materia, vt pectus nõ possit liberè di-
 latari, vt iam dixi. Et licet nõ habeat tussim, hoc pro-
 uenit, quia materia illa non mordicat: & fortè exci-
 tatur, cum magis putridus humor fiet. Sed difficul-
 tas apud me est, vbi sit causa efficiens dolorè in co-
 stis, & vbi sit ægritudo, an in diaphragmate, vel in
 pulmone, an in musculis exterioribus. In hepate esse
 non potest, quia est supra hepar, & non excedit men-
 dosas costas. In diaphragmate esse non potest, quia
 maior esset difficultas anhelitus, & sæuiora acciden-
 tia, & non esset sine tussi: quia cum patitur diaphra-
 gma, excitatur tussis, etiã si in hepate fuerit materia,
 eam expellere natura quærit. Vbi igitur erit? Si volu-
 mus secundum rationem sumere cõiecturas, cum per
 illas interiores ægritudines cognoscantur, tertio de
 locis

locis affectis, crediderim hanc affectionem esse in musculis exterioribus, nō in membrana, quia dolor ille magis acutus esset, vt patet in ijs qui habent falsam pleuritidem. Habet autē dolorē, quia musculus valde sensibilis est, & ob hāc causam habet difficultatem anhelitus, non quidem per essentiā, sed per consensum. nec ad pulmonem descendit materia, quæ faciat talem difficultatem, quia adesset tussis, & perciperetur sonus per respirationem transiens. Et fortē causa cur maior nō sit dolor, est, quia in musculis exterioribus est causa faciens dolorem, & non in interioribus. Et quia in vna vice non potest dilatari pectus, omnes musculi conueniunt vt suppleant, ideo sequitur difficultas ob dolorē in musculis. Sed cū affectus sit in ea parte, credendum est membranā ratione cōsensus pati, & ideo fit pulsus durus, ac si esset in membro membranoso affectus. apparet postea serinus, cū dolor est in membrana succingente costas. Hactenus sit dictum de dolore in costis existente, & de difficultate anhelitus: & quātum attinet ad dolorē iuncturarū, & ad causas eius: & quòd factus est per defluxū materiæ biliosæ & pituitosæ per spodylos colli descendentes: loca verò non habere in se ægritudinem, sed quia defluit materia illa, ita quòd cessante defluxu, cessabit etiā dolor: & quòd caput naturaliter debile, à ventriculo malè affecto, & ab hepate suscipit excrementa, ideo dolore capitis molestatur: & cū descendit materia hæc ad costas in musculo exteriori, causat dolorem ibi, ad cuius consensum membrana patitur interior, & facit difficultatem anhelitus, & pulsus durum. Non dicam quomodo extrinseca fuerint in causa, quòd hæc contingerent, quia hæc dicta sunt. De febre autem, quia uniformis est, vt apparet ex motu perpetuo, quæ vni-

formē seruat, non credo quòd propter dolorē iuncturarum aut capitis causata sit: quia cōtingit sæpe, quòd aliquis habeat dolorem capitis & iuncturarū, & non habeat febrem, & si adest, vt in podagra, maximus est dolor: sed nec diu perdurat, nec vniformis est. Credo ergo quòd sit ratione doloris existētis in costis, quia stante materia in loco calido cordi vicino, putrescit, & febrem accendit: & ideo verisimile est, vt febris nascatur ab ea causa. Sed à quacunque causa proueniat, credo quòd à materia dependeat: & quòd sit febris accidens, & à dolore illo dependens, & ab humoribus putrescētibus in locis dolentibus, quæ remouebitur ad remotionem suæ causæ, sicut curatur febris curata pleuritide. Ideo Hippocrates in secundo de ratione victus in acutis, curat dolorem neglecta febre. Cognita igitur essentia & natura ægritudinis, & cognitis causis, facile est videre quid præfagiendum sit, & quid agendum. Quo ad præfagium, si consideremus dolorem capitis, nullus vnquam, vt dicit Galenus in secundo *κατὰ τόπος*, mortuus est ex dolore capitis: ideo talibus negat dari opiata. Quo ad dolorem iuncturarū, idem etiam dicendum est, vt patet experientia. Quo ad dolorem qui est in musculis exterioribus, tutissimus est. Quo ad febrem, non est tanta, vt possit interficere. Quantum igitur sit ratione ægritudinum, non est timendū: et si timendū esset, de debilitate virtutis deberemus timere, quia cū quis debilis est, si portaret pòdus decē librarū, caderet: quod nō faceret baiulus cum pondere decē milliū librarū. Cū igitur virtus sit valida, isti morbi nō erūt lethales, bene erūt longi: & in longitudine cū multa noua possint cōtingere, timendū est ne febris fiat habitualis, & ne dolor inducat puellā ad virtutis debilitatē & ma-

ximam refrigerationem. Credo tamē quòd diligentia nostra nullum horum occurret. Quod ad curationem attinet, cūm morbus iste sit ex repletionem, indicat de euacuatione. Sed quia non est simplex res indicans, ideo nec simplex oritur indicatio: ultra enim corporis repletionem, quæ debet euacuari, est caput imbecille, ex cuius imbecillitate repletur, & causantur dispositiones istæ: & præterea adest inæqualitas in hepate, & vētriculo. Ideo primò euacuandum est, secundò corroborandum. Quod ad euacuationem, cūm bilis & pituita sint causa, siue cholera vitellina, quæ cholera maioris famæ ab Auicenna appellatur, sitq; crassius humor, debemus habere indicationes, & modum operandi, vt abstergamus & incidamus, quia habet crassitiē, & visciditatem. Cūm ergo nō possit euacuari, nisi præparemus: possumus igitur præparare prius, & possumus etiam minoratiuum præmittere. Et mihi summopere placet, quia syrups qui debent subtiliare humores & incidere, nisi ventriculus, & venæ mesaraicæ fuerint expurgatæ ab humoribus crudis, distribuerentur humores illi crudi per syrupos ad venas, & putrescerent, & facerent febtem: ideo rectē minoratiuū præmittendum est. Euacuata autem materia illacōmuni existente in vijs ductuum, ad digerentia procederem. Sed hic esset aliquis qui diceret: Tu vis incidere, sed ab oxymelite, & omni re quæ acetum habet, est cauendum, quia neruis nocet. Ego vidi Galenum I I I. *cap. à viii*, vbi loquens de aceto, & de ægritudinibus neruorum, dicit ibi: Cūm ægritudo neruorum est in profundo, & virtus aceti non transeat cum medicina, acetum non timeas. Et in emplastris ad neruorū vulnera, vbi debet apponi aliquid ad penetrandum, ponit acetum. Nec timeas igitur (inquit Galenus) ibi
acetum

acetum, quia antequàm accedat ad nervos, amittet mordacitatē, & adiuuabit ad penetrationem. Si verò statim tangeret emplastrum nervos, caueas ab acetum, quia faceret conuulsionem. Cùm igitur in vulnere profundo per quatuor digitos non timeamus acetum, non timebimus in casu nostro acetum, tantò magis, quia melli, vel zuccharo est admixtū, & in ventriculo cum humoribus permiscetur: quia dicit Galenus de cepis, & allijs, quòd licet exterius vlcerent, interius tamen non mordicant, quia amittunt mordacitatem in ventriculo ex concoctionibus, & mixtione aliorum ciborum. Habet postea acetū vim incidendi, & mel abstergendi: ideo Mesues dixit de syrupo acetoso, quòd acetum facit penetrare medicamentum ad locū, ad quem fortè non penetraret. Ideo oxymel simplex aut acetosum cum syrupo de betonica acciperem, cùm ob incisionem, tum etiam vt faceret penetrare alium syrupum. & sic facerem:

℞. Oxymellis simplicis ʒ s.

Syrupi de betonica

Mellis rosati

ana ʒ s.

Deinde acciperem decoctum betonicæ, endiuix: & quoniam calidum est oxymel, licet Galenus dicat ipsum potius frigidum esse, aquam endiuix miscerem vsq; ad ʒ iij. vt caliditas contemperaretur. Facta concoctione, nunquam ab agarico recederem, quia Agaricus vltra hoc quòd de benedictis medicinis fit, crassos humores educere potest, si cum aloë, vel rhabarbaro misceatur, & exhibeatur in forma boli. Nec sum ego illius opinionis, vt credam, cùm volumus à longinquo euacuare, in forma potabili exhibenda esse medicamenta: cùm autem à capite volumus euacuare, in forma pilularum. Credo ego quòd fundentur in falso fundamēto, & contra Galenū r r.

de facult. nat. in v. de simp. medica. & in I I. vbi vult quòd humores trahant ad ventriculum, & ventriculus imbuat illa qualitate, vt sopita propria ipsius actione, attrahat humores ad se: nec vapores aut medicamenta ascendunt, sed manet in ventriculo medicina, & trahit. Cùm igitur volumus exhibere medicinam, vt facilius expellatur, nec potenter euacuet, facimus eam in forma potabili: si verò vt potenter euacuet, nec ita de facili expellat, potius oppositum esset faciendum: ideo vel in forma potabili, vel boli, & cum rhabarbaro exhiberè, ne tota materia, si esset intentio, & opportunum esset, euacuaretur, vt paulatinè euacuemus, & paulatinè digeramus. Factis euacuationibus, & replicatis syrupis eos augendo, cùm videbitur materia concocta, accederem ad corroborationem membrorum, & preservationem. Primò ergo respicerem ventriculum, & hepatis, & si non esset caput exquisitè euacuatum toto corpore euacuato, quia multoties figitur materia in loco, & localibus indigemus, caput purgij etiam vten dum erit, & post succum betæ, maioranæ, ad succum cyclamini accederè per nares trahendum. Facerem masticatoria, cum mastiche, dictamno, & radicibus capparis decocta. Et quia radix hæc amara est, cum staphisagria, vel pipere fieri posset: & ita vellem caput localibus euacuare. Inspergerem præterea caput cum sandaracha, rosis, maiorana. Et pro corroboratione hepatis & ventriculi, si chebuli myrobalani haberi possent, essent optimi ad corroborandum etiam iuncturas: si non possent haberi, zuccharum rosaceum esset conueniens pro corroboratione hepatis, & ventriculi, & iuncturarum. Si etiam videretur vt humores à iuncturis euacuarentur, fieri posset, & materia eligeretur conueniens. Istis igitur prouidetur

disc-

dissemus. Et quia longa est ægrotudo, & membra affucta sunt mandare, & recipere, vt corroborentur tam membrâ mandantia, quàm recipientia, ne diutius repleantur superfluitatibus membra, & fiat recidiua, ter vel quater in mense pilulam vnam ex aloë cum rhabarbaro exhiberé. In æstate verò modicum casisæ cum rhabarbaro, & etiam sana ipsa existente id fieri posset. Et istud est iter, quo ego procederem. Quo ad victum, cum ægrotudo sit chronica, & debilitentur membra, vinû leue conueniret. Et quòd dicitur vinum nocere neruis, veritatem habet de potenti, & de assumpto in magna quantitate: conuenit autem ne stomachus debilitetur. Ideo tenue vinum darem, non album: licet Galenus album exhibeat, vt prouocet vrinâ. Nos autem eligemus ciresolum, vulgari sermone rosseto nuncupatum. In reliquis rectè se habeat. Factis autem euacuationibus, nûquid modicum theriaca vel Mithridati cum modico zucchari rosati cõueniret? Quæsiuit D. Marcus Alcherius ea de re, & conclusum fuit quòd sic, in modica quantitate, puta ad quantitatem fabæ, & rarò: quia dicebat Montanus ex Galeni sententia, medicaméta ista non conuenire pueris: ex hac enim medicina concoquetur materia, corroborabuntur membra, & materia resoluetur. Et pro corroboratione cerebri, & cordis proposuit Diamuscum dulce cum corallis rubeis, & cum zuccharo, & aqua rosacea, vt fieret confectio: Pro confortatione autem iuncturarû proposuit fomentationé ex lacte, cum rosis, floribus camomillæ, & meliloti. Vnctionem etiam ex radice ebulorum ad quantitatem ζ j. cum olei rosacei ζ vj. ad consumptioné tertię partis. Et vltra confortationem ad resolutionem materiæ existentis in iuncturis, proposuit vnctioné ex olei rosati ζ ij. & olei de

terebinthina $\frac{3}{4}$ j. Superius minoratiuū fuit præ-
termiffum, quod tale est:

℞. Electuarij lenitiui $\frac{3}{4}$ j.

Cum zuccharo fiat bolus. vel fiat potabile hoc
modo:

℞. Electuarij lenitiui $\frac{3}{4}$ j.

Syrupi rofatiolutiui $\frac{3}{4}$ j.

Cum aqua cichoreæ quantum fufficit, fiat potio.

*Consult. XXX. De apoplexia terminata in paraly-
fim dextri brachij & cruris, cum diminutione ea-
rundem partium, pro nobili Illyrico.*



IC nobilis vir accessit in Italiam cum li-
teris etiam Regijs subscriptis manu Fer-
dinandi, quæ iubent subditis, ac rogant
exteros, vt pro viribus suis iuuent stre-
num & egregium hunc militem, hanc præcipuè ob-
causam vt curetur à paralyfi, quam ipse dicit se habe-
re in dextro brachio & crure: & dicit eas partes plus
cæteris diminutas, ita vt suspicetur ne tandem de-
struantur & deueniant ad sphacelismum vel sydera-
tionem, & ita pereant. Licet autem hoc præcipuè pe-
tat, queritur tamen etiam de quibusdam cōsequen-
tibus anno elapso, incidisse se ait in quãdam apople-
xiam, ex qua remansit hæc paralyfis. Sed ante hoc
tempus passus est varia symptomata, quæ omnia na-
scuntur ab vno eodemq; principio, videlicet à destil-
latione catarrhi à capite in partes subiectas, quæ fa-
cit diuersa symptomata, prout in diuersas partes de-
scendit. quandoque ad iuncturas & brachia descen-
dit, vt non possit mouere: aliquãdo ad ventriculum,
& habet appetitum vomendi, non vomit tamen, sed
longo tempore continuè expuit pituitam. Et dicit
vnum

vnum animaduertendum, quòd cum à medicis pur-
 gatus esset & missus sanguis, incidit in difficulta-
 tem omnium motuum: & cum mitteretur ad balnea
 & ingrederetur, secuta est diminutio sensus & mo-
 tus, & omnium virium prostratio, quæ diu durabat,
 ita vt tantum ossa & pellem habere videretur. Id to-
 tum medicorum culpa factum ait, se autem interim
 non conualuisse. Vtrum hoc modò sit ex vitio medi-
 corum, nec ne? Ex pituitæ multitudinè esse ortum con-
 stat: est enim subiectus maximè pituitæ generationi,
 quæ tota à capite orit: quia ipsemet à capite descen-
 dere sentit. Còqueritur & de alijs, sed hæc sunt præ-
 cipua, ad quæ reliqua consequuntur. Vnum aduer-
 tendum est, quod possumus conijcere ex habitudi-
 ne totius corporis, ex ratione victus præcedentis,
 quòd habet caput valde subiectum generationi pi-
 tuitæ, hepar præcipuè calidum: nam ex colore, habi-
 tu corporis, amplitudine venarum, hoc hepar cali-
 dum ostenditur. Qui autem habent hepar calidum,
 subiecti sunt multis euaporationibus ad caput, & de-
 stillationibus. Et reddit rationem Galenus I I I. de
 locis affectis, de dolore capitis, cur facilè omnem re-
 pletionem capitis patiantur. quòd si caput etiam hu-
 midum fuerit, eius etiam ratione plura excrementa
 aggregantur. Et ideo non mirum est, si hic vir fuerit
 subiectus plurimis destillationib. & repletus pitui-
 ta generata in capite, quæ mucus propriè vocatur à
 Galeo, cum distinguitur à pituita generata in ven-
 triculo. Habet igitur ortum hoc ex naturali disposi-
 tione: & quidem signa sunt tale fuisse caput. Refert
 autem ipse, quòd à principio ortus habuerit pluri-
 mas excrescentias circa caput: primò nodum quen-
 dam seu duritiem circa oculum dextrum, quem inci-
 dere oportuit, vt adhuc ex cicatrice apparet: in ea

parte postea paralyſim paſſus : in parte ſiniſtra alias habuit excreſcentias, quæ quales fuerint, neſcit cõ-
 modè exprimere, cùm interdum nõ ſit idoneus. Cõ-
 ſuetus eſt plurimum expuere, & varias paſſus eſt æ-
 gritudines ex deſtillatione catarrhi. Sic conſtituto
 corpore, exercuit artem militarem, & gladio multa
 acquiſiuit: habet (vt aiunt) x x x. caſtella, quorũ ma-
 iorem partem gladio acquiſiuit, vir ſtrenuus, & qui
 multa animi accidentia paſſus eſt, ſeditiones cum a-
 lijs & bella inteſtina, & in ijs amiſit multa, multa etiã
 ab alijs acquiſiuit. Ad hæc acceſſit ratio victus: plu-
 rimũ bibit, nec enim etiam cùm moderatiſſimè bi-
 bit, bibit minus ampla ſitula, & tamẽ quærebat vtrũ
 ſufficeret. Ego, quia in tempore ſanitatis decuplo
 plus ſe bibere dicebat, permiſi ratione conſuetudi-
 nis. Plurimũ igitur bibere ſolitus, & optimè viuere:
 nam bene accõmodatus eſt in omnibus rebus. Nam
 interdum habet cõtum currus vini optimi. Acceſſit
 igitur ratio victus, quæ diſpoſitionẽ naturalem cor-
 poris iuuat, & nunc eſt in tempore ætatis paracma-
 ſticæ, & eſt x x x. annorum, in primo ſenio, vbi de-
 ſicit calor. Et quia ſic vixit, & corpus cõmodum ad
 ægritudines habẽs, nõ mirũ ſi inciderit in tam leuem
 apoplexiam, ſi modò apoplexia fuit: ea non amplius
 laborat, ſed tantũ cùm aliquid molitur, adhuc pa-
 titur vertigines, quę ſunt, vt & reliqua ſymptomata,
 ad imbecillitatem capitis referenda. Ab ea apople-
 xia curatus, nunc habet paralyſim, quæ potius eſt ex
 relatione ſua, quàm ex ijs quę apparẽt, quod cogno-
 ſcatur. Dicit membra lateris dextri minora, ſed non
 apparet: nam etiam filo meſuram accepimus. Dicit
 ſe habere difficultatem in motu, illud nos credere
 neceſſe eſt: ſed video tamẽ non minus regere gladiũ
 in omnes partes, quàm aliquis validiſſimus. Sed di-
 cit

cit se in eo motu magnū laborē pati in ijs partibus, & in omnibus articulis impedimentū: nihilominus validissimè mouet. Pollex aliquanto magis illi à manu diuulsus in vtraq; manu, maximè tamē in dextra: fortè in situ eius digiti morbus est, quanquā nescio an id sit ei naturale. Est præter hoc vnū aliud: multa imaginatur quę nō sunt. Diebus elapsis cū optimè haberet, quidam amicus ad eum accedens, manus illi cōpressit, & post ipsam cōpressionē deterius se habere ait, cū tamen non possimus aduertere. Habet & oculos truces, qui significant animi intentionem acrē: & ratione ætatis xxx. annorū, & etiam temperaturę, abūdat humoribus adustis, quę omnia obseruanda. Tota hac hyeme, & à principio cū nihil aliud cogitarē, semper protestatus sum me solum nō aggressurum curam illius: & quanquam erāt qui illi persuadere vellent, vt tum inciperet, & illi integram sanitatē pollicerentur: ego tamē nolui eam aggredi, nisi in vere, & quidē non solus facere volui. Est obedientissimus, omnia facit quę iubent medici, & diligenter, vultq; curari. Tota hyeme vnctiōnes & linimenta habuit, pilulas item ex hiera, rheubarbaro, & agarico diuersas, sed dimittere coactus, quia simplices melius operabantur & educebant pituitam, quod mirum est, ita viscidam, vt non possit auelli à pelui: abundat enim pituita maximè, vt si quod corpus aliud. Sed præter hoc habet aliud: circa regionē stomachi in latere dextro habet excrescentiam aliquam, vt nodus vel scirrhus: est tumor languidus, qualis est in herniosis. Nescio an sit hernia ventris prope ventriculum, ita vt siphac, vt Arabes vocant, vel peritonæum ruptum, & aliquid omenti excidit, quod faciat herniam, sicuti solet fieri in partibus inferioribus. Quod si non est, difficillimū erit dicere

quòdnam genus excrescentiæ sit . Non est scirrhus, nec glandula: si quid est, erit hernia, & quidem est casus valde rarus. An possit curari? Quo ad morbum, dicere facile curatu: quia paralyfis leuissima, sine deperditione sensus, nec cum ablatione motus est. Magna enim dicitur paralyfis, cum amissione vtriusque: parua, cum perditione motus. hæc est tantum cum diminutione motus, vt ipse dicit. Sed habet alia difficilia: est confirmata paralyfis, & sequuta apoplexiam: nec curatus est, cum tentatet curam tempore morbi recentis: est in primo senio in ætate paracaltica: caput habet perpetuò generans pituitam: nec satis per omnia obediens, quia si vinum prohibeas, vitam adimes: & si parum bibat respectu consuetudinis, multum tamen est ratione morbi, & parum se exercet. Hæc impediunt curationes vt metuum: ideo anceps sum propter rationes ancipites. Si mihi tamen curandus sit, vt hodie est, sic aggrederer curationem. Primò exquisitissimè purgarem, & ideo maturè incœpi, vt non vna vice, sed vt pluribus euacuare possim. Accepit minoratiuum ex flore cassiæ, quæ eduxit pituitam plurimam cum bile non pauca. Iam syrupos accepit non paucos de betonica & cichorea, ad concoquendam bilem & pituitam: quia vtrumq; respexi in decoctione materiæ: & bene conferunt, quemadmodum ipse dicit. Purgarem cum euacuantibus pituitam, cum cõfectione hamech, vel pilulis cochij, vel aggregatiuis, & cum his in quibus agaricus & colocynthis ingreditur, quæ educunt pituitam & humores crassos, & simul respiciunt ad humores crassos, & ad humores adustos, habent enim scammoniũ, & myrobalanos. Ideo idem est apud me dare hoc vel illud, quia eadem intentio est euacuare humores crassos & adustos. Semel pur-

purgato corpore, post aliquot dies iterarem euacuationem, & postmodum ubi tempus balneorum aduenerit, ad thermas eum mitterem: est enim corpus, quod aptissimum est ut accipiat eas secundum omnem modum administrandi. ventrem, ventriculum sesquipedalem habet, aptus est ut bibat: & quam hepar calidum est, non tamen ita poterit nocere, si praesertim muniamus & defendamus hepar refrigerantibus, uti consuetum est. Habet caput humidissimum, aptissimum ut accipiat stillicidium. Et quia de iuncturis etiam queritur, nataret in ijs, & uteretur etiam tutò. Quid post balnea faciendum sit, postmodum scribemus, cum intellexerimus quid balnea profecerint. Sed quia imaginatur multa, oportet attendere humorem melancholicum, quem abundare video, quod etiam ipsa facies indicat. Sed quid de eo faciendum sit, tempus indicabit, ubi primò euacuauerimus. Vnum omisi, quod ad sanguinis missionem attinet. Dicerem mittendum quam citissimè: sed vnum est quod me impedit: dicit se antea ex incisione venae incidisse in priuatione sensus & motus, atque ita defecisse, ut tantum ossa & pellis remaneret. Id sanè siue sit imaginatio quaedam, siue verum sit, ita ut sit secta vena à medico imprudètiore, humoribus crudis abundantibus in corpore, qui attracti ad venas illa symptomata excitarunt, tutius erit eum primò euacuare à pituitoso humore, & postea videre de missione sanguinis. De casu virtutis non est quod vereamur: est corpus robustum, & facile se poterit recreare, ubi semel atque iterum biberit: habet optima vina, nec est quod properemus in eo: vult enim in consilijs medicorum consistere, donec integre sanetur.

Consult. XXXI. Pro eodem nobili Illyrico.



Vratio, quæ in tota hac hyeme est facienda à sua D. modò infrà scribetur. Primò omni diligentia conabitur sua illustrissima D. habere rectam rationem vitæ, sine qua sanitas acquiri non potest. Cauebit igitur quàm maximè ab aère frigido & ventoso: & exercebit corpus suum mane & serò ante cibum, saltem per horam, exercitio mediocri, vel deambulando, vel equitando, vel alio motu se mouendo, donec totum corpus calefiat notabiliter, & maiorem faciat anhelitum: postea quiescat circa horam saltem dimidiam: deinde sumat cibum, qui quidem sit in quantitate quantum S. D. bene ferat, seruata sua consuetudine, & natura. Sed sit ille cibus vnicus, & simplex: multitudo enim epularum destruit vires ventriculi, malosq; & putridos humores in toto corpore generat. Vinum eligat album, vel rubeum, clarù, quod sit purgatissimum, limpidum, & transparens, nõ dulce, neq; acidum, sed medijs saporis, quod bibat temperatè. Et ante omnia caueat ne inter cœnâ & prandium bibat, hoc enim illi maximè nocet. Carnes, quas comedet, erunt vitellinæ, hædinæ, cuniculorum, gallinarum, caponum, perdicum, & auium campestrium. A carnibus antiquis, vt est bubula, omnino abstinebit, & à carne porcina, siue recens, siue salita fuerit. Item abstinebit ab omni genere piscium, à pastilibus, à lacticijs, & præcipuè à caseo. Sit contentus prandio tantùm & cœna, nil vltra comedat siue noctu, siue interdiu. Quotidie curet habere beneficiû alui: quod si defecerit, & rarò sæces emiserit, vtatur aloë non lota vna hora ante cœnam pondere scrupulorum tertio quoq; die in forma pilularû. Ab vsu
veneris

veneris absteineat: est enim ægritudini sue quammaximè aduersus. Hac ratione victus adhibita exactè singulis septimanis caput abluet circa horas vespertinas more infra scripto. Fiat lixiuium satis acre ex cinere forti, & in eo lixiuio decoquantur folia maioranæ, stœchados, rosarum, radices asari, & facta decoctione & expressione dictarum herbarum, postea accipiatur quantitas lixiuij quæ est necessaria pro vna ablutione, & in ea imponantur drachmæ duæ agarici incisi, & inuoluti in panno lineo, & bulliat aliquot ebullitionibus, postea fiat fortis expressio, & colatura. Et ex hoc lixiuio lauet caput, & barbam, cum sapone odorifero & muscato. Item singulis diebus in introitu lecti vngat omnes vertebrae colli in ea regione, quæ dicitur nucha, & declinet cum eadem vnctione ad totam spatulam dextram, & brachium. Vnctio erit infra scripta, & adhibebitur hæc vnctio calefacta:

℞. Olei vulpini antiqui

Nardini

De costo

De euphorbio

ana ʒ j.

ʒ s.

Misce, & vtete, prout dictum est superius. Item singulis diebus comedat vna hora ante prandium rotulas duas ex confectioe infra scripta:

℞. Garyophyllorum optimorum

Nucis muscatæ

Cinnamomi

Zedoariæ

Zingiberis

Piperis longi

Albi

ana ʒ iiij.

ana ʒ s.

ana ʒ j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceatur cum saccharo albo, & aqua betonicæ, fiat confectio in ro-

tulis pondere drach. duarum, de quibus singulis vicibus duas accipiat, prout dictum est. Item

℞. Agarici electi	℥ s.
Aloës	3 ii.
Nucis muscatæ	
Cinnamomi	
Garyophyllorum	ana 3 j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & cum syrupo de stœchade fiat magdaleon, de quo singulis vicibus formentur pilulæ pondere drachmæ vnius, sumendæ in aurora, in septimana semel, & eo die custodiat se ab aëre, & ab omni motu corporis, aut animi. His ita peractis accedet, Deo adiuuante, ver, in quo fortasse cum diuino auxilio se sanum percipiet. Sin minus, eadem diuina fauente gratia aggrediemur perfectâ curationem, quam polliciti sumus, ad laudem Dei omnipotentis, qui viuit ac regnat per infinita secula seculorum.

*Consult. XXXII. Pro eodem, continens
curationis factæ ordinem.*



Ircæ principiu hyemis M. D. XLVI. accessit ad nos nobilissimus ille vir Illyricus natione, cum paralyfi diminuta totius dextri lateris, præcipuè tamen manus & brachij, qui quemadmodu ipse referebat, plurima varijs in locis expertus fuerat, diuerforum medicorum vsus ad suam salutem recuperandam opera: habuerat etiam Venetijs peritorum medicorum consiliu. Quibus omnibus ita instructus cum ad me tandem peruenisset, intuitus que essem anni tempus atq; aëris constitutionem frigidam, in qua versabamur, etatem decidentis (agit enim XL. annum) morbi speciem nõ tantu natura frigidi, sed etiam longo tem-

go tempore confirmati, nolui tentare curationem, quam ego eo tempore desperabam. Et ita planè & explicitè quemadmodum sentiebam, suæ Dominationi declaravi, talem curationè tunc omnino non esse tentandam: ideo ei persuadebam, fatius esse vt in patriam abiret, rediturus deinde tempore magis opportuno. Cumq; D. S. decerneret se hîc acturam quod ego consulerem, quantum ad curationem attineret, præstare iudicauit tota hyeme morari potius in Italia, verno tempore postea curandû, quàm tantum itineris eundo & redeundo frustra conficere, à me petens interim, vt quæ expedire viderentur mihi, saltè ad præseruandum corpus in tota hyeme diligenter præscriberem. Cui rei cùm esset planè satisfactum, aduentante tandem vere curationè aggressi sumus, consilio etiam simul adhibito alterius excellentissimi medici. Nunc tandem à me petit ille idem Illustris dominus, vt sicut præscripsi quæ ad præseruandû facerent in præterita hyeme, ita nunc describâ, quæcunq; & ego & alter medicus ille consulimus pro curatione à principio vsq; ad finè, nihil omittentes omnino, & aliud addentes quæcunq; facere deberet post curationem, quo diu à principio commemorabitur. Volentes igitur huic suæ petitioni satisfacere, dicimus consilium nostrum hoc vere esse, totum corpus primò exquisitissimè purgare & missione sanguinis, & pharmacia. Deinde purgato corpore, ad attenuanda & corroboranda membra pituitoso humore refertissima, primò Apponentes aquas biberet, deinde in iisdem lauaretur, deniq; vapores quoq; & lutum earundem thermarum affectis membris applicaret. & ex hac curatione speramus illud commodè successurum, quod in tali casu succedere potest. Sanguis igitur missus fuit à com-

muni vena nõ quidem dextri lateris, ne ad affectum tota materia traheretur, & totus etiam affectus per sanguinis missionẽ magis etiam refrigeraretur, sed finistrum potius elegimus. Euacuationes verò fuerunt infra scriptæ. Pro minoratione accepit:

℞. Floris cassiæ ʒ xij. Cum saccharo fiat bolus. Deinde syrupos:

℞. Syrupi de cichorea simplici

De betonica ana ʒ j.

Aquæ Iuæ arteticæ ʒ iiij.

Misce pro vno, & sic pro alijs septem. Post septem syrupos, sequentem habuit medicinam:

℞. Cassiæ ʒ j.

Confectionis hamech ʒ s.

Misce, cum zuccharo fiat bolus, accipiendus in auro-ra cum custodia. Post hanc pro vberiori præseruatione sequentes sunt ordinati syrupi:

℞. Syrupi de betonica

De cichorea

Oxymellis simplicis ana ʒ vj.

Decocti betonicæ

Cichoreæ ʒ iiij.

Misce pro vno, & sic pro alijs. Post septem syrupos iterum exhibita est medicina:

℞. Floris cassiæ ʒ vj.

Confectionis hamech ʒ s.

Decocti betonicæ

Cichoreæ quantum sufficit.

Misce pro potu.

Consult. XXXIII. De destillatione à capite, ulceribus, animi deliquijs, epilepsia, imaginationibus melancholicis, & alijs plurimis, pro Marchione quodam Montisferrati.



Vpposita tali tēperatura nobilissimi viri, qualem audiimus, quę dupliciter est inæqualis: primò secundum totum, cum recedat à temperamēto per calidam & siccum: secundò per membrorum nobilium inæqualitatem & contrarietatem: est enim, vt refertur, frigidioris ventriculi, & calidioris hepatis. Supposita inquā huiusmodi temperatura, dicamus hoc corpus paratissimum esse ex propria sua natura ad multa magnarum ægritudinum genera, & perpetua præseruatione egere. Quandiu ergo fluebant hæmorrhoides & sanguis etiam è naribus, vtrunque magna etiam copia, vt intelleximus, & quandiu fistulam in ano apertam & fluentem sustinuit ob tales diuersiones, purgationes, & deriuationes, corpus hoc aliquid tantò melius habuit: vbi verò omnia suppressa sunt, non sine ratione destillationes, vlcera, animi deliquia, & fortè etiam accessiones epilepticæ, imaginationes melancholicæ, febres acutæ, pustulæ, & exanthemata in cute, stupores & grauitates capitis, aliq; id genus successiuè infestant, infestant quò nobilissimum virum. His ergo omnibus multis quæ alijs, quæ proculdubio progrediente ætate succederent, nisi vita interciperetur, prouisurus, proponam duo cōmunia necessariò tam in præseruatione, quàm in curatione seruanda: primò diligentem victus rationem: secundò auxilia quę haberi possunt, tum per pharmaciam, tum per manuum operationem. Quantum ergo ad victus rationem, circa aëris

qualitatem consulo, vt omnes vitet excessus tam caloris quàm frigoris: propterea æstate atq; hyeme regetur diligentius quàm temporibus medijs: æstatis enim calor sanguinem adurit, & humorem præparat melancholicum: hyemis verò frigiditas auget ventriculi imbecillitatem, crudos humores & flatus generat, & in his omnia sunt semina ægritudinum. In vtroq; ergo excessu ea cura adhibenda est, vt æstate à caloris iniuria, in hyeme à frigore, quantû fieri potest, se muniat atq; defendat. Somnum & vigilias ita moderetur, vt longè magis inclinet ad somnum: longè enim præstat in tali temperatura somnum excedere, quàm vigilias. Nihil autè magis perniciosum sibi existimet quàm animi insignes molestias, siue fuerit ira, siue mœstitia, siue timor: hæc enim omnia tanquam venena caueat humores corrumpentia, membris principalibus perniciem afferentia, concoctionem omnem impediencia. Quærat igitur omni ingenio lætè & iucundè cum gratis amicis viuere, occasionesq; omnes alterandi animi euitet. Vsum veneris neq; omnino interceperim, neq; admodû concesserim: parcius tamen eius vsum eligerem ad excitandum potius corpus, quàm resoluendum. Caueat quammaximè ad venerem accedere vel post plurimos animi aut corporis motus, vel post ciborû plenitudinem. Studeat singulis diebus excremèta corporis reddere. Quòd si vel natura vel ægritudine fuerit impeditus, erunt remedia salutaria, vt tribus horis ante prandium vel tres drachmas terebinthinæ deglutiat, vel ius pulli, in quo decoctæ sint beta, malua, mercurialis, & pruna dulcia, vel vt sumat cochlearia duo optimi aceti scillitici, vel vt manducet ac deglutiat drach. mediam optimi rhabarbari: hæc enim omnia excremèta alui optimè educèt, ac mem-
bra

bra naturalia sine læsione corroborabunt. Corporis autem exercitio, quantum fieri potest, congruis horis incumbat, quæ erunt maximè matutinæ, sitq; exercitij genus longum potius quàm velox, vsq; ad insignem anhelitus mutationem & cutis humectationem: notumq; illi arbitror post exercitium munientum corpus ab aëris frigidioris iniuria, atq; in loco tepido quiescendum, neq; ad cibi sumptionem accedendū, nisi vbi prorsus quieuerit anhelitus, & totius corporis aduentitius calor, ita vt omnia ad pristinum statum redierint. Quantum ad cibi potusq; rationem attinet, obseruetur præcipuè ne ingeratur nouus cibus, nisi pristinus prorsus concoctus fuerit & distributus. quo errore sicut pleriq; omnes delinquant, ita ab eo maximè cauendum est, tanquam ab omnium malorū fonte & origine. Accedat ergo ad cibum cum naturali fame, quod vt fieri possit, parcè comedat ac bibat tam in prædio, quàm in cœna: imò si bis in die comederet, corpus illud non toleraret, vt multi non tolerant. Laudarè vt potius semel tantum singulis diebus vesceretur, quàm assiduè impotunis cibus sibi cruditates & humorum putredines compararet. Et hoc caput est & fundamentum curationis totius, sine quo reliqua omnia corruent, & necessariò destruentur. Caueat etiam à ciborum varietate, ex ea enim prauitas concoctionis, putredines, cruditas, satietas nauseatua, humorum malorum redundantia, & omne ægritudinum genus producit. Sit ergo vnico cibo contentus, eligatq; qui optimi sit alimenti. Vinum quærat maturū, colore medium & subrufum, substātia tenuissima, lucidum, & transparens, neq; acidum, neq; adstringens, qualia multa sunt circa Mediolanum. De particulari autem ciborum electione nihil dicendum arbitror, cū ni-

hil vulgatius, nihil omnib. magis expositū sit, quàm ea maximè expetenda quæ sint optimi nutrimentī, & facilis concoctionis: credoq; hæc omnia suæ Dominationi iam vsq; ad fastidium inculcata. Hæc igitur fatis erunt quantum ad totam victus rationem attinet. Reliquum est ad secundam partem propositam accedere, quæ circa medicationem & chirurgicas operationes versatur. Pro medicatione igitur compertum habemus, corpora inæqualiū membrorum perpetua præseruatione egere: quacumq; enim diligenti cura circa victus rationē adhibita, necessariò tamen pluribus excrementis redundant, quæ nisi optimè euacuentur, morbos pariunt. Ergo bis singulis annis hoc corpus euacuandum iudicamus, vere inquam & autumno: posseque euacuationem hoc ferme modo perfici:

℞. Floris cassiæ ʒ x.

Rhabarbari puluerizati ʒ ij.

Misce, & fiat bolus cū zuccharo sumendus manè ante cibum. Sequenti die bibat infrascriptū syrupum:

℞. Syrupi de cichorea Nicoli completi

Mellis rosati colati ana ʒ j.

Aquæ boraginis ʒ iiij.

Misce pro vno, & sic pro alijs vsq; ad septē. Deinde accipiat huiusmodi syrupum, vel pharmacū potius:

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Syrupi rosati solutiui ʒ ij.

Cum aqua boraginis fiat potus breuis, sumendus in aurora cum custodia. Quòd si fortè à potione pharmaci abhorreret, loco eius sumi possent pilulæ aggregatiuæ pondere ʒ j. s. vel bolus confectus ex ijsdē, drachmis iiij. Confectionis hamech cum diacatholiconis drachmis sex. Perfecta hac euacuatione, per quatuor subinde dies laudare vt manè & serò ante

rò ante cibum vnciam mediam sacchari rosati deglu-
 turet. Quòd si etiam in purgatione veris post secun-
 dum syrupum mitteretur sanguis è basilica dextri la-
 teris, crederem hoc præstâtissimum fore. Et hæc pro
 annua purgatione. Pro membrorũ corroboratione
 præstantissimum esset, si bis singulis mensibus, imò
 etiam ter sumeret tribus horis ante prandiũ bolum
 confectum ex drachma vna optimi Mithridatici, &
 drach. quatuor zucchari rosati. A reliquo pharma-
 corum genere cõsulerem vt postea abstineret: neq;
 enim tot inculcare corpori præsertim debili profi-
 cum est, cum omnia illud habeant commune quòd
 humanæ naturæ aduersentur, secundum propriam
 substantiam. De stillicidijs, & potu aquarum ther-
 marũ, dicam quod sentio. Primò stillicidia in com-
 missuris capitis prorsus respuo in hoc clarissimo vi-
 rò: est enim melancholicus, & augetur exiccatio
 cerebri, quo nihil deterius melancholicis. Præterea
 caput, iudicio meo, destillationem illam nõ patitur,
 quoniam suapte natura nõ humidum sit, imò potius
 siccum: sed destillatio prouenit ob multũ vaporum
 ascensum, quo caput iugiter repletur. Est autem hoc
 maximè commune: primò, vt quicunq; calidi hepa-
 tis sint, ad repletionẽ capitis sint paratissimi, quem-
 admodum affirmat Galenus tertio de locis affectis.
 secundò, quicunq; frigidioris ventriculi sunt, perpe-
 tuam habet materiam crudorũ vaporum per vias la-
 tas caput replentium. Non est igitur mirum, si cla-
 rissimus vir patiatur destillationes, quamuis etiã sua-
 pte natura sit sicci capitis, fortè etiam calidi. Quan-
 tum autem huiusmodi cerebri temperaturis stillici-
 dia thermarum sint aduersa, testatur Galenus sexto
 de sanit. tuenda. De potu verò thermarum, fortè si
 quæ essent tẽperatiores, non nocerent, cum & mem-

bra naturalia euacuarét, & obstructions aperirent, & robur etiam adderent. Hæc tamen iuuenta fluxa temporanea que essent, quibus postea succederet exiccatio ab omni thermarum genere inseparabilis: quâ exiccatione quæ incômoda vitæ consequantur, omnes medici norunt. Ex his facile est videre, quid ego de aquis thermarû sentiam. Quantum ad chirurgicam attinet operatione, laudo primùm, vt quacunq; arte fieri potest, commodè fistula renouetur: plurima enim mala & orta & oritura arbitramur ex illius fistulæ suppressione. Quòd si etiâ hæmorrhoides prouocarentur, quibus & antea fuit subiectus, fortè & fistulæ vicem supplerent. Sed præterea sum mopere laudo vt cauteria fiant, non circa humeros, imò in vtraq; tibia in loco consueto. Membra enim naturalia sunt illa, quæ patiuntur, & caput in consensum trahitur: & ideo auersiones circa inferiora sunt faciendæ, credoq; ex crurum cauterijs non mediocre successurû iuumentum, præcipuè si reliqua quæ instituta conuenerint. Omninoq; illud concludimus, necessariò aperiendos esse plures veluti fontes, quibus redundâtes huius corporis materiæ continue deriuentur, auertantur, & expurgentur.

Consult. XXXIIII. De dispositione catarrhosa cum uentriculi imbecillitate, pro uiro

LVIII. annorum.



I bene considero casum huius Magnifici viri, cognosco semper fuisse, dum erat iuuenis, sanum & inculpatè valetudinis, vt de nulla re conquereretur: sed succedente ætate, curæ illi maiores erât, & aër in locis vbi debebat, deterior fuit, ideo passus est dispositionem præter naturâ. Atq; ideo non confero ratione morborum,

borum, quibus affligitur, ad causam aliquam intrinsecam, seu temperaturam aliquam membrorum: quia, ut dixi, cum fuit iuuenis, benevaluit, & cum iam conuenit, pessimè valet: est enim in secundo senio. Nam primum senium in septimo septenario, id est, anno XLIX. finitur: ipse habet LVIII. annos: senectus verò ipsa morbus est, sequuntur enim eius multa incommoda, & præ ceteris in ea omnes coctiones sunt deteriores: nam calor imbecillior cum sit, multiplicantur excrementa, præsertim in eo qui non habet rationem senij, vel propter necessitatē, vel propter electionem. Nam, ut audio, fuit in infortunijs patriæ & bellis continuis, magnas curas animi habuit, aër mutatus in deterius, & ratio victus in cibo & potu commutata est, & nõ semper fuit eadem per omnes ætates eius. Ad has causas accedente senio, incidit primum in has ægrotudines: nam queritur de ventriculo, qui habet insignē frigiditatem quam percipit. Nec mirum si in hac ætate & tot causis accidentibus fiunt cruditates, & pituita in ventriculo multiplicatur, quæ facit frigiditatē: & quia flatuatur sæpe, ideo inflationes in vêtre superiore & inferiore percipit, ut multos emittat flatus & ructus, & ex illis emissis percipit iuuamentum, & cum flatus intercipiuntur interdum, ut exire nequeant, faciunt vertigines, sed subito transeunt, quia flatus est & statim euanescit: sed ubi materia crassior & crudior ad partes alias præcipitatur, ut ad colon intestinum, & ibi flatuatur, nec exire potest, incidit in passiones colicas, & summis angustijs afflictaur, donec educatur clysteribus. Quando in hypochondrio dextro vel sinistro acrem dolorem percipit, tunc postea vrinas arenosas emittit, quia materia quæ facit calculos, est pituita, quæ postea adurit in renibus vel vesica ibi col-

lecta, vt docetur in libro de affectibus renum, quia ascribitur Galeno, sed reuera non est Galeni. Ideo mingit cum dolore, quia calculi minuti adhuc existunt. Et aliud etiam patitur, cum flatus illi ad caput ascendunt, quod iam omnino est imbecillius redditum propter frigiditatē, & inde maximè patit̄ ab illis, & etiam propter debilitatē alimētum proprium non conficit, quo fit vt destillationib. labore, quas omnes senes patiuntur. Hippocrates verò dicit, catarrhos in senibus difficulter curari: quod quidem à Galeno in cōmento exponit̄, difficulter, id est, nunquā. Quòd verò in hoc nobilissimo viro catarrhus destillet & defluat ad partē posteriōrē capitis ad occipitium, causa reddi potest, quòd illa pars sit in eo imbecillior. Nam semper in corpore est vna pars debilior quàm alia, etiamsi nescimus causas, ideo dolores ibi ciet, vt nō possit mouere caput, & totum brachium dextrum: in sinistro nō tam insigniter cruciatur. Hæ sunt causæ omnium symptomatum: inter omnes tamen præcipua est senectus, ratione cuius multiplicatur cruditates, quæ occupant varia membra. Quòd autē integrè curari possit, difficillimū est affirmare, id enim nō fiet nisi restituat̄ in iuuentutem. Iam accedit ad climactericū maiorē, quem cum euassisset Augustus Cæsar, sacrificauit dijs. Huius recedet̄, & se regat, sicuti debet in hac ætate. Nunquā curabitur quin habeat catarrhū: nec erit eius ventriculus tam robustus, sicut fuit ante annos x x x. aut x x. sed tantū lucrabitur ex optimo regimine, vt melius viuat. Primū oportet vt habeat victus rationem conuenientem morbo & ætati, & vt curet coctiones ne generentur cruditates. Utatur cibus boni nutrimenti, & excrementi pauci, vt generent bonū sanguinem. Sit cibus facilis concoctionis, & non redundet
in quan-

in quantitate, & non sit multiplex. Non bibat post prandium aut cœnam, nec statim à cibo dormiat, & cœnabit sicut fert natura. non tantū nisi duabus horis post cibum eat cubitum, interim sensim deambulabit, vt bene descendat cibus. Manè surgat, & matutinis horis antequàm prandeat, se exerceat: ita enim reddet multum excrementorum, & plusquàm putet, quod illi multum ad rectam valetudinem conferet. Procuret quotidie beneficiū alui vt habeat. Quantum verò attinet ad medicamenta, quandoq; autumno & vere vacuatio generalis facienda. Sed si habeat rationem victus congruam, & præterea aliquo familiarium vtatur remedio per interualla, vt hiera, vel cassia iūcta cum hiera, quæ melior quàm hiera sola, quoniam hiera nimium exiccat, sicut & aloë, non erit opus illis maioribus euacuationib. & vniuersalibus, quæ extinguunt calorem naturalem. Accipiat quandoque terebinthinam, quæ ad colicam & ad renes utilis erit, quæ etiam à Galeno laudatur in senibus. Quòd si vera terebinthina reperiri non possit, habemus laricinā, quam etiam Galenus accipiendam in eius locum dicit. Pro corroboratione ventriculi Diacalamentū bonū est in sene: sed in tot cruditatibus magis laudatur Diatriopipereō, quod etiam posset misceri cum saccharo rosato. Potest etiam admittere lotionem capitis, & semper in lixiuio decoquat ʒ j. agarici, in quo valde acquiesco: lauetur autem vesperi caput, nec egrediatur postea ædes. Ex vsu balneorum nõ poterit non maximam habere vtilitatē, cum maximis redundet cruditatibus. Si verò quis timeret siccitatē, ne ex harū thermarū potu accederet, dico quòd ea non potest fieri, si tēperatē sumat, & paucis diebus, quia tunc minus exiccabūt. Destillatoria laudo, & caputpurgia, ac masticato-

ria. quòd si mastichen masticabit quotidie, maximè laudarem, quia diuenteret materiam à parte posteriore ad anteriorem: nec noceret, etiamsi quandoq; ad ventriculum descenderet, quia illi etiam conuenit. His non sufficientibus ad cauteria tanquam ad sacram anchoram deuenirem.

Consult. XXXV. De suppressione mensium, cum grauitate capitis, pro Magnifica muliere.



Quoniam casus huius Magnificę mulieris futurus est omnino longus (quod illam intellecturá opto) & molestus, ideo erit diligenter ineunda ratio curandi illam. Et hoc velim sibi penitus persuadeat, hanc rationem non assecuturam suum effectum, nisi longissimo tempore: quoniam difficiles morbi non curantur pauxillo momento téporis: nam hoc omnibus perspectum est, quòd breui tempore, nil bene efficitur. Hoc ergo pro constituto & supposito habeat, se non liberam euasuram ab his dispositionibus quibus afflicta tur, nisi diurnitate temporis, aliter meū consilium non penderet nucem cassam. Hoc existente fundamento, dico principalem partem curationis suę, consistere in recta ratione victus. Et ideo circa aërè hæc diligenter aduertat, vt effugiat aëris frigiditatē, ventos cuiuscunq; qualitatis, & maximè nocturnum aërem, nec habitet in locis humidis & subterraneis, & ne prope accedat ad ignē, maximè verò capite. Præterea consulo, vt lauet caput semel tantum in septimana, cum lixiuio dulci, in quo decocta sit camomilla, malua, betonica, & maiorana: & exiccabit caput pannis lineis mediocriter calidis, non multum fricando, sed suauiter exiccando. Hora verò huius lotionis erit commodior vespertina quàm matutina.

Inter

Inter omnia maximè euitabit molestias animi, & irā, quoniam hæc citissimè vitam eripiunt hominibus. Præterea exercebit se moderatè manè, vel domi res domesticas tractando, vel foris deambulando: hoc agat prout illi cōmodius. Item studebit vt omni mane alius saltem semel respondeat: et si alius non fungetur munere suo, accipiat quartā partē vncię vniusterebinthinæ per horam ante cibū, quod eam iuuabit in his suis affectibus non mediocriter. Circa cibum, quamuis iam habeat modum viuendi sibi præscriptum in tam diuturno affectu, tamen ego dicam ea quæ sunt magis principalia, & maximè de vino, quod vt cōmodum sit, multum refert. Habeat ergo vinum pauciferum, clarum, & transparens, subtile, non intensi coloris, optimè maturum, & ante omnia ne sit austerū. Et de tali vino in prandio & cœna bibat mediocriter, quod non sit actu frigidum, & ideo igni paucillū adhibebitur, vt illa frigiditas actu existens, repellatur. Varietatem ciborum euitabit: vnicō cibo contenta sit. Fugiat carnes antiquas, vt sunt bouinæ, castratorum antiquorum, aues aquaticas, vt anseres, anates, carnes porcinas tam recentes quam salitas, nec pisces cuiuscūque generis comedat, nec caseum, nec pastilia. Sed cibus suus erit, pulli, caro vitulina, oua recentia, far, spelta, hordeum, & milium præparatū in optimo brodio. Pro insalatitio comedat aliquando cappares, cichorium, boraginē, & lactucas coctas. Et hic erit suus modus viuendi. Circa verò medicamenta hoc obseruet, vt bis purgetur in anno, hunc in modum:

℞. Floris cassiæ ℥ j.

Specierum hieræ ʒ ij.

Cum zuccharo fiat bolus, detur tribus horis ante prandium. Deinde

℞. Syrupi de cichorea Nicoli cum rhabarbaro.

Byzantini completi ana $\frac{3}{4}$ j.

Brodij pulli, in quo decoquantur radices petroselinii, $\frac{3}{4}$ iij. Misce pro vno syrupo sic pro alijs. Finis istis syrupis, accipiat infrascriptam medicinam:

℞. Confectionis Hamech $\frac{3}{4}$ iij.

Syrupi rosati solutiui $\frac{3}{4}$ iij.

Cum aqua boraginis fiat potio breuis. Detur in aurora cum custodia. Præterea laudo ut acceptis duobus syrupis primis, secetur vena basilica brachij dextri: & si hæmorrhoides apparerent, maximè laudarem, ut aperirentur appositis sanguifugis, & postea statim reciperet fumum ex aqua, in qua bullierit camomilla. Item consulo ut sepius utatur zuccharo rosato: ut si singulis diebus acciperet $\frac{3}{4}$ s. zucchari rosati ante cibum, vehementer laudarem. Item semel vel bis in septimana accipiat drachmā mediam rhabarbari, vel masticando illud, vel puluerizatū miscendo cum $\frac{3}{4}$ j. vna passæ, vel cum zuccharo rosato. Et hic modus est præseruandi hanc Magnificam dominam ad vernum tempus: quo tempore, si placuerit suæ Magnificentiae, me certiore reddat de valetudine sua.

Consult. XXXVI. De catarrho, in quo periculum de tabe, pro nobili Veronensi.



HIC nobilissimus vir factus est ferè tabidus ob copiam catarrhi defluentis à capite ad pectus & stomachum, vnde extenuatio & macies totius corporis sequuta est, liber tamen ab hæctica febre existit. Cuius ut verā curationē instituamus, principio operæ precium est caput exiccare, pectus deinde corroborare, quod vtrunque futurum credimus materiae eua-

cuatione. Pro capitis exiccatione puluis sequens toti capiti aspergatur:

℞. Sandarachæ	ʒ iij.
Maioranæ	
Rosarum rubearū	ana ʒ vj.
Seminū ocimi	ʒ ij.
Ladani	ʒ iij.

Puluerizētur omnia per se, deinde misceātur. Quòd si non esset præsens puluis tantæ efficaciz vt inde aliquod iuumentum sequeretur, vtatur sinapismis, Galeni descriptione v. methodi, ex stercore columbino. Pro stomachi confortatione vtatur sæpissimè zuccharo rosato. Pro catarrhi lenitione, & confortatione pectoris, melle rosato. præterea vtatur Diacodio confecto in hunc modum:

℞. Caputum papauerū	num. xx.
Siliquarum dulcium	ʒ vj.
Liquiritiæ rasæ	ʒ iij.

Eximantur è siliquis grana, & decoquātur postea omnia in libris x i i. aquæ purissimæ ad consumptionem trium partium, vt scilicet remaneāt lib. iij. Deinde colentur, & exprimantur. Postea

℞. Penidiarum	
Zucchari candi rosati	ana lib. s.

Decoquantur omnia simul ad consistentiam mellis, & sumat de hoc electuario cochleare vnū in introitu lecti. Præterea pro euacuatione catarrhi sumat singulis mensibus bis aut ter hunc bolus:

℞. Specierum hieræ simp.	ʒ ij.
Floris cassiæ	ʒ j.

Cum zuccharo rosato fiat bolus. Aquam bibat in qua cocta sit farsara, & eam misceat cum oxyfaccharo. Fiat etiam lixiuium forte, in quo decoquatur agaricus, quo lauetur caput semel

vel bis etiã in septimana. Diebus intermedijs aspergatur puluis iam ordinatus. Per nares attrahat decoctum iridis, arantiorũ, aut maioranę. Postremò fiant fontanellæ in brachijs per transfuersum, & in cruribus per directũ diuertentes, vt quæ non profunt singula, multa iuuent, vt saltem aliquid diuertatur. Vesicatoria si fierent in capite, mirum in modum mihi placerent. A cauterijs autẽ capiti adhibendis, etiam si viderim in his magnos effectus, abhorreo: nam rarò commodè fieri illa posse scio, & vt bene fiant magnum semper adest periculum. Et vidi ego Venetijs puellam iuuenem, & Patauij scholarem etiam adolescentem, vtrunque in catarrho non desperato, post cauteria facta miserè interiisse, cùm tamen ab excellentissimo chirurgo & sine dolore fierent. Huius verò causam existimo fibras illas duræ matris transeuntes meatus cerebri, & alligantes cerebrum cum nervis cõmixtis, qui sunt valde sensibiles, vnde facta ad ustione in cauterio ad os vsque, illæ partes facilè læduntur, ad quod sequuntur spasmus. Præterea sunt quedam capita, quæ futuras habet valde largas, per quarum cõmissuras maiores etiam duræ matris portiones transeunt, quæ proinde facilè læduntur. Si tamen hæc cauteria in capite bene fiunt, & non læduntur, aut aduruntur nerui, valde profunt, sed est magnum periculum. Et propterea Galenus in tota cura catarrhi, nunquam dignatur nominare cauteria, sed tantum vesicatorijs vtitur. Arabes tandem, qui sua omnia habent ex Galeno, cùm viderent vesicatorijs se parũ proficere: nam ea quæ recitat Galenus, de stercore columbino, & alijs, vt cantharidibus, quia cantharides molestiores sunt propter mictũ sanguinis, ideo ad cauteria transfuerunt, relinquentes vesicatoria: Arabes enim erant ignari anatomie, vt quæ lege
apud

apud illos prohibita fuit : & eam quam sciunt, videmus esse fragmenta ex Galeno collecta : & proinde hæc non ita diligenter considerabant. Sed de his hæc tenus sufficiat.

Consult. XXXVII. De tremore, ophthalmia sinistri oculi, & reliquis ortis uitio cerebri, pro matrona Leonora Sacrata Flischa.



Vditi & diligenter consideratis affectibus omnibus, quibus infestatur nobilissima matrona Leonora Sacrata Flischa, iudicauerim primam originem esse in cerebro, propter paucitatem & malitiam spirituum animalium, non sine tamen materia aliqua frigida descendente ad partes affectas. Materiam autem descendentem, malitiam, & paucitatem bonorum spirituum fieri ob cerebri frigidam intemperiem. Et quod ita sit, coniecturas habeo: primò imbecillitatem omnium intrinsecarum actionum, quæ cerebro propriæ sunt, sicut ingenij, memoriæ, & cogitationis: non enim actiones remittuntur, nisi ob intemperiem frigidam cerebri, præcipuè si humiditati cõiuncta fuerit. Cùm ergo animalis virtus in cerebro sedem habens, siue sine spiritus vehiculo subito, tanquam solis radius omnes corporis partes illustret, sensumq; ac motum adferat, siue vehatur spiritu (hoc enim apud illustriores Medicos non sat compertum habetur) constat tamen sine animali spiritu, siue præcesserit, siue comitetur, nihil agere posse, vel sentiendo, vel mouendo. Sed spiritus animales neque multi, neque boni esse possunt, ubi fuerit ea, quam prædiximus, cerebri intemperies: quicumq; enim habet talem temperiem, primò segnes in motu & sensu reddunt, deinde aucto incõmodo torpidi: quod si ultra processerit, tre-

pidi, ac tandē resoluuntur, inciduntq; in eam, quam paralyfin medicivocant. Neq; hic à me repetendum esse arbitror, tremorem membrorum fieri æquatis, quæ sunt ex parte membri grauitatis, & deorsum trahentis, & ex parte animalis erigētis: dum enim æqualiter illa quidē erigūt, hæc verò grauitant, fit tremor ex duobus motibus contrarijs. Quòd autem hic tremor præcipuè fiat ob spirituum paucitatem, ita conijcio: primò, quòd eò magis tremit sinistrū brachiū, quò magis laborat, vel nititur aliquid cōplecti. Cōstat enim ex hoc conatu spiritus resolui, & pauciores fieri, vnde necessariò quoq; tremor augetur, sequiturq; deinde etiam dolor ob intemperiem frigidam confertim ad membra accedentem, scilicet ex spirituū & caloris subita dissolutione. Præterea dum aliquid acriter intuetur, statim admirando quodam modo brachij tremor augetur, non ob aliam profectò causam, sicuti ego arbitror, quàm quòd spiritus animales ab illo intuitu dissoluuntur, atque ita paucioribus redditis, necessariò tremor augetur. Audio etiam, quòd vbicunque stat, cùm motus ille sit omnium musculorum, qui tonicus à Galeno appellatur, plurimam fieri spirituum exolutionem necesse est, propterea mira etiã imbecillitas totius corporis cōsequitur, ingensq; dorsi dolor: musculi enim qui in ea parte sunt, præcipuè laborauerunt, & ideo sentiunt veluti cōfractionem & lassitudinē. Vbi etiam federit, si difficilis est exurrectio, ad quam causam melius potest referri, quàm ad spirituū paucitatem? Deniq; illud ita esse manifestissimè arguitur, quòd post quencunq; ingentem motum præcipuè sinistrū brachij, dolor ad cor accedere videt. quod quidem nihil aliud esse crediderim, quàm quoddam veluti procœmiū lipothymie, scilicet ex spirituū multa dis-

solu-

solutione. Quòd autem à labore sequatur dolor ve-
 hementissimus, incipiēs ab ore ventriculi, terminās
 in vterum, causam esse crediderim, quòd in eo labo-
 re calor in magna arteria, & vena descendētib;
 ferueat, & in eo feruore humores crudi attenuent,
 & per ramos eorundem vasorum deriuentur ad vte-
 rum, qui postea flatuati dolorem tanquam punctu-
 rae excitent: sedatur, postea flatu cum murmure e-
 misso ob compressionē viarum. Cur autem frequen-
 tissimè infestetur oculi sinistri pulsu, ophthalmiaq;
 laboret, illud ego pati crediderim cū intumescat,
 ac sanguine repleatur. Et cur eiusdē sinistrae partis
 facies vehementer incalescat, inquisitione dignum
 est. Id autem fieri crediderim, quoniam vbi dolor &
 imbecillitas eas partes occupauerit, calidus sanguis
 & vaporosus illuc recurrit, remouendi incommodi
 causa. Est enim (vt aiebat Hippocrates) omnium par-
 tium corporis mutua quaedam conuenientia, vt sua-
 pte natura altera alteri succurrat, & secundū om-
 nes affectus consentiant. Si verò etiā pedes intume-
 scant, de huius tumoris causa non possum ita exactè
 proferre sermonem, cū nec tumoris quidem natu-
 ram, aut colorem audiuerim. Superest tamē mihi du-
 biū non paruum, nunquid sit cedematicus, an erysi-
 pelatodes: nam cū intelligam circa naturalia opti-
 mē habere, fortē humor aliquis calidus & crassus ad
 eas partes decumbit ob hepatis caliditatem: & cū
 ille tam frequēs feruor appareat circa partem faciei
 sinistrae, circa oculū eiusdē lateris, & ceruicē, suspici-
 onē fecit ne hepar sit calidius. Nouimus enim, quā
 facile vaporibus calidis caput repleti soleat, in his
 qui temperaturā capitis calidā habēt. Sed quicquid
 sit, in re non mihi intellecta, neq; ab alio explicata,
 non possum certū ferre iudiciū. Tales ergo, vel non

multum dissimiles causas esse crediderim omnium symptomatum, quibus nobilissima matrona afficitur, non tamen adeo sum pertinax, ut ita esse omnino contendam. Casus enim, meo iudicio, admodum difficilis est, qui non tam facile a quolibet etiam peritissimo medico sit iudicandus, precipue in corpore quod nunquam viderit, neque curauerit, neque ab aliquo medico praesente fuerit exaratus, aut in manu ductus, ad causas indagandas. His ergo ita se habentibus, supposita recta victus ratione, quam credo diligentissimè esse praestandam a peritissimis medicis, ego in hoc genere curationis oculum ad illud precipue haberè, ut nec cibus, nec potus, nec aliquid extrinsecus occurrens, excessum in aliqua qualitate haberet, sed omnia essent quam maximè temperata. Idemque de quantitate oblatorum prorsus censeo. Substantiam tamen cibi & potus talem eligerem, quae esset optimi alimenti, & facillimè concoctionis, & distributionis, vellemque ut in hac re precipue studium collocaretur, quod quidem omnibus diuturnis morbis videtur esse commune. Quantum verò ad medicationem attinet, optarem ut assidue vteretur aliquo leui medicamento, quod vim leniendi haberet, ventriculique & intestina expurgandi, qualia duo essent precipua, vel cassia, vel rhabarbarum, vel utrunque simul confectum: nam absque facultatum & spirituum detrimento, corpus totum hoc consilio mundum conseruaretur, sanguisque purior redderetur, unde & alimenti & spirituum copiosa generatio bene succederet. Si ergo per vel etià quater in mense fumeret vncia floris cassiae cum semidrachma rhabarbari, credo bene consultum fore. Quòd si fortè cassia, ut multis mulieribus còtingit, flatu & tormina excitaret, exhiberem drachmā rhabarbari, cum vncia sacchari
rosa-

rosacei, vel uncias tres aut quatuor syrupi rosati solutiui: talia enim in purgando hoc corpore excedere non audeam. Pro capite verò, ventriculo, ac corde roborandis darem etiam nonnunquam, præcipuè ubi aër esset magis temperatus, scrupulos duos, vel etiam drachmâ optimi Mithridatici, adiecta semuncia sacchari rosacei. Laudo etiam si matutinis horis mandet, aut, vt vulgò dicitur, pro masticatorio vtat mastiche, aut garyophyllo, aut nuce muscata confecta: caput enim corroborabit, pituitamq; educet. Illinire etiam sæpe trementia loca ex aliquo oleo odorato calefaciente ac resolvente, non parum vtile existimauerim: qualia sunt quæ à pigmentarijs venduntur, de styrace, garyophyllo, iaspis, & huiusmodi. Quòd si cõsueuerit caput abluere, omittendû nõ putato, sed lixiuo dulci, in quo maiorana, stæchas, chamæmelum, & anethû decoquetur. A fortioribus autem quibuscunq; remedijs in hoc morbi genere, & ab huiusmodi causis generato, & in hac ætate, maxime abstinendum putauerim: credo enim ex his, vel similibus, si curari potest, esse curandû: si non potest, quod magis suspicor, saltem esse præseruadã, ad laudem Dei omnipotentis.

*Consult. XXXVIII. De diminutione visus,
pro matrona Veronensi.*



Qffertur nobis casus huius nobilissimæ mulieris dignus consideratione, quoniã oculorû ægritudines multa habent problemata, quæ nûc temporis angustia omitteremus. Symptoma quidem affligens hanc nobilissimam mulierẽ est diminutio visus, & magis in oculo dextro, quàm in sinistro, quàm quidem passa est hinc ab annis quinq;, & à xx. diebus incæpit esse in

sinistro. Genus autē diminutionis huius & læsionis, est à nobis considerandum. Narrat enim ipsa, in oculo dextro læsionem hanc incœpisse, & videbatur ei quòd scintillæ quædam obuersarentur ante oculos, & radij quidam, & maximè cùm à longè in aliquod magnum lumen seu lucernam intueretur: qui radij videbãtur circa lumè circulum quendã facere subuiri, & hoc maximè cùm à remotis inspiceret, maximè cùm in lumine magno attolleret palpebras, & videbat eosdè radios, & hoc præcipuè in manè cùm surgeret à lecto per horam, & quòd in nocte opplentur ei oculi multis excrementis, & videtur quòd sit quasi tela seu ymbra quædã ante ipsum oculũ dextrũ: sed cùm abstergit oculos & mūdificat, quòd remouetur maxima pars illius nocuenti. Præterea dicit quòd percipit grauitatè palpebrarũ, vt vix videatur posse attollere, & maximè dextri. & si quis diligentius intueat pupillam dextri oculi, videt obscuritatè quandam, quæ non apparet in sinistro: & sic reliqua omnia minus in sinistro apparent, ita quòd videatur esse quasi principium in sinistro illius quod iam confirmatum est in dextro. Et dicit quòd nullum prorsus iuuamentum percipit à rebus extremè frigidis, sed tantũ à moderatè calidis, & maximum: à rebus verò summopere calidis maximè læditur, quia videtur quòd inflammentur oculi, & quòd repleatur caput. Hæc sunt symptomata, de quibus conqueritur hæc nobilissima mulier, & quorum curationem à nobis expostulat. Sed vt simus boni medici, inuestigemus primò causas horum symptomatum. Pro quorum inuestigatione debetis scire, quòd hoc symptoma præcessit dolor capitis, qui diu perseuerauit, ad quem secuta sunt postmodũ hæc accidentia. Habuit præterea dolores quosdã veluti artheticos, &

præcipuè circa brachia ipsa. Passa etiam est dolores
 colicos, & flatus quosdã in ventriculo: dolores præ-
 terea renũ. Quæ omnia sunt indicia deprauatorũ hu-
 morum ex ascensione vaporum petentiũ caput, qui
 postmodum crassifaciti descendũt ad partes inferio-
 res per venas, neruos, nucam, atq; arterias, & replēt
 totum corpus, & percipit caliditatem à quacunque
 leui causa extrinseca. Quantum sit de membris prin-
 cipalibus huius Magnificæ dominæ, dico quòd vi-
 dentur omnia calida esse. Nam hepar ex eo quod po-
 test per exterius iudicari, est calidũ: habet enim cor-
 pus carnosum, venas latas, multum sanguinem, & re-
 liqua omnia attestantur supra caliditatem hepatis.
 Habet etiã cor calidũ, quia potius est virago, quàm
 fœmina, & aptissima est ad omnes hominis opera-
 tiones, & habet generositatem, vt ita loquar, & auda-
 ciam maximã in omnibus rebus, ita vt videat quòd
 caliditas sit insignis in corde. Ex operationibus præ-
 terea vegetalibus & animalibus indicat cerebrum
 esse calidum. Cũ igitur habeat mulier hæc omnia
 sua membra calida, & vt dicit Galenus in tertio de
 locis affectis, capite De dolore capitis, corpora ha-
 bẽtia membra inferiora calida, & maxime hepar, fa-
 cile capitis repletionem laborant: & ratio est, quia plu-
 rimi ab hepate eleuantur vapores qui replent caput,
 & præcipuè si ratio victus non sit exquisita, imò per-
 peram facta, neq; multũ se exerceat. Præterea ista
 habet stomachum frigidum, ideo debet multa pitui-
 ta abundare: & ex sexu etiã, quia mulieres sunt natu-
 ra frigidiores hominibus: & credo quòd etiam lautè
 admodum vixerit, & nullum penitus exercitiũ facit.
 Quòd autẽ venter eius frigidus sit & imbecillis,
 declarãt illi flatus, illi dolores colici, & renũ, qui o-
 mnes indicant non fieri bonã concoctionẽ. An verò

ratione obiecti, an ratione subiecti? Crederè ego ratione vtriusq; & quia vtatur cibus diuersis, & quòd ventriculus non concoquat. Ex quibus elicio, quòd corpus istud aptissimum sit ad congreganda multa excrementa, & præcipuè in capite. Præterea vexata fuit diu à maximis animi accidentibus, quæ quâ tum valeant ad replendum caput ipsum, & ad faciendum omnes concoctiones deteriores, norunt omnes. Habemus igitur causas intrinsecas facientes repletionem capitis, scilicet caliditatem hepatis, & omnium membrorum inferiorum, & frigiditatem ventriculi, & etiam capitis imbecillitatè. Habemus etiam causas extrinsecas, scilicet accidentia animi, inordinatam victus rationem, vigilias, & reliqua omnia quæ videmus. Cùm igitur ex istis alter oculorù, scilicet dexter, magis imbecillus est, quærenda modò à nobis est imbecillitas ista quænam sit: potest enim esse vel ratione imbecillitatis ipsius virtutis visiuæ, vel ratione instrumentorum, per quæ demandatur virtus visua: vel ratione spirituu. Quòd non sit ratione imbecillitatis virtutis visiuæ, apparet, quia reliquæ operationes aliorum sensuum perfectæ sunt. Quòd non ratione spirituu, quia si esset ratione spirituum, aut esset, quia spiritus essent crassefacti, vel refrigerati: sed hoc non potest esse, quia ijdem spiritus qui transeunt ad instrumentum visus, illi ijdem transeunt ad reliqua organa sensuu: sed cùm in nullo alio sensuum organo lædatur, præterquàm in organo visus, non est credendum hoc ratione spirituum accidere posse. Præterea si ratione spirituum læderetur, magis de longinquo, quàm de propè videret, quia illi spiritus egrediètes magis illustrarentur per acèrem, & tamè totum oppositum contingit. Quòd autè sit vitio instrumentorù, aut in neruis esset

set obstructio, vel impactio quædã humorũ crassorum viscidorum. Non est quòd fit obstructio in nervis, quia penitus visu priuaretur. neq; inuiscatio humorum, quia si sic, non videretur impedimentũ exterius, id est, nebula illa & obscuritas in oculo. Si igitur erit læsio in oculo, hæc autẽ potest esse in diuersis partibus, quia oculus ex diuersis constat partibus, vel in tunicis extrinsecis & intrinsecis, vel in humoribus. Quòd non fit in tunicis intrinsecis, nullum est indicium: quia si sic, spiritus semper equaliter impediretur, & nõ magis in manẽ, cum surgit lecto, quàm postea. Neq; in extrinsecis, quia in cornea nullum apparet esse nocumentũ, nec etiã in pupilla. Ideo credere ego potius vitiũ istud in humoribus esse, quoniã circa pupillã apparet nebula quædã, quæ magis videtur esse in humore albugineo, quàm quòd fit in pupilla ipsa. Et sic credo quod humor ille albugineus ob permutationẽ substantiæ crassioris à capite defluẽtis, sit denigratus, quia substantia crassiori nutriatur, & ob id nõ fiat visio ita clara, quia instrumentũ nõ est perfecte clarũ. Et hoc etiã admonet nos ætas, quia excrementa crassiora & frigidiora fiũt procedente ætate: hæc autẽ sicut audio pertransiit iam 50. annos. Et ita credo, cum ratione materiæ descendenti ad humorem albugineũ, tum ratione alimenti crassioris, quo alitur, afficiuisionẽ ipsam. Cuius signũ est, quòd dum surgit, deterius videt: & hoc est, quia plurimi in nocte vapores concepti, & deueniẽtes ad humorem albugineũ, cum nõ possint pertrãsire, causant illud: sed cum abstergit oculos & mundificat, & permanet per horam à surrectione, melius videt, quia illi vapores resoluti sunt. Et quòd hoc fit patet, quia percipit plures sordes siccas mordaces, dum surgit: & hoc est, quia illi succi deprauati diuersi sunt, & à diuersis

causis: aliqui enim à cerebro, aliqui à vetriculo, quia humidi sunt interdum, & interdum mordentes, & supercilia grauantur: cuius signum est quod ægritudo est materialis, & quod plurima materia tendit ad illas partes, & habet etiã omnia illa impedimẽta inæqualiter se habentia, non perpetuò illam turbat. Cuius signum est, quod ibi non adsit semper præsentia materiæ: & quod morbus non est in complexione, quia non semper eodem modo affligitur, tum etiam quia subitò aduenit huiusmodi læsio. Sed perpetuò illa materia à capite emanat, quia oculus imbecillior factus recipit excrementa à cerebro, sicut dicit Galenus I I. de diff. febriũ, referens causas ophthalmiæ. Credo igitur ego, quod cum symptoma istud diu perseverauerit, dexter oculus sit debilitatus, & ita credo quod causæ proximæ huius affectus sint humores deprauati partim biliosi, partim pituitosi, & partim adusti, deueniẽtes ad oculos, & occupantes palpebras, & facientes sordes illas, & perturbantes humiditates oculi. An verò huiusmodi humores misceantur cum spiritibus, & ratione horum fiat deterior visio, hoc faciliè potest contingere. Quibus sic stantibus, quid credis futurum de hac ægritudine? Si verum est quod habeat causas illas corporeas perpetuò affligẽtes, & quod iam per quinquenniũ passa sit istam malam dispositionem, & ob id quod imbecillis factus sit oculus, & sit illa membrorum inæqualitas, etiam sit quinquagenaria, in qua ætate crassescunt tunicæ omnes & crispantur, atque humores omnes pauciores & crassiores redduntur, credentem ego huic morbo naturali mixto cum accidentali occurri nequiquam posse, nisi prouidendo ne in deterius labatur: quia oculus senis non est oculus iuuenioris: sed si poneremus oculum iuuenis in sene, videret

deret vt iuuenis, dicit Aristotel. in primo de anima. Prouidendū est ergo ne in deterius labat, cūm omnimoda cura impossibilis sit. Hoc autē facerē, primò iuberem vt omnia animi accidentia dimitteret: vteretur optima victus ratione: exerceret se quandoque, & in sex rebus non naturalibus nihil peccaret. Quantum verò ad membrorū inæqualitatem, corroborarē ventriculum & hepar, vt bene concoqueret, & ne vapores malos generaret: & vellem quòd continuè vteretur aliquo medicamento: vellem vt corroboraretur etiam caput & oculi, præcipuè dexter, & purificaretur & abstergeretur pupilla. Quantum autē ad euacuationes attinet, vellem vt hoc vere faceret vniuersales purgationes: primò acciperet aliquod lenitiuum, vt esset cassia, seu electuariū lenitiuū, ex quibus purgaretur stomachus ab humoribus crudioribus, & deduceret etiā humores malos in primis venis. Postea vteretur quibusdam concoquentibus, sicut esset mel rosatum, syrupus acetosus, oxymel simplex, syrupus de endiuia: vt exempli gratia,

℞. Oxymellis simplicis

Mellis rosati

Acetosi simplicis

ana ʒ s.

Decoctio verò fieret ex seminibus endiuia, ex folijs boraginis, ex seminibus anisorū, ex eufragia, ex cinnamomo. Et si timeremus nimiam hepatis supercalefactionem, poterimus addere semina melonum, cucurbitæ. Medicamentum verò sit ad diuersos humores educendos cōmodū, vt docet Galenus in v. methodi medendi, ex colocynthide, agarico, & scāmonio: & huic cochia sunt similes, atq; etiam confectio Hamech, similiter & pilulæ aggregatiuæ, quia in hac peccant omnes humores. De phlebotomia

verò vtrū sit faciēda? Ego certè video corpus admodum repletū, & licet sit iam quinquagenaria, tamen quia est virago, & abundat plurimo sanguine, & fortè ei etiam defecerunt menstrua, ideo placeret mihi quòd post minorationem, quam fecerit, seu ex casia, seu ex lenituo, & post assumptionem duorum vel trium syruporū, quòd mitteretur sanguis à cephalica, & si placeret à basilica, & postea procederet ad purgationem vniuersalem. Quibus peractis placeret mihi quòd haberet aliquod pharmacū sibi familiare purgans caput, quo vteretur singula quaque hebdomada, sicut essent pilulæ ex tribus illis confectæ, quæ habent caput euacuare, ventriculum & hepar: & corroborat etiã omnia ista membra, quia ingreditur rhabarbarū, agaricus, & aloë: & vellè quòd ista corrigerentur cum eufragia, cum capillis Veneris, cum modico macis vel cinnamomi: quæ omnia respiciunt caput, hepar, & ventriculū, cum spica nardi & consimilibus. Vtereī masticatorio frequenter, quale esset mastiche sola, quia ipsa non potest tolerare aliquod calidum vehemēs: est enim efficacissima mastiche simplex ad purgandum caput, & saliuā multam educit. His factis, vellem vt accederet ad diuersiones, & ad corroborationē capitis, quia iam sumus certi quòd egritudo ista materialis est, sicut apparet ex signis iam dictis, ex grauitate palpebrarum, ex lipitudinibus oculorū: & quia etiam non semper permanet, aduenit etiam subitò: nulla autem immaterialis egritudo subaduenit. Ideo oportet deriuare, & diuertere materiam istam à capite: & hoc posset fieri cum cauterijs in cruribus, cum applicatione sanguifugarū hæmorrhoidibus, quia sicut audio, hoc sibi fuit vtile, cum semel fecerit, & cum frictionibus in cruribus, & brachijs, Quibus sic factis, accederem
ad

ad aliquod leue collyrium in oculis apponendum. Acciperem igitur sex vel octo radices althææ mundatissimas cum tribus vncijs fœnugræci optimè præparati, & decoquerem in aqua clarissima, & cum essent decoctæ exprimerè validissimè, & acciperem libram vnam decoctionis huius, & drachmas duas aloës subtilissimè puluerizatæ & lotæ in aqua Violæ, & iterum ponerem ad ignem lentum, clarum, sine fumo, & sine puluere, & rursus decoquerem, donec hæc omnia ad substantiam mellis redigerentur: quod quidem fiet facillimè, propter aloën, & mucilagines illas, & ponerem in phiala, & ex hoc collyrio illinerentur oculi, & maximè dexter, & in mane: cor roboraret enim oculum, mundificaret, abstergeret, & confortaret etiam. Et sic voluit Galenus 11. de locis affectis, & in 11. de compos. medic. secundum locos, vbi dixit expressè de dolore capitis, quòd siue in substantia cerebri, siue in meningis fuerit, nihil refert, nec propter hoc variatur cura. Ita affectus iste siue sit in albugineo humore, siue in pupilla, non variatur cura, siue in rhagoide. Hæc sunt quæ mihi pro temporis angustia occurrerunt, tamen rem hanc in dies magis atque magis perpendemus, & si quod in mentem aliud venerit, consulemus.

Consult. XXXIX. De actione uisus diminuta, pro iuvene Augustano.



Vdicamus actionè videndi diminutam in hoc iuvene, cum procul non videat quantum oportet, sed propè exquisitè possit, nõ esse ob aliam causam, nisi quia spiritus ex longo studio, & labore mentis rationalis. que discursus, fuerunt resoluti paucioresq; redditi, quàm vt sufficiat longinquæ visioni. Ac præterea ita

longo usu & consuetudine comparatum est, ut non nisi in interuallo distante, acutè & exquisitè videat, in quo iugiter intueri consueuerit. Solet etià id contingere tum in alijs omnibus actionibus membrorū, tum maximè in visu. Ergo curatio huius symptomatis per sua contraria proculdubio administranda erit, videlicet ut spiritus multi, clari & limpidi generentur, atq; ut procul intueri consuescat eo modo & arte, quam infrà docebimus. Spiritus generabuntur si adhibuerit studium in optimavictus ratione, quæ perfici solet in recta administratione rerum, quas medici non naturales vocant. Primùm igitur cauebit, quantum fieri potest, ab aère multum frigidò, nec minus etià à calido, etià à feruente. Ventorū omne genus euitabit, præcipuè tamen Austros, & dum in Hispania moratur, oriëntales quoq; in Germania verò ab occidètalibus, & omnibus septentrionalibus flatibus cauebit: deniq; omnes excessus aëris sunt fugiendi. Neq; dormiat in cubiculo aut loco humido subterraneo, & vbi fenestræ noctu sunt apertæ. Omnes animi molestias, iram, mæroresque præcipuè euitabit. In somno mediocritatem requireret, laudoq; ut ad horas octo extendatur: sed postea meridianis horis non dormiet. Nec post cœnam subito cubitū eat, sed duas saltè horas interponat: hæc enim capiti & oculis maximè aduersa sunt. Si fuerit fortè adstrictæ alui, quærat quàm maximè singulis diebus naturalia excrementa reddere, non enim hoc parum confert spiritibus clarioribus & minimè turbulenti efficiendis. Si eius natura in hac actione defuerit, aliqua arte supplendum: sed præcipuū remedium erit, si pruna Hispanica dulcia arefacta numero octo vel decem cum pugillo passularum dulcium in iure pulli, aut carnis vitulinæ, vel optimi castrati exquisitè de-

tè decoxerit, & decoctū manè sumpserit ante prandium: hoc enim sine molestia leniret aluū, & omnes humores corporis temperabit, vnde etiam clariores spiritus reddi necesse est. A coitu inter cætera abstinere, & præcipuè si non sit assuetus: nam si prius in eo fuerit inordinatus, non laudarem omnino omnimodam abstinentioniam, sed tamen vt quammaximè fieri potest, moderetur: hoc enim tantum refert, vt cum hic in ratione victus peccetur, illud vnum reliquorum omnium diligentiam impediatur: nam oculorum acumini & spiritibus animalib. nihil potest esse magis aduersum. Exercitio temperato quammaximè vtatur, præsertim sub dio vbi cæli temperies fuerit, & serenitas aëris: magisque deambulationem laudo in hoc nobilissimo iuene, quàm quodcunq; aliud exercitationis genus. Exercitandi hora maximè opportuna proculdubio matutina est: neq; post exercitium frigidus aëri se exponat, nec nisi post horam cibum sumat. A prandio verò & cæna deambulare suauiter potest, quod potius laudo, quàm quòd otiosus sedeat segnis & dormitabundus. Cauebit tamen ab omni valido exercitio tam mentis quàm corporis: & si fieri potest consulo, vt post quatuor horas à cibo nihil scribat, nihil cogitet quod animū torqueat aut sollicitet. Bis in die tantum comedere assuescat, atq; inter cænam & prandiū ne minimum quidem bibere aut comedere. Simplici cibo quammaximè delectabit: mensas tertias, variaq; epularum genera effugiet. Caro ab eo eligetur vitulina, castrati iuuenis, perdiciū, atq; omnium auium terrestrium, præterquam in paludibus degentium. omnes antiquas carnes fugiet, & porcinas. A piscibus magis abstinebit, & qui in stagnis ac fœtidis capiuntur aquis: reliquis parcissimè vtetur. Olera, præcipuè lactu-

ca, pastilia, lacticia, legumina, & quæ in sartagine friguntur, omnia hæc maximè aduersa. Vino vtetur tenui, albo, & subrufo, non multum potenti, vel certè plurimum diluto. In secunda mensa comedet pineas, anisum, quandoq; etiam coriandrū conditum, & cydonia. Hæc vbi obseruauerit cū multa diligentia, fieri potest vt exquisitissima sit ratio victus. At quia corporum temperaturæ rarissimè sunt æquales & vndecunq; congruæ, ideo necessariò plurima excrementa iugiter generantur in corpore, quæ nisi arte aut natura excernantur, in tractu temporis lædunt imbecilliores partes corporis, quales sunt oculi. Ergo enitendum vt arte quoq; & purgationibus corpus statis temporibus emundetur. Vere igitur & autumnò hoc modo purgabitur:

℞. Floris casisæ 3 x.

Cum saccharo fiat bolus, sumendus hora ante prandium. Proximo die accipiat talem potionem:

℞. Verbenæ

Rutæ

Chelidoniæ

Rosarum

Euphragiæ

ana man. ij.

Seminum anisorum

Fœniculi

ana 3 iij.

Decoquantur omnia secundum artem in aqua fontis ad consumptionem duarum partium, & facta expressione & colatura, syrupizetur decoctum cum optimo saccharo. Deinde

℞. Huius syrupi

ʒ ij.

Aquarum euphragiæ

Chelidoniæ

ana ʒ ij.

Misce pro vno syrupo, & sic pro alijs septē. Quib. assumptis, sumendū erit proximo die tale pharmacū:

℞. Pi-

℞. Pilularum cochiarum ℥ iiij.

Cum melle rosato formetur pilulæ numero v. deaurantur, & fumantur in aurora cum custodia. Et hæc purgatio bis singulis annis repetatur, autumnoinquam & vere. Intermedijs tamen mensibus laudo ut hora ante cœnâ sumat vnam vel duas pilulas ex infrascriptis, sine aliqua custodia, quod poterit fieri bis aut ter, aut etiam quater in mense:

℞. Agarici electi

Rhabarbari

Hieræ simpl. Galeni

ana ʒ iiij.

Garyophyllorum

ʒ s.

Conterantur omnia per se, deinde misceantur, ponantur in ℥ iiij. succi euphragie, donec exiccetur fucus in umbra, postea cum melle rosato fiat magdaleon, de quo ad libitum fiant pilulæ fumendæ, sicut dictum est. Et caueat ne oculos abluat cum aqua frigida, imò nec faciem: sed cum vino optimo aromatico albo, quo etiâ abluat os & dentes: nec in hyeme actu sit frigidum, præsertim vbi fuerit in Germania, vel aliqua regione frigida. Quantum verò atinet ad secundum propositû, videlicet ut assuescat procul intueri, non hoc utiq; facere conabitur, nam magis noceret resoluendo spiritus: sed eligat loca angusta, per quæ introspiciat aliquod obiectum viride, sicut arbores, prata virentia, & sit hoc aëre non multum claro, sicut in meridie, sed potius in vespertino crepusculo, vel aurora, vel saltem in loco umbrato vel opaco, etiam si meridies fuerit. Neq; inutile est, quod multi opinantur, introspicere eum per aliquam oblongam tubam intus cœcauam, vel etiam vitream, ex viridi vel cæruleo vitro, quod adhuc esset præstantius, & poterit terminari visus nõ tantum ad viridia & amœna loca, sed etiâ ad limpidissimos

fontes & ad nitidas aquas, quæ tamen non currant, sed vel stagnent, vel sensim repant. Pro lotione verò capitis vtatur lixiuio ex cinere salicū vel vitium confecto, in quo maiorana, saluia, betonica & citri folia decoquantur, vel lauri, si citri defuerint: apponaturq; semper agarici drachma vna. Et hoc lixiuio caput abluatur sine multa frictione cum pānis lineis moderatè calidis, & exquisitè siccetur, saporq; eligatur præparatus cum aromatibus musco & ambra.

Consult. XL. De diminutione uisus, & pilis in palpebris interius rectoris, pro Polono.



VM Magnificus dominus tantum à nobis particularia remedia petat (iam enim vniuersalibus euacuationibus vsus est, & ratio victus illi est instituta) ideo ne illi desimus, collyrium hoc erit:

℞. Althææ

Sem. scænuagræci ana ʒ. iij.

Mudentur diligentissimè ab omni sorde, deinde decoquantur in aqua fontis limpidissima, sine puluere, sine fumo: sitq; aquæ pondus lib. iij. Bulliat donec remaneat libra vna, postea fiat fortis expressio & colatura. Deinde ℞. Aloës optimæ, raræ, & transparentis ac pulueriazatæ ʒ. ij. Bulliat decoctum cum aloë ad ignem clarum ad consistentiâ mellis, deinde seruetur ad vsum in vase vitreo optimè obturato. Quando oculi mordicantur, abluat vel lacte recenti, vel aqua rosacea, in qua dissolutum antè sit saccharum candi rosatum, & eligat hoc vel illud. Circa palpebrarum curationem postquam in feliciter expertus est incisionem chirurgicam, ideo noue-

nouerit ab ea abstinendum esse, à qua & ego semper abhorruì: sed curabit vt euellantur commodissimè à perito vulfore. Et remediũ celebratissimum apud antiquos, ne pili succrescant, est, vt post euulsionem frequētissimè illinatur locus lacte canis. Optimum etiam est, vt pili qui se inuertūt introrsum, reuellantur extrorsum, & deglutinentur palpebræ exteriori colla vel alio glutinis genere. Vbi abluendũ caput, eligatur lixiuium dulce, factum ex cineribus dulcibus, vt cinere salicum, & addatur singulis vicibus drach. vna agarici, quæ inuoluta in panno lineo decoquatur in lixiuio, & fortiter exprimatur. Abluat autem se vesperi, & postea non exeat eo vesperi domum. Queritur etiam quòd pedes ei aliquando sudant, quos abluat: & hunc sudorẽ vtilissimum arbitror, quoniam per eum fit aliqua auersio à capite, eamq; minimè impediendam existimo.

A D D I T I O.

Non alienum fore duximus, communis vtilitatis gratia, hoc loco exponere omnibus regimen in potu ligni præscriptum huic Polono ex oculis laboranti. Nam non conferentibus remedijs præscriptis, ordinauit hæc:

℞. Decoctionis nostræ de elleboro $\frac{3}{4}$ vj.

Syrupi de betonica $\frac{3}{4}$ j. s.

Misce pro vno, & sic pro alijs: dentur manè in auro-ra. Hos syropos præcessit euacuatio vniuersalis cum præparatione. Postea accipiantur libræ duodecim aquæ endiuix, & libra vna ligni detriti vel limati, & ponantur in olla magna noua stricti orificij cum suo coopertorio, & ita dimittantur in infusione per horas 24. Deinde decoquant lento igne ad cõsumptionem tertiæ partis, fiat expressio & colatura, & ser-

uetur in vase vitreo bene obturato, & diuidatur hoc decoctū in octo partes siue fyrupos . Sumat duos in die, alterum hora octaua, & prandeat hora duodecima . Alterum hora vigesima vel decimanona, & cœnet vigesima secunda . Et dum bibit primū istud decoctum, semper anticipet & preparet secundū, ne deficiat, & ita perseueret vsq; ad x l. dies ad minus . In primis decem diebus suus cibus erit iste . Comedat vncias tres panis in prandio, & medium pullum paruum elixatum, qui non excedat magnitudinem perdicis, & medietatē eiusdem comedat in cœna, cum eadem quantitate panis : & panis sit optimè coctus, non tamen affatus: cauebit etiam à crustis affatis . Bibet duos cyathos ad summū, & potius paruos quàm magnos . Vinum sit album, clarum, pauciferum . Poterit comedere post prandiū & cœnam vnciam vnam vel duas vnae passæ paruae & dulcissimæ bene lotæ cum vino albo . Et si non poterit tolerare maiorem diætam, perseuerabit vsq; ad x l. dies : sed si posset tolerare, laudarem quòd post decem primos dies, per viginti dies postea subsequentes abstineret prorsus à carnibus & à vino, & esset contentus pane & passu lis lotis ac preparatis, sicut dixi, & loco vini biberetur decoctum eiusdem ligni, quod quidem decoqueretur in aqua putei, & acciperet illud idem quòd decoxerat in aqua endiuia : tolerat enim duas aut tres decoctiones, si vltimò bene exprimatur . Item laudo in toto tempore x l. dierū, in quibus bibet hoc decoctum, quòd semper octaua die sumat tribus horis ante prandium bolum hunc :

℞. Floris cassiæ

ʒ j.

Specierum hierę simpl.

ʒ j. s.

Cum saccharo fiat bolus.

Restitutus est integrę valetudini.

CON-

Consult. XLI. De debilitate uisus, & paralyfi diminuta, & uertigine, pro doctore Veneto.



Vppositis symptomatibus, quib. iste Excellentissimus Doctor molestat, quoniã fuerunt enodata, venio ad id quod principaliter iste querit à nobis: querit enim uelle curari. Iste est scopus, quo ductus fuit accedere ad nos. Volumus ergo curare Excellētifs. virum. quid agendum? Primò debemus cognoscere causas suæ ægritudinis, quibus cognitis facillè remedia administrabuntur à nobis. Vt autem eæ causæ cognoscantur, debetis primò scire, quòd causæ morbū facientes aut sunt intrinsecæ, aut extrinsecæ. Intrinsecæ dicuntur illæ, quę proueniunt à causa intrinseca, ut à mala temperatura membrorū, aut ab eorundem debilitate. extrinsecæ autem sunt illæ sex res non naturales, aër, cibus & potus, &c. Videamus à quibus causis depēdeat morbus Excellētifs. Doctoris. Discurrendo primò per intrinsecas, videnda est temperatura membrorum principalium, & primò hepatis. Video hominem satis carnosum esse, habentem bonum colorem, & ut ipse refert, passus fuit fluxum hæmorrhoidum. Ex ijs iudico hepar ipsius esse temperatum: non dico temperatum temperatura illa æquali, sed accedit maximè ad illam temperaturã: verum si declinat, declinat per calidum aliquo pacto. Declaratur, quia video hominẽ habere colorem nigrum, similiter pilos nigros, & reliqua, quæ attestantur super caliditate hepatis adurente & exiccante, verum quòd ista discrasia per calidum non est multa. Accedamus ad ventriculum. audio ipsum bene cõcoquere, similiter non pati aliquos dolores in ipso, & breuiter exercet rectissimè suas operationes. Et quia ab

operationibus cognoscunt potissimè discrasie mem-
 bri, ideo teneo ventriculum esse bene dispositum, &
 rectè se habere. De corde: cor est spiritib. refertum,
 potens valde, & ex præsentì calidum, cuius signum
 est, quòd ipse est firmus, stabilis in suis operationi-
 bus, magnanimus, & alia habet quæ indicant cor es-
 se calidum, ac spiritibus refertum. De cerebro: cre-
 do, & re vera ita est, cerebrum ipsius esse optimè dis-
 positū, similiter rectè suas operationes moliri: nam
 audio ipsum virum habere memoriã tenacissimam,
 similiter esse oratorem, & quòd optimè discurrit, &
 orat in causis suis agendis. & breuiter, iste cerebrum
 habet satis temperatum, atq; nullam discrasiam pati-
 tur. Audio autem ipsum habere debilitatem visus,
 ita quòd cum propè est perspicacissimè intuetur, à
 longè verò non ita rectè. hoc non debet referri ad
 malam cerebri dispositionem: nam stat cerebrum o-
 ptimè se habere, tamen oculos quandoque esse affe-
 ctos, aut ratione organi, aut ratione consuetudinis.
 ratione consuetudinis, quia & hoc contingit vt plu-
 rimum in hominibus ipsis literatis, vti ipse est: isti e-
 nim quia studendo tenent libros prope oculos, tali-
 ter quòd ex còtinuo illo vsu virtus ipsa oculorum,
 & natura ipsa ex tali consuetudine assuescit in tali vi-
 sione propè: quare fit ex tali consuetudine, homines
 hos propè acutius intueri, quàm à longè, quia cum à
 longè videre non sit oculus assuetus, tunc debilita-
 tur spiritus, & non potest longè intueri: & hoc, vt di-
 xi, studiosis, ac literis deditis solet euenire. Potest e-
 tiam ratione organi prouenire: nam sunt aliqui ha-
 bentes oculos eminentes, similiter oculos valde ni-
 gros: ex tali eminentia, & ex tali immoderata nigre-
 dine longè nò possunt videre. Ad rem ergo. Tameris
 Excellētis. Doctor habet quòd à longè videre non
 potest,

potest, propè verò potest, nò propter hoc debemus arguere cerebrũ esse affectum, cùm optimè suas operationes exercent: sed, vt dixi, potest prouenire ista debilitas visus in hoc Excellentis Doctore à duabus illis causis, siue hoc proueniat à prima, siue à secunda, nò refert: hoc vnum est, quòd nò prouenit à cerebro. Habetis hucusq; membra omnia principalia esse bene affecta. Et quia diximus in principio, quòd morbus potest à duabus causis prouenire, aut à causa intrinseca, aut extrinseca. A causa intrinseca credo morbũ hunc in isto Excellentis Doctore nò prouenire, quoniam (vt dixi) membra omnia intrinseca principalia rectè se habent: ideo quòd talis morbus proueniat à causa intrinseca nò credo. Quòd si dependet à causa intrinseca, tantũ ab ista prouenire, videlicet ab hepate, quod cùm sit calidius quàm oporteat, & cõueniat suo tẽperamento, potest inflammare cibos, & maximè illos qui putrefactioni sunt obnoxij: isti enim mediante caliditate hepatis possunt alterari & putrescere, & ex ipsis eleuari fumi, petentes caput, qui faciunt talia symptomata, videlicet vertiginem, paralysem illam diminutam in brachio sinistro, & in pede sinistro: similiter abscessum in facie, videlicet in parte dextra faciei: similiter iacturam illam gingiuarũ, & alia symptomata enarrata. Sed illa causã ex se nò posset hoc facere, nisi causæ extrinsecæ adfuisent. Et quòd proueniant à causis potissimè extrinsecis ista symptomata, videlicet ab ipsis omnibus non naturalibus, declaratur primò ex aère. Nam audio istum Excellentis Doctore dereliquisse suam patriam, vbi aër frigidus est & siccus, & montanus, & accessisse Venetias, vbi aër est calidus & humidus & palustris. Quãtum potuerit ista aëris mutatio, nullus ignorat: Nam fuit principalissima

causa ista iuncta cum reliquis causis extrinsecis offendendi: aër enim immutat mirum in modum corpora nostra, cum continuè attrahatur: & notum est quid dixerit Galenus de aëre in 1. 1. Artis paruae, ubi vsus fuit hoc vocabulo Exterminare, quasi innuerit alterationem & iacturam eius imprimētē in corporibus nostris: & ita aër fuit in causa symptomatū. Secundò, cibus & potus. Audio hunc excellentiss. Doctorem, quando fuit cum socijs, vltra modum crapulatum esse, & bibisse, similiter comedisse cibos diuersae substantiae. Ex ista crapula ergo (re vera ita est appellanda) fuit facta putrefactio illorū ciborum, ex quibus fumi eleuati, ac cerebrum petentes, potuerūt facere hoc apostema, & abscessū, & reliqua symptomata. Deinde motus & quies. Audio hunc Magnificum virum perambulasse satis per Venetias, & etiā in cymba cum socijs permansisse detecta, & aërem illum captasse, cuius signum est quòd statim ferò hora 1. 1. noctis reuersus est domum, & incidit in illum abscessum ingentem, similiter in vertiginem, & paralyfim illam diminutam. Similiter somnus & vigilia fuit in causa: nam audio istum, cum vigilandum erat, dormire, cum dormiendum, vigilare: nam ipse fessus ex causis agitatis quandoq; noctu non poterat dormire. ita hæc permutatio vigiliarū & somni potuit etiā esse causa. Similiter accidentia animi ipsa: fuit sollicitus in illis causis peragendis: & quantas ipsi Iuriscōsulti patiantur sollicitudines, & animi affectus, nullus ignorat, & maximè Venetijs, ubi fiūt tot motus, & tot labores in causis peragendis. Similiter inanitio & repletio: hæc fuit etiam potissima causa, eò quia (vt ipse dicit) sunt multi dies quòd ipse non egeffit, imò vt solitus erat nihil egerat. Ista retetio facta an possit generare vapores malos, non

nos latet. Præterea permutauit consuetudinem: ipse enim solebat comedere horis consuetis, tamen non obseruauit hoc: imò aliquādo hora prima noctis cœnabat, aliquando tardius, aliquando citius. Et ita videtis, quomodo omnes causæ extrinsecæ concurrunt ad hanc ægritudinem. De causis intrinsecis sola illa caliditas hepatis (vt dixi) est. Habemus hucusq; causas. Quid est agendū? curandus est morbus. quomodo curatur morbus? curatur remouendo causas. quænam fuerunt causæ? fuerunt omnes enarratæ: illæ ergo remouendæ. Quid ergo agendum? ego maximè consulo, vt velit aërē ipsum permutare: nam ex permutatione aëris refrigerabit corpus, quia consuetum aërem sentiet. Ista est potissima cura ad remouendū morbum hunc, scilicet permutare aërem. Deinde in cibo & potu debet se moderare, sumēdo optima cibaria, similiter in debito tēpore, animi affectus omnino repellere, dormire quando dormiendum, vigilare quando vigilandum. De euacuatione: ego non auderē fortiter euacuare, quia nunc sumus in æstate, iam mensis Iunij transactus est. Ideo audem tantum in lenitiuis, dando cassiam cum rhabarbaro, aut cassiam tantum, florem dico: ista enim maximè præstarent, quia tenebimus ipsum corpus lubricum, & hoc maximè debemus quærere. Nam, vt retulit mihi sua Excellentia, quando accessi ad cubiculum, conquerebatur de ista repletionē, & dicebat ex ipsa maximum detrimentum sentire: ideo bonum est vti cassia, vt corpus mundum & lubricum teneatur: & si nollet ita sæpe vti cassia, poterit manè assumere brodium, in quo sit decocta mercurialis, & beta, & aliquid passularū: istud enim lubricat corpus, & facit egerere valde, vt dicit Galenus in v. de tuenda sanitate, aut v. i. si recolo. Et quoniam ipse habet

fluxum illum hæmorrhoidarum, & nondum est repressus, quod mihi maximè placet, ideo sinerem ipsum defluere, & adiuuarè, si non defluat, eò quia per aliam viam sanguinem nollem educere: est enim sententia illa Hippocratis, Vndecunq; natura repit, eò ducere oportet, si natura demonstrat locum conuenientem, quo ipsa facilè exoneratur. quare cum volumus sequi illam viam, nõ debemus desistere, & ita prouocare hæmorrhoidas. Postea vellem vt fierent duo cauteria, & si non duo, saltem vnum in crure sinistro, vbi habet paralysem illam diminutam: neq; impediret hoc cauteriũ naturam, vt non faceret diuersionem. Et ita habebimus diuersionẽ maximam, tum per cauterium, tum etiam per hæmorrhoidas: qua diuersione, vt dixi, maximè indigemus, eò quia materia est in capite, & fuit causata ex illis causis dictis extrinsecis. Similiter causata fuit (& hoc dereliqui) ex clamore. Quantum possit vociferatio ad replendum caput vaporibus, vnusquisq; manifestè videt: istis enim clamatorib. deueniunt rubicundi oculi, & rubri. Et ita quia in causis actitandis ipse multum clamabat, eapropter facta est inflammatio: & ita diuersio necessaria est: quare cauteria summo opere laudo. Et ita agerem hac æstate, lubricando corpus cum omnibus dictis, aut cum zuccharo rosato recenti: dico recenti, quia recens maximè lubricat, non commiscendo aliquid. Et si isto zuccharo posset lubricari, mihi maximè placeret, quia ex isto haberemus tria, videlicet corroborationẽ capitis, ventriculi, & euacuationem facum: sed si hoc non præstet, curetur prædictis. Veniente autem autumno, tunc poterimus concoquere materiam, & euacuare cum pharmacia, & præsertim cum illa confectione hæmeh: illa enim mouet humores adustos, & ipsos euacuat.

euacuat. & alijs pharmacis poterit vti secundum humores peccantes, quod cognoscendum illis medicis hunc curantibus derelinquo. Deinde ego corroborarem caput cum caputpurgijs, & lauarem ipsum cum rebus exiccantibus, & resoluentibus. De materia ista, quænam sit materia faciens hunc morbum, an calida, an frigida. Dicam duo verba. Illi Excellentissimi Medici in hoc fuerunt discordes. Aliqui dicunt quod erat materia frigida, aliqui calida. Ista est disputatio de lana caprina, eò, quia clarum est quod sit calida: patet, quia salsa est, erodit gingiuas. Et ita dico, vt etiã dicebat Excellentissimus Doctor, quod materia est calida & frigida: & ita si duæ illæ opiniones in vnum redigantur, fiet vna opinio. Verum etiam vtrinq; opinionem saluabimus. Dicam duo verba de prognostico, & facio finem. Morbus iste curabilis est, non tamen est contemnendus: quia si contemnatur, augebitur continuè: quare fiet apoplexia, aut epilepsia, aut paralytis in toto corpore perfecta, ideo non sunt dandæ induciæ. Hæc pauca volui breuiter dixisse, quæ per Excellentiam vestram erunt iudicanda.

Consult. XLII. De destillatione à capite ad diuersas partes, & febre, pro Abbate sancti Gregorij octuagenario.



Rimum quod venit considerandum, est natura morbi, & subiecti. Subiectum autem est in vltimo senio constitutum, quæ quidem senectus, est pessimus morbus: & comparando morbum hunc ad senectutem, longè maior est senectus, quàm morbus, quo affligitur. Habemus ergo ætatè in vltimo senio: habemus corpus quo ad radicem validum; quod si comparare-

tur alijs decrepitis robustū est, absolutè tamen non est robustum: nos autem robore indigemus absolutè, non per comparationem ad aliud. Habemus ergo imbecillum corpus: nec est consideranda temperies elapsa, sed præsens. Et quo ad præternaturales dispositiones non omittam, quòd in hyeme proximè elapsa apoplexiam & paralyfim leuem passus est: quæ quantum adferat incommodi in omni corpore, argumento esse potest, quòd apoplexia ita prostermit vires cerebri, & calorem innatum, & vires cordis, propter consensum cordis cum cerebro, vt videamus iuuenes cum in apoplexiam inciderint, nunquam restitui: quanto magis senes, si inciderint? vel non euadent, vel rarò, semper tamen percipiunt tale nocumētum. Considerandum igitur est symptoma, quod licet nõ curemus, tamen admonet, quòd ægritudo deterior est. Nunc verò patitur duas dispositiones, destillationē scilicet à capite ad diuersas partes: & quidem quæ occupat fauces, bronchus appellatur. aliam præterea patitur quæ pectus occupat, & catarrhus nuncupatur. ad ischiam etiam, & ad crus infra genu vsq; ad talum descendit, & ibidem tumorem facit in præsentem œdematicum: adeoq; copiosa est destillatio hæc, vt perseueret nunc cum tussi, quæ non est sufficiens ad excernendum catarrhum crassum. Alia dispositio est ipsa febris, quæ iam mēsis est, ex quo incœpit affligere, & ita affligit, vt nunquam ferè fuerit sine febre: ita tamen erat mos febris, vt seruaret hunc ordinem, vt alternis diebus magis inuaderet. Quo ad febrē, quæ primò consideranda est, & fortè primò curanda, si cōsideremus exeūtia, quæ maximè indicant naturam febris, & præcipuè vrina, quæ indicat febres putridas, etsi mineram putredinis habeāt extra venas, quia humor qui putrescit

intra

intra venas, ille est qui effunditur extra: ideo vrina indicat humorē putrescentem. Cū ergo vrinæ rubeas & crassiusculas, quæ tales perseverant, habeat, super humorem peccantem attestantur. Et cū duo sint humores in humano corpore rubei, sanguis, & cholera *χολέρα* à Græcis appellata, à Latinis rubea, igitur cū nō videamus in hoc corpore sanguinem abundare, nec signa sanguinis apparere, & pituitam multam abundare, non est sanguis absque dubio qui peccet: tum etiam, quia sanguis putrescēs non facit periodos. Relinquit ergo quòd bilis sit, quæ putrescit in aliqua minera putredinis, de qua nondū constat. Habemus ergo febrē hic etiā, & à putredine, ex putredine humoris biliosi: habemus præterea egestiones biliosas: & hæc duo arguunt bilem putrescere. Et quia inuadit sine typo, cum calore leui, & segni, sine siti, sine capitis dolore, & sine sudore, credendum est quòd sit mixta cum pituita, & sit ex genere biliū quæ appellantur maioris famæ. & hoc verisimile est, cū abūdauerit tanta copia pituitæ, maxime cū corpus sit frigidum, & siccum: hæc enim temperatura (vt dicit Galenus in 1. 1. de temperamētis) multam pituitam generat. Bene verum est, quòd si caliditas & siccitas temperaturæ excederet, redūderet bilis: quatenus autem remanet vestigiū caliditatis, bilis abūdat scilicet: processu verò cū sit corpus frigidum & siccum, abundat pituita. Nec verum est id quod olim dicebat Cassianus, cum quo habuimus super hac re disputationē, quòd generaret talis temperatura humorem frigidum & siccum, quia talis humor generatur à caliditate adurentē. Vltterius, cū vir iste frigidus & siccus sit ratione ætatis, non est aliter credendum, nisi quòd sit pituita multa, bili permixta. Febris ergo, vt ex motu febris & exeunti-

bus apparet, est febris quæ pendet à cholera vitellina crassa mixta cum pituita multa: ideo longa est. Talis ergo est causa, & mos febris, iudicio meo. Vbi verò, & quo modo putrescat, videndum est. Omnino bilis generatur in hepate. Sed quomodo in isto viro generetur, multæ causæ adduci possunt, ex regimine maximè factò, cum dulcibus scilicet, quæ bilem generant. & præterea potuit esse causa, quòd factæ sint obstructions in hepate à catarrho, & cum in venis mesaraicis sint factæ obstructions, nihil magis facit ad calorem augendum hepatis, & ad calefaciendum, sicut obstructio: quia cum sanguis tenetur calefcit, & facit multiplicare bilem: quæ cum partim per venas deferatur, quia venæ omnes non sunt obstructæ, sed plures, ideo non euentatur sanguis, incalefcit, & partim per venas, partim per porû felleum ad intestina defertur: & ideo per secessum, & per urinã, plurimã bilem emanãtem videmus. Minera ergo putredinis est, quia venæ sunt plenæ bile & pituita, & putrescit pars in venis, pars extra: sequitur quòd putredo varia sit, & modò in venis, modò extra venas sit, quia natura potest transmittere materiã extra venas sine typo, vt in primo ad Glauconẽ dicit Galenus: & non fit rigor in tertiana, nisi propter multitudinẽ materiæ subitò excurrentis ad loca sensibilia, ob sensibilitatem multam. Cum igitur priuetur multa bile syncera, & membra sint sicca sine sensibilitate, ideo potest putrescere extra venas, & intra etiã. Sed quicquid sit, siue extra, siue intra putrescat, materia hæc cholera est crassa mixta cum pituita multa. Sed quantum sit de ratione febris factæ ex obstructione, si aperiet, trãspirare poterit, & bilis nõ generabitur, quia remota prohibitione transpirationis, omnia prospere succedent. Circa catarrhum verò aliter est dicendum:

dum : quia senes habent catarrhum congenitum, & eum occupantur, tunc fit illis ita congenitus: & egritudo, sicut Hippoc. retulit, branchi & catarrhi in senibus raro maturatur. Dicit Hippoc. raro: Galenus vero exponens in commento, nunquam catarrhos tales in senibus maturari dixit: & ratio est, quia sunt ipsi congeniti, quia cerebrum cum non possit concoquere alimentum, & vapores eleuati ad ipsum non expellantur, ideo tum ratione proprii alimenti, tum etiam ratione vaporum, tum ratione utrorumque, sic fiunt catarrhi senibus congeniti. præterea cum vapores sint multi in corpore senum, propter imperfectionem coctionum, plurimi ascendunt, & cum non possint expelli, multiplicatur catarrhus: maxime autem multiplicatur in illis, qui habuerunt caliditatem in iuuentute validam. Vbi enim perfecta frigiditas est, ut in sene qui fuit frigidus, non fit in eo euaporatio multa, ideo nec multitudo catarrhi, & non nisi propter alimentum cerebri. Corpus autem tale fuit calidum in iuuentute, ut apparet ex toto ambitu, & nunc etiam hepar suum calidum est: ideo fit multa euaporatio ad caput: ideo catarrhi multiplicantur: multiplicatio autem catarrhi ratione cerebri non potest tolli, quia non potest fieri ut cerebrum non sit frigidius seipso, ideo non possumus curare catarrhum: possumus bene remorari ne citò interficiat. Cum igitur hæc duo ita se habeant in hoc corpore, quid esset dicendum, & quid faciendum? De ijs que possunt contingere, aliquid est dicendum. Quod ad catarrhum attinget, non curabit perfecte. Quo ad febrē poterit forte, sed eum difficultate: & ratio est, quia febris hæc non est nisi à forti causa, & non habet virtutem que adiuuet Medicum, quia Medicus nature minister est, ipsa vero operatrix, I I I. artis medicinalis. Non ergo ita

facile curabitur ratione debilitatis corporis, & causæ: & ita sumus in re valde ambigua. De faciendis est primò videndū, cui primò occurrendum sit. Dico quòd intentio circa febrè dirigenda est, non neglecto catarrho, quia febris periculosior, quia difficilior est naturæ senis: catarrhus autè familiaris. Ideo febris non seni, sed iuueni est familiaris: neq; ea febris hîc dependet à catarrho, nisi quia facit obstructionē: & bilis multiplicatur, quæ miscetur cum pituita. Ideo obstructiones essent tollendæ, vt febris tollat: quia si tollamus febrè, poterimus providere, vt iste Reuerèdus dominus viuat diutius: si verò nò tollet, interficietur, quia fiet quotidie deterior. sed quia ab humoribus dependet, tollendi sunt, & providendum est vt obstructiones hepatis aperiatur. Et quia materia crassa est quæ euacuari debet, attenuantibus indigemus, deinde educētibus humores crassos in venis existentes. Et sic vna indicatio ab humoribus sumitur, alia à virtute: quia debet sumi venia à virtute, tanquā à principe terreno. Nos habemus virtutē quæ præcipit, & cùm sit in corpore sensili, & virtus affecta admodū, nò possumus ea facere quæ morbo conueniūt. Primò igitur manna proposita est, & ab ipsa inciperè. Sed diceret aliquis: Tu euacuabis humores subtiles, hîc autem crassi peccāt, ideo non euacuabis humores peccātes. Dicebat autè Hippoc. Si talia purgātur, qualia purgari cōuenit, cōfert, &c. Cùm ergo nò purgent humores quos cōuenit, nò iuuabit. Dico, quòd etsi tenues humores euacuet manna, nò debemus abstinere ab ea, quia ab humoribus preparatis debemus incipere, qui sunt in venis mesaraicis, ideo tutissimè cōuenit: & quia iuuabit etiam catarrhum, cùm febrî non sit occurrèdum neglecto catarrho, ideo summopere cōuenit. Non dico quòd

manna

manna penitus sanabit, sed quòd erit principium optimũ: quia vidi ego sæpe, quòd manna licet tenues humores euacuet, aperit obstructions: & facta præparatione, vidi crism fieri, & post quatuor dies sanitatem secutam esse. Ideo inciperem à manna tãquam à re tutissima, & darẽ in vespere ipsam: imò felicius operabitur, vt est mos Romæ, vt libẽtius dent in nocte, & experiuntur feliciter operari, sed ante cibum statim: & exhiberem $\frac{3}{4}$ j. s. vel ij. Postea deuenirem ad alia, nisi natura adiuuaret nos, vt nõ indigeamus alijs. Altera die nec brodium, nec syrupum darem, quia nollem vt brodium lauaret medicinã: nec syrupus distribueret humores, quos volo euacuare. Altera die, quæ tertia erit, darem syrupũ qui habet vim abstergendi, & mundificandi. propositum est oxymel simplex, à quo non recederem: sed vellem vt esset magis acetosum, & præpararetur cum sua acetositate: id enim quod habent pharmacopolæ, dulce est. Non derelinquerẽ mel rosaceum ratione stomachi, quia senum membra sicca sunt sine pinguedine, & intestina non habent pinguedinem, possẽmus deuenire ad excoriationem: vellemq; vt esset subamarum, quia multũ refert habere optima medicamenta. Postea facerem decoctum, accipiendo aquam endiuia, vel capillorum Veneris, si haberentur capilli Veneris. nec erunt dimittenda farfara, id est, tussilago appellata propter excellentiam, quam habet ad tussim. Ideo vellem quòd haberemus has tres aquas ad pondus singularum lib. vnus. Et decoquerem in ipsis aliquid anisorum, vt corrigeretur earum frigiditas, quoniam omnes aquæ distillatæ frigidæ sunt, vt etiam aqua distillata à calidissimo simplici, puta à calametho, quod stimulat linguam veluti piper, non calefaciat, imò infrigidet: & vidi inflammatos homi

nes propter potū decoctiligni Indi, ab aqua calamē-
 thi infrigidari summopere. Quia ergo aqua endiuig
 est frigidior, aqua capillorū Veneris ad temperamē-
 tum accedit, vellem miscere anisorū aliquid, vt ape-
 rirēt oppilationes, & corrigerēt frigiditas, & deco-
 querēt vt duæ libræ remanerent: & exhiberentur hu-
 ius decocti vncie quatuor: oxymellis simplicis, mel-
 lis rosati sing. vncia. Cū autē dedissem quinq; vel
 septem syrupos, si viderē cōcoctionem, replicarem
 medicinam, & constante virtute, cum manna, vel in-
 fusione rhabbari, vel cum syrupo rosato solutiuo
 euacuarem, nec accederē ad agaricū, quia laboriose
 soluit, & nauseam facit. Sed ego non recederem à be-
 nedictis, nec haberem virtutē defectam: oportet er-
 go manuteneſe ipsam, & cū deuenerimus ad rha-
 barbari infusionem, & ad syrupum rosatum soluti-
 uum, sufficiet nobis. Si postea symptoma catarrhus
 vrgeret, cum linimentis procederē: & ego maximē
 confido in vno à methodo Galeni sumpto. Vellem
 vt acciperemus adipem anserinum, quia maximē pe-
 netrat. Et licet antiqua expositio laudibus extollat
 arietinū, id perperam dictum, quia textus Græcus
 habet anserinū. Etiam ille qui traduxit, ea attribuit
 arietino, quæ sunt attribuenda anserino, cum modi-
 co croci, & olei amygdalarū amararū: iuuabit enim
 mirum in modum ad cōcoquendum materias cras-
 sas. Nunc autem masticatoria non conuenirent, sed
 facta euacuatione. Caputpurgia per nares cōueniūt
 ad euacuandum catarrhum, & si per spatium leue fa-
 cere vellemus masticatoria, possemus. Ideo si vellet
 masticare radicem capparū, optimū esset, vel masti-
 chen: corroborat enim, nec facit violentā attractio-
 nem ad fauces: & conuenirent reliqua pro ventricu-
 lo, & pro concoquendo catarrho, & pro febre. In ijs
 im-

immorarer, vt scopus meus esset non recedere à benedictis. Circa rationē victus, ab eo tollendū vinum potens, & vinum sit tenue, subtile, albū, vt non habeat acetositatē, nec dulcedinē, quia vellemus curare febrem, non catarrhum. Quo ad cibum, iusculis ex hordeo optimè cocto, & farre cum lacte amygdalarum vtatur, & oua sorbilia accipiat, quia in tertianis oua iuuenibus exhibebat Galenus: in reliquis regimine senū vtatur, cum aliquib. frictionibus. Quo ad illam excoiationē, non laboret supra nates, quia longo decubitu faceret deuenire ad gangrænas, & estiomenū. Ideo petiæ lineæ subtilissimæ in oleo de cerussa madefactæ loco apponētur, vel cum carie lignorum salicis, & cum modico olei rosati: vel puluis ille ficcus conueniret, vel item vnguentum de lithargyrio simplex: & inter omnia ne molestaretur in decubitu, vellem vt super se molli sederet, & cum subtilissimis petijs, ne aliquid asperum læderet ipsum. Quo ad œdema, vellem vt maius fieret: si tamē timerem ne humor multus destrueret temperaturam cruris, non esset malum si aqua marina falsa acciperetur, & germina ebulorum coquerentur in ea, & fierent lotiones, & petiæ lineæ magnæ infusæ essent: facerent enim ad resolutionem, nec reprimerent: & corroborarēt membrum, ne materia illa diutius permaneret destruens calorem innatum. Et ista essent iudicio meo facienda.

Consult. XLIII. De oculis lachrymantibus,
pro Iudæo Turcico.



Vrationis huius affectus quo affligitur, potissimum fundamentum est, vt prohibeamus materiam ne destillet: hoc verò neutiquā facere possumus, nisi membris

mānantibus prospiciamus, ita quòd tota ratio curæ consistat in eo, vt membra corroborentur, hepar scilicet, ventriculus, & cerebrum, ne generentur excrementa in corpore. Quod maximè fiet recta ratione victus, in qua quidè cum multipliciter delinqui possit, in aëre, cibo, potu, & reliquis, ideo curabit vt sibi viuat, & non alijs. Proposita recta ratione victus, bis in anno purgabitur, vere in quā & autumnò. Modus verò purgationis erit iste:

℞. Specierum hieræ simplicis ʒ ij.
Cassia ʒ j.

Fiat bolus, detur ante prandiū hora vna. Postea vtatur septem vicibus infra scripto syrupo:

℞. Syrupi de stœchade
De infusione rosarum ana ʒ j.
Decoctionis fœniculi
Anisorum
Rosarum ʒ iiij. Misc.

Sumat deinde infra scriptam medicinam:

℞. Pilularum cochiarum ʒ iiij.

Cum melle rosato. sumat manè cum custodia.

Interdum vna hora ante cœnam sumat tres infra scriptarum pilularum:

℞. Aloës optimæ
Agarici electi ana ʒ iiij.
Myrobalanorū chebulorum ʒ ij.
Nucis muscatę ʒ j.

Puluerizentur, & commisceantur, deinde aspergantur cum succo rosarum, & permittantur exiccari: postea cum melle rosato fiat magdaleon, de quo fiant pilulæ pro ʒ iiij. Mastichè mastice manè, & expuat. Pro confortatione infra scripto remedio vtatur:

℞. Tutia optimè præparatæ
Corticum quorum puluerizatorum

Aloës

Aloës optimæ ana ʒ j.

Inuoluantur in panno lineo, & fiat pila. Infundatur in aqua fœniculi, suspensâ cum filo: postea sæpe in die exprimat eam pila in oculos. Si uerò perseueraret mala dispositio oculorum, & sentiret se nõ leuari cum remedijs superscriptis, fiât cauteria & fontanellæ in vno & altero brachio supra cubitum, per spatium quatuor digitorum parte exteriori tenendo semper aperta cum balla de cera, sicut solet fieri. Corroborentur autem membra, hepar, ventriculus, & caput: & inter reliqua maximè laudo zuccharum rosatum, quod uidetur esse proprium morbis ventriculi & hepatis: abstergit autè, corroborat caput, & prohibet ascensum vaporum. Caput etiam corroboretur calefacientibus, aspergèdo ei pulueres, tum etiam decoctis factis ex maiorana, camomilla, agarico, & cum sapone confecto cum agarico, ablundo caput vesperi, & postea domum non egrediat. Caputpurgia hic quoque conueniunt, quibus etiam Galenus in morbis oculorum vitur. Quòd si aliquis dicat hoc esse malè factum, quòd diuertamus materiam ex cerebro per locum affectum, is aduertere debet, quòd tunc hoc licet facere, quando exquisitissimè corpus est purgatum: quam exquisitissimam purgationem nisi præsupposuerim futuram ab eo, nunquam ei malticatoria proposuissem: gingiuas enim etiam habet paratas ad fluxus, neque tanta essent caputpurgia: diuersiones potius fierent ad partes posteriores, cum frictionibus, cucurbitulis siccis in dorso. Sed his non iuuantibus, postremò (vt iam monuimus) ad cauteria erit confugiendum.

Consult. XLIII. De uisione diminuta continua, & corrupta, sed intermittente, pro monacho sanctæ Iustinæ.



Vm duobus Reuerendus hic pater accidentibus molestetur, id proculdubio à nobis præponendū quod magis notum est, & ad minus notum deueniendū. Accidens ergo confessum & notum est debilitas visus, adeò vt nõ possit à remotis conspiciere, sed tantum de proximo videat: & hoc sibi essentiali & perpetuū est, cum iam duodecimus agatur annus, ex quo huiusmodi accidēte afficitur. Aliud verò accidens non sibi perpetuum, nec essentiali est, quòd dum intensius aliquid legit, & aliquid fixè aspicit, percipit falsas imagines in aère apparentes, vt muscas, vel fila, quæ ascendāt & descendant per aërem. Primum est proprium, vt dixi, & est visus operatio diminuta: secundum verò non est proprium, sed consequens ad primum, & est imaginatio corrupta, & operatio corrupta. Et sic sunt duo symptomata, seu accidentia, quæ non dant nobis indicationem curandi de se, nisi prius cognoscatur ægritudo, & causa ipsius. Ideo ægritudo, & causa ægritudinis quærenda est. Ipse enim narrat, quòd dum esset puer sex annorum, ichores quosdā in capite & crustas habuit, quæ cum medicamentis & inunctionibus repressæ fuerunt: in decimotertio anno post clausionem illarum cœpisse debilius videre, & hucusque perseuerare: & hæc existimat facere ad inueniendam causam istius ægritudinis. Ideo à nobis videndum erit, an ista fuerit causa. Sed prius tamen notanda sunt quædam, & priusmodò consideranda est complexio eius, quia ex complexione elicietur aliquid, quod ad cognitionē causæ istius

ſæ iſtius ægritudinis faciet. Iſte enim habet habitum corporis ſatis bonum, robuſtum, & optimi eſt coloris, & habet operationes vitales & animales optimas, quia iſte optimè conficit alimenta: quæ omnia indicant ſupra caliditatem eius, quia omnia iſta procedunt à calido. Ideo nulli dubiū eſt, quin iſte ſit calidæ temperaturæ. Vtrum verò iſta caliditas ſit æqualis per omnia membra principalia, an verò ſit cum ſiccitate vel humiditate? Ego quia non video multum exceſſum in humiditate & ſiccitate, ideo in iſtis non multum laboro, quia nō multum etiam faciunt ad rem noſtram. Quòd autem iſte habeat humidum cerebrum, ex naribus & oculis licet videre, ex forma & figura totius oculi, quia ſunt magni & prominentes: ideo cerebrum eius & oculi labuntur à temperamento per calidum & humidū, quod patet ex venis in eis exiſtētib, quæ magnæ apparent. Quòd verò magis refert, eſt videre de loco, in quo ſunt ſymptomata, ſcilicet in quo ſubiecto ſit iſte malus affectus, & de cauſa materiali faciēte iſtum malum affectum. De ſubiecto ergo videndum eſt, ſicut præcipit Gale nus I I I I. de cauſis ſymptomatum, an iſta læſio vel ægritudo ſit in ſubſtantia cerebri, vel in membranis eius, vel in ſpiritibus, vel in nervis opticis, vel in inſtrumēto: & ſi in inſtrumento, an in tunicis, an in humoribus. Ideo difficile eſt videre, vbinam poſſit eſſe ægritudo iſta, quia hæc eſt tota rei ſumma, ad hoc ut inveniatur modus curandi. Quòd autē non ſit in cerebro, patet, quia nulla eſt de hoc cōiectura, quia (ut audio) omnes cerebri operationes rectè ſe habēt, & ſecundum naturā: quia non conqueritur nec de gravitate capitis, nec de odoratu, nec de gūſtu, nec de auditu, nec de alijs, ſed ſolum de viſu, nō autē de aliqua læſione quæ in cerebro fiat: propterea illud mē-

brum sanum est, cuius operationes sunt sanæ. Igitur cum operationes cerebri sanæ sint, sequitur ipsum sanum esse. Neque læsio ista est in membranis, quia si sic, ipse in radicibus oculorum haberet dolorem vel grauitatem: sed nullum istorum habet, ergo non est in membranis. Sed fortè dicet quis, quòd ista est in neruis opticis: hoc autem esse non potest, quia si sic esset, vel esset constipatio aliqua ibi existens, vel aliqua mala complexio, vt nimia humiditas, vel nimia siccitas: & vbi sunt ista, ibi vt plurimum est constipatio. præterea si esset siccitas, faceret alia longè sæuio-
 ra accidentia. Non est etiam humiditas, quia non est constipatio perfecta. Quòd autem non sit constipatio, apparet ex eo, quia nihil videret, ergo non diminutè. Nec potest esse ægritudo in cõpositione, quia si sic, contorqueretur illi nerui: sed non contorquentur, ergo. Quòd autem non contorqueantur patet, quia ipse nõ habet visum obliquum, sed rectum: sed si esset contorsio, obliquè videret. etiam si esset constipatio aliqualis, spiritus esset equali modo, nec esset causa quare debilitaretur visus, cum per longum tempus videt: quia vbi est constrictio neruorũ opticorum, vel astrictoria oppilatio in neruis illis, visus suus semper in illa paruitate perseueraret, & nõ debilitaretur. Ideo non possumus dicere, quòd in neruo illo sit aliquid quod impediatur. Præterea si claudat oculum alium, videbitis spiritum confestim irruentem in plurima copia. Ideo cum sit liber transitus totius spiritus ad pupillam, non est dicendũ impedimẽtum esse in optico neruo: ergo erit vel in spiritibus, vel in humoribus, vel in tunicis oculi. An in spiritibus, nec ne, cum sciamus visum principaliter fieri per spiritus, secundariò per humores, vt crystal-
 linum, & alios duos, & præcipuè per aqueum, ideo
 sum

sum in hac re multum cogitabundus. Quòd non sit in tunicis, certum est: quia ego video quòd nò sit in cornea, quia nò apparet nocumentum. nec etiam in vvea, nec in parte in qua est humor albugineus, quia si sic, esset suffusio: non durasset tandiu, quia secundum Galenum suffusio ad summũ durat per sex menses, deinde fit turbulentia: sed iste habet oculos claros, & spiritus prodeuntes, & ideo in tunicis nò est lasso. Ideo crediderim & in spiritibus, & in humoribus participare ægritudinem istam. Quòd autem sit in spiritibus, conijcio: quia cùm iste Reuerendus pater incipit videre, non diminutè videt, sed bene videt: cùm verò diu vidit, iam incipit diminutè videre: ideo credo ego quòd sint pauci spiritus, & etiam crassi, qui non possunt ad longam distantiam diffundi & dilatari. Et maius signum est, quòd postquam vidit per multũ spatium, & facta est multa spirituum resolutio, quòd tunc sequitur secundum illud accidens, & apparent ei muscæ, & fila ascendentia & descendentia. Ideo credo quòd simile nocumētum sit in spiritibus, & etiam in humore aqueo, quia nocet ei lux multa & subita: & hoc est accidēs ipsius aqueæ humiditatis, quæ facta est propter defensionem humoris crystallini: quæ cùm pauca sit & tenuis, ideo facile læditur à multo lumine. Et sic vitium est etiam in humore aqueo ex paruitate & subtilitate eius: & sic ægritudo est præcipuè in spiritibus, & in humore aqueo. Vtrũ verò ista sit materialis vel non, & à qua materia: & si peccent spiritus, qua qualitate, an propter malam complexionem, vel quia magis crassi, vel magis subtiles, vel magis humidi, vel magis siccici? Certè est dubium non paruum, quia iste dominus dicit se lædi & ab aère lucido, & æstiuo, & à turbulento. Quamobrem spiritus si quidem essent sub-

riles, non iuuarentur à cōtrario: si autem nimis crassif, non læderentur ab aëre perlucido. Et ideo dico, quia omnis excessus nocet suæ visioni, quod est imbecillitas in spiritibus, quæ non sequitur malam temperaturam simplicem, sed solùm paucitatem, adeò, vt sint pauci spiritus, qui si etiam transirent, immutarentur à subiecto, & instrumento non bene affecto, quia figura istius oculi, vt videtis, non est naturalis, ideo non est commodum instrumentum: & si potentia materiæ sit eadem, non potest cōmodè videre. Et sic quia sunt pauci spiritus, & etiã alteratur ab instrumento non proportionato & idoneo, ideo à quacunq; causa extrinseca de facili læduntur. Vnde autem prouenit ista paucitas spirituum? A debilitate caloris innati dixerim ego: & sic credo quòd ista paucitas spirituum cum aliqua mala dispositione & affectu in humore aqueo sit. Vtrum verò sit aliqua materia, quæ concurrat ad hoc faciendum, ita vt agridudo nedum immaterialis, sed materialis dici possit? Certè iste non conqueritur de aliqua mala stomachi temperatura, & habet optimam temperaturam, cum humiditas & caliditas non multum excedant in cerebro, & sic per totum. Et sic credo quòd imbecillitas oculi sit causa materialis istius, quia stante imbecillitate oculi, stat imbecillitas instrumenti: & alimentum, quod ad oculos defertur, non ita rectè conficitur, sicut si essent secundum naturam. Et non video quòd sit aliquis humor, quia non habeo aliquod indicium, quo deducar ad hoc coniectandum. Dices, quare apparent imagines post fixationem visus? Dico quòd resoluntur partes subtiliores spirituum, & remanent crassiores, ideo apparent imagines post fixationem visus, cum spiritus non possint recipere obiectũ sicut est, quia quod est in-

tus, apparet etiam exterius. Ideo quando diu labora-
uit, quia partes subtiliores resolutæ sunt, & restant
crassæ, apparent istæ imagines. Cùm igitur nullam
aliam causam istius affectus possimus asserre, nisi
hanc, dicendû est, quòd sunt pauca materiae facien-
tes huiusmodi accidens, vel quòd nullæ sunt, quæ de
directo hoc faciunt. Cùm igitur iam sint duodecim
anni, ex quo perseverat iste affectus, & quia spiritus
tales, & oculus qui est magnus, & valde dispositus
ad recipiendas istas dispositiones, & sic ægritudo ta-
lis, & causæ symptomatum tales, ideo quid circa cu-
rationem dicendum est? Certè credo quòd iste non
possit sanari, neq; hoc sperandum, neq; tentandum,
sicut vnusquisq; potest iudicare. Sed quid faciendû?
Dico quòd prouidendum est, ne isti spiritus paucio-
res, & debiliores fiant. Ideo alendum est corpus o-
ptimis alimentis, & cauendum ab extrinsecis alte-
rantibus, neque se exponere debet aëri, neque Soli,
neque ventis, quæ excedant, & sic ab omni aëris re-
cessu semper cauere. Et ab animi accidentibus ca-
uere debet: quia quantum animi accidentia faciunt
ad resolutionem spirituum, quisque nouit. Et à ni-
mio somno, quia replet caput, & cùm oculi sint de-
biles, omnes superfluitates tenderent ad oculos.
A nimia etiam vigilia, quia resoluit spiritus: & à som-
no meridiano, quia ille maximè replet caput, & ma-
ximè ad rheumata facit. Ideo in cibo & potu debet
esse diligens: debet enim cauere à crassis, & euapo-
rantibus cibis, sicut sunt legumina, pastilia, fricta o-
mnia, pisces ferè omnes, & præcipuè ab ijs quæ pro-
prietatem habent contra oculos, sicut sunt berberi,
& alia huiusmodi, & à lactucis, quoniam crassefa-
ciunt spiritus. Et sic eligat vinum album, paucife-
rum: & post prandiū vtatur chebulis myrobalanis,

sicut deferuntur ex Damasco, quia assiduus coriandrorum usus noceret: citonia cum zuccharo conueniunt: & acoris communibus utatur, qui habent stipticitatem, & repressiōem, quia reprimunt summè vapores. Deinde habeat aliquod familiare, quo utatur ter in mense ad expurgationem stomachi, & ad expurgandum loca communia, ita ut semper sint vacua, sicut essent pilulæ ex tribus, ex hiera simplici, agarico, & rhabarbaro, cū succo saxifragiæ, & eufragiæ: & succus eufragiæ esset optimus cū sceniculis, aniso, & zuccharo. Præterea cōferrent syrupi ex decocto anisorū, sceniculi, eufragiæ, & verbenæ, si vteret per xxv. dies: & si vellet euacuari, mihi placeret, his ita stantibus, quia excrementa semper ad debiliores partes tendunt. Quantum sit de balneis non video iuamentum aliquod: fortè posset sequi aliquod nocumentum: posset tamen tentari. In potu verò cū sit calidi hepatis, quod ex colore, & ex venarum latitudine patet, cauere oportet ne incendatur. De cauterijs in capite, & setaceis, non approbo, quia faceret spiritus pauciores, quia nimis exciccarentur spiritus. In cruribus autè possent fieri, quia nullū inde sequerè nocumentū: & si aliquæ materiæ deberent ascendere, ista esset diuersio. Et quia videt quòd peius se habet postquàm ingressus est religionem, ideo cauendum à suo modo viuendi: sed comedat spiritus corroborantia, & à resoluentibus absteineat: oua enim recentia dicuntur spiritus corroborare, auellana, pini grana, & huiusmodi. De extrinsecis verò apponendis oculis, nō inuenio nisi quòd lauetur cum rebus astringentibus, & confortantibus, sicut esset aqua rosacea cū modico aloës puluerizato, & ebulliant, deinde elambicentur: & ex hoc potest lauare oculos, uel cum aqua sceniculi, & similibus.

Con-

Consult. XLV. De debilitate oculorum, & periculo suffusionis ex consensu uentri-
culi, pro D. Gasparo Vngaro.



Abstineat à nimia lectione & studio, præcipuè post prandiū & cœnā, & alijs etiā horis, nimis diuturna. Duo ocularia parret, vnum primò ex crystallo, quo in legendo utetur: & alterum ex vitro viridi, quo non utetur in legendo continuè, sed per certa interualla, quò spiritus recreentur. Tertiò faciat pyramidem rotundam in acumine non perforatam ex vitro denfiori viridi, cuius basis tam lata sit, vt vtrunq; oculum recipiat, intus verò concuam, in quam intuens colligeret spiritus, & radios ad inuicem adiuuaret. Quartò diætā vtatur debita, abstineat à vino nigro crassiore, & omnibus fumosis cibarijs & crassis, qualia lacticia, pisces, fructus, & fricta. Quintò vtatur singulis septimanis semel drachma vna hieræ simplicis, quam in hoc casu mirificè laudat Galenus, ita vt ea sola multos in Asia per literas Roma missas se curasse iactitet. vel tantundem aloës accipiat, quam felicissimè in hoc casu probauimus, & nunc magis in vsu habemus, quòd ex ijs quæ hieram ingrediuntur, tria nunc non possunt haberi, & male plerunque cõficiatur. Sextò, collyrio vsitato vtatur, quando extrinsecam aliquam in oculis humiditatem sentiret, aut quando in ipsis oculis uideri possit, abstergit enim illud & exiccat: sed dum nihil in oculo apparet, nec ab extrinseca inconuenienti humiditate infestatur, ab eo desistat. Esse autem malum illud non essentialiter in capite, sed ex ventriculo affecto, colligitur primò, quia ex vomitu cœperat: secundò, quia intermittebat quandoque, non erat cõtinuum:

tertiò, cùm amouebatur, præcipuè sentiebat, dum enim calefactus ventriculus, eleuabat vapores. Collyrium commune, quo vtetur:

℞. Fœnigræci $\frac{3}{4}$ i. s.
Radicis althææ $\frac{3}{4}$ ij.

Mudentur diligentissimè, & decoquantur in aqua communi purissima sine puluere & fumo ad cõsumptionem duarum partium. Facta diligenti expressione & colatura,

℞. Aloës optimæ puluerizatae ʒ iiij.

Bulliant omnia simul ad spissitudinè mellis liquidæ, & referuetur in vase vitreo bene obturato ad vsum.

Consult. XLVI. De ophthalmia, pro Corricio iuuenè doctissimo.



IX persuaderi possum, Corrici doctissime, me quicquã de re medica excogitare aut præstare posse, quod nõ abs te perceptũ prius ac probè deprehensum fuerit: noui enim ingenium, noui diligentiam ac doctrinam, qua plurimũ polles. Tu tamen enixè rogas atque obtestaris aliquid de ophthalmia cõscribam, habiturum te illud tanquam sacrum, & ab Hippocrate missum: vtinam tantæ spei de me conceptæ satisfacerem. Sed quoniam amor te decipit, faciliè ferro: amari enim abs te mirum in modum gaudeo. Ergo onus ad eò efflagitatũ subire non recusabo, haud quidem quòd aliquid noui sperem in medium afferre, sed tantũ ne optimo amico defuisse videar. Habebis autem quicquid hoc est, raptissimè scriptum, quum nuncius festinans & ad iter paratus, incunctanter exigat, & de quacunque morula conquerratur. Quum verò tres similes morbi, ob naturæ propinquitatem, ab imperitioribus medicis plerunque

confundi soleant, *χημωσις, τάρaxis, & ὀφθαλμία* (Græcis enim nominibus agendum, ob Latinorum vſitatorum inopiam) primò ſingula diſtinguemus, poſtea ad veram ophthalmiã accedemus. Eſt igitur *τάρaxis* leuis quædam inflammatio, quæ ſine vſlo diſcrimine palpebras, tunicam coniunctiuam, & reliquas oculi partes inuadit, vt nullus tamẽ vel minutiffimus certè dolor conſequatur. Sed nec rubedo aut tumor inſignis apparet, vt meritò inflammationis potius exordium, quàm inflammatio appellari poſſit: raroque à cauſa intrinſeca generatur, & ſi quandoque contingit leuiſſima eſt, & quæ pauco curamine indigeat: ſed ferè ſemper ab extrinſeco originem ducit, ſole, puluere, fumo, ac reliquis ſimilibus. Ophthalmia autem eſt inflammatio tunicæ coniunctiuæ, quæ ſæpe præ magnitudine totum oculum inuadit. Diſfert *τάρaxis* à chemofi & ophthalmia, tum quia ſemper mitis, tum quia nullius partis oculi proprius affectus eſt. *χημωσις* itẽ ab ophthalmia diſfert, quoniam chemofiſis propriè palpebrarum inflammatio eſt, licet nonnunquam alias partes in conſenſum affectus trahat: ophthalmia ad coniunctiuam tantum tunicam attinet, facilè autem taraxis in primo intuitu dignoſcitur, quæ tamen ſi negligatur, corpusque malis ſuccis reſertum inuenerit, in grauiffimos morbos incidit. Chemofiſis & ophthalmia cum ſimplices fuerint, facillimè diſcernuntur: chemofiſis enim tantum palpebras inflammat, ophthalmia coniunctiuam: ſed vtraque ſæpe vno & aliquãdo quam pluribus oculorum morbis complicantur, quorum ſinguli ex proprijs accidentibus à prudenti medico diſtinguuntur. Nos verò hic de ſimplici ophthalmia diſſerere propoſuimus: iuſtum ſiquidem volumen, non epistolam conficeremus, ſi varias mor-

borum, quæ oculis euenire solent, complicationes curationesque singulis correspondentes prosequi tentaremus. Est igitur ophthalmia (vt diximus) coniuñctiuæ inflammatio, & quatenus inflammatio est, tot habet causas, quot reliquæ omnes inflammationes, & iisdem curationibus tollitur: sed indicatione sumpta à natura loci multam habet diuersitatem, ut postea ostendemus. Nunc videndum quomodo simplices ophthalmiæ distinguantur. Meminisse autem oportet, me simplices appellare, quæ neque vlceri, neque alicui morbo coniuñctæ sunt: vel enim à materiæ inhærentia, vel à forma distinctiones habent. A materia, nam fieri potest à sanguine, à bile, à pituita, à succo melancholico, à flatu, sicuti & reliqui tumores præter naturam. A modo inhærentiæ, nam quædam per essentiam inest, quædam per defluxum, quædam utroque modo. Per essentiam, vt si coniuñctiuæ aliqua mala temperatura contigerit siue ab extrinsecò, siue ab intrinsecò aëre, vel cibis, vel coitu, cum coctiones propriæ alimenti deteriores redduntur, & inde excrementa plura colliguntur in loco, vnde postea inflammatio. Per defluxum, quia à capite, vel alijs membris materia ad locum imbecilliozem pellatur eò modo, quem Galenus secundo de diff. feb. descripsit. Vtroque modo, vt simul & mala téperies seu laxitas cõiuñctiuæ fuerit, & defluxus ab alio membro. A forma distinguitur, nam quædam earum humidæ, quædam siccæ sunt, quas Græci *ἐξυγας ὀφθαλμίας* vocant. Si ergo fierent à sanguine, maximus tumor in loco apparebit, maximus etiam rubor, tensio præterea, pulsatio, & dolor, calidæ lachrymæ exprimentur ad crassitudinem declinantes, quæ vbi moram fecerint, faciliè exiccantur: sordes insuper molles circa angulos oculi frequen-

quenter apparent. Et si à causa intrinseca euenerint, plerunque corpus ægri sanguine refertum videbis, prominentibus venis, colore rubro, qui fortasse in otio pridem vicitauerit, lautosque cibos atque potus ingesserit. Si à bile, tumor modicus, magisque in superficie eminens, color ad pallidum vergens, dolor acris & mordicâs, lachryma vel nulla, vel parua, falsa, aut amara, statim excrescens: sordes in angulis sicca, & aspera, plerunque etiam vigiliæ, præsertim si à capite materia defluerit. Si materia fuerit in stomacho, sæpe & febris tertio die accessiones habens. Et si materia fuerit in toto, vrinæ, & fortasse etiam excrementa biliosa egerentur: sed & corpus ægri gracile, quod cibo & potu calido, validis exercitijs pridem abusum fuerit. Si à pituita, tumor quidem maior, sed laxus, color quidam albus, lachrymæ plurimæ, tenues, insipidæ, quæ non excrescant, sordes vel nullæ, vel mollissimæ, & penè liquores: & totum corpus ægri pituitosum, segne, quod multo otio marcuerit, & cibos potusque frigidos & humidos ingesserit. Si à flatu, quod rarissimè eveniet ob loci raritatem, tensio tantùm sine grauitate percipietur, tumorque facillimè, & tota inflammatio discutietur. Quòd si per essentiam, nõ per affluxum ophthalmia contigerit, paulatim & non subito inuadet, & ante inflammationem lachrymæ, & sordes oculorum præcesserunt, & mordicatione à quolibet aëris leui excessu percepta etiam læditur, maximeque à quacunque re astringente, quæ fortè inflammationi applicatur, cibi que & potus abstinentia iuuantur. Si per defluxum, dolor plerunque & tumoris augmentum certas habent periodos, membri que; unde excrementa illa expelluntur, affectus per sua signa non ægrè deprehenduntur, est que plurimum caput in

causa. Si utroq; modo, tunc & utriusque notæ appa-
 rebunt. Distinctio itaq; ophthalmiæ quæ sumitur à
 forma, est (vt prædiximus) vt quædam ophthalmia
 humida sit scilicet, quædam sicca. Humida contin-
 git ob materiæ multitudinem, tenuitatem, aut acri-
 moniam, & loci affecti tenuitatem, raritatemque, &
 aëris caliditatem relaxantem, & virtutis expultricis
 robur, aut contentricis imbecillitatem. Sicca ob
 causas euenit oppositas, & propterea Hippoc. pri-
 mo Epid. sectione secunda, cum in Thaso Austri &
 imbres præcessissent, successisse ait ophthalmias ma-
 nantes & humidas. Et tertio Aphor. flante Aquilo-
 ne siccas ophthalmias generari: siccas autem oph-
 thalmias vereri oportet, nam si cum siccitate mate-
 ria adfuerit acris & erodens, non euadet æger ab vl-
 cere maligno. Pessimæ verò omnium ophthalmiæ
 sunt, quæ & siccæ fuerint, & à materia acri, & cum
 his imbecillitas magna oculi, & ingens à capite de-
 fluxus conuenerit. Atque hæc quidem de singulis
 ophthalmiæ distinctionibus dicta sufficiant. Quæ
 postea multifariam commisceri, conuenireq; pos-
 sunt, vt sanguis simul pituita, aut bili, aut utriq; iun-
 gatur. Oportet igitur prius exerceri in particulari-
 bus, singulorumque signa exquisitissimè obserua-
 re, & memoriæ commendare, & inde non adeò dif-
 ficulter composita quæque ex signis compositis dis-
 cernemus. Vbi ergo ophthalmia curanda nobis oc-
 currit, antequam quippiã facere moliamur, oportet
 primò, si veri medici esse studemus, totã eius na-
 turam exquisitissimè considerare: huius enim cog-
 nitionem, curandi indicationes sequuntur, perpetuoq;
 ex distincta cognitione, distinctæ redduntur indi-
 cationes: & qua parte deficiet, eadem deficere indi-
 cationes necesse est. Natura autem exquisitissimè
 cogno-

cognoscetur, si quæcunq̄ suprà retulimus, diligēter
 rememorabūtur, quænam materia peccet, sitne per
 essentiam, an per defluxum, sitne humida, an sicca: e-
 runtq; singula ex proprijs notis, quas diximus, per-
 pendēda. Supponat primū à sanguine bilioso oph-
 thalmiā generatā propter defluxum à capite, cum ra-
 ritate texturæ in tunica cōiunctiua, quæ redditur ad
 excrementa suscipienda paratior, sitque ex genere
 manantium humidorū: talis enim plerunq; contin-
 git. Hæc ut manifestò apparet, plurimæ commixtio-
 nis est: nam ex diuersa materia constat, bile inquā &
 sanguine, & partim per defluxum, partim per essen-
 tiam loci affectio exoritur. Quòd si epidemicā quo-
 que posueris à consuetudine veris calida & sicca,
 cui præcesserit australis calida & humida, adhuc eā
 magis multiplicem efficies. Qua igitur uia & ratio-
 ne hoc loco procedendum? Diximus, ubi naturam
 rei rectè conceperis, primò istiusmodi distinctio-
 ne utēris. Habemus materiam talem, sanguinem in-
 quam cum bile iugiter defluentem à capite: habe-
 mus membrum recipiens, tunicam scilicet coniun-
 ctiuam relaxatam, nec resistentem alienæ expulsio-
 ni: ex quibus relinquitur, aliquid iam fluxisse, & ali-
 quid iam esse fluxurum. Hinc oriuntur indicatio-
 nes quatuor: prima, ut fluxum prohibeamus: secun-
 da, ut quod fluxit euacuemus: tertia, ut causam re-
 moueamus, quæ talem defluxum fouet: quarta, ut
 membrum recipiens corroboremus, & laxitatem e-
 mendemus. Fluxū prohibebimus auertendo & eua-
 cuādo: id quoq; quo modo, à natura rei colligitur.
 Cū ergo quod defluit, sit sanguis & bilis, constat
 utrunq; in hepate generari: à fonte igitur cōmodis-
 simè haurietur & auertetur. Vtrum à sanguinis mis-
 sione prius incipiendum? Si sanguis exuperauerit,

copiosè educèdus: si bilis, parcius, & postea purgatio à medicamento bilis ducente partem, sanguinis emissionem emendet. Basiliica ergo incidenda, post die purgandù. Sic humorù fluxum euacuabimus, deinde tū repellendo, quod inter initia conuenit, tum digerendo, seu per halitum euoluendo, quod circa statù efficiemus: tum utroque, quod à principio augmēti usque ad statum fieri conuenit. Causam defluxus remouebimus, si recto calle venabimur, quidnam efficiat vt tāta vis sanguinis & bilis multiplicetur in capite. Et si fuerit caliditas excedēs, refrigerabitur: si fuerit viarū amplitudo, moderabitur: si succorū feruor & tenuitas, in contrariū habitum ducentur membra: sed coniunctiux raritatem stringentibus roborabimus. Quantum verò ad aëris constitutionem attinet, studebimus vel contrarijs qualitatibus emendare, vel ægrum in regionem ægritudini oppositam ducere. Et hæ sunt communes indicationes, quæ à natura rei sumuntur. Sed quoniam hūc, sicut reliquos morbos, in certis corporibus, regionibus, temporibus, multisque intercurrentibus occasionibus necessariò curabimus, ideo bonum artificem singula quæque istorum spectare oportet, & subiecta via, rationeque colligere, qua postea munitus tutò & facilè possit ad particulares accedere. Vbi ergo communes omnes indicationes quæ sumuntur à morbo, diligenter distinxeris, primò totam ægri naturam recensebis, cuius tēperaturę sit tam in vniuerso, quàm in membris particularibus, & præcipuè in mēbro affecto, & an ibi ægritudo tēperaturæ correspondeat, an sit diuersa vel opposita, quam habeat compositionem, an rari densiue habitus, an gracilis aut obesi, quæ sit figura membrorum, præcipuè capitis, sed potissimùm oculorum,

vtrum

vtrum prominentes, concaui, aridi vel humētes, nigri vel cæsi, aut alterius coloris, perspicaces an hebetes, venis apparentibus an occultis, affectibus obnoxij vel perpetuò sani. Deinde de illius consuetudine in victu diligenter percūctaberis, quo cibo potius vtatur, quantum & quoties comedat. De exercitijs, item vigilijs, & de somno, de animi occurrentibus, de coitu, de egestionibus, & reliquis huiusmodi. Interrogabis quā artē exerceat, quo genere exercitij, & in hoc potissimè ophthalmiæ affectum intelleges, legeré ne an scribere cōsueuerit, & quod literarum genus, minutāsne, an ampliores, & si non ita multum à cibo. Regiones præterea, & anni tempora obseruabis, calidiora ne, an frigidiora: sicciora ne, an humidiora: nunquid egritudini cōueniāt, vel opponantur. Insuper duo alia, quæ morbi annexa vocare possumus, summopere sunt attendenda. Primum, vnusne sit morbus, an plures complicati. secundum, quòdnam sit istius morbi tempus. In primo vix credi potest quàm multi medici cum summo suo dedecore, & ægri detrimento fallantur. Quoties enim oculum tumescentem aspiciunt, sine alia distinctione ophthalmiam appellant, & quod longè deterius est, statim curant, quemadmodū simplices ophthalmiæ curari solent, non perspicientes, num quis humor corneam quoq; inuaserit, & palpebras, & nūquid in ipsis palpebris asperitas, quæ frequentissimè acerrimos dolores, & nouos defluxus excitat, & nunquid aliquod tuberculum, aut vlcus, aut pustula parua è diuerso seu directo pupillæ appareat. Hęc & alia cōplurima cum ophthalmia sæpissimè complicari solent, quibus nisi diligentissimè occurratur, non est mirum si postea cæcitas & multa alia incōmoda sequantur. Ego enim miserum quendam ophthalmi-

cum noui, cui in ea parte, quæ pupillæ opponitur, pustula inerat admodum exigua, vt vix sensu percipere tur. Huic imprudens medicus occurrens tanquã solam ophthalmiam curaturus, pomum feruenti cinere maceratum zuccharoq; conditum, temerè applicauit, eaque nocte tamen dolor omnino sedatus est, probeq; obdormiuit, manè letus surgès medicũ accersiuit de sanitate gratulaturus, nec minori lætitiã gestiēs delirus medicus, soluto oculo propereq; abluto cataplasmate, subsequutus est humor aqueus, qui crystallinum præcedit, vt miserabili motu æger altero oculo priuaretur: illo enim cataplasmate disrupta pustula profundiori quàm sensu apparuerat, vlcus subortum est. Dies non sufficeret, si errores omnium recensere voluerimus, qui quotidie oculis curandis cõmittunt. Nec mirũ, cum nullum aliud membrũ sit, in quo tot partès insint tam exiguæ, tam coniunctæ, tam molles, tam affectibus obnoxia, tam simul consentientes, tam parum medicamẽta tolerantes, vt omnino sagacissimũ medicum esse oporteat, qui talium particularũ morbose exquisitè distinguat, & vbi distinxerit cõmodis remedijs occurrat: vt optimè de hoc, sicut & de reliquis, veteres consuluerint medicos nonnullos cæteris morbis omisis solum esse oculares. Tantum enim negotij in solo hoc membro fore cõprehenderũt, vt vix, integro officio rectè obeundo, totus homo sufficeret. Ergo si quid aliud, hoc maximè intueri oportet ophthalmiam curaturus, sit ne alius aliquis in oculo morbus, vel alia pars læsa præter coniunctiuam: & præcipuè aduertendum an in cornea, & circa pupillam sit nocentum, in hoc verò totus discriminis cardo versatur: partis enim nobilitas, & imbecillitas, & erroris nocumẽtum nunquam nos satis cautos reddit. Si ergo

affe-

affectus aliquis in ea parte consistat, videndum an vl-
 cus, vel pustula, an nubecula appareat: & singulis cō-
 modè occurrere, rei natura considerata: de his enim
 non est sermo à nobis propositus, sed ad hoc tantū,
 vt ophthalmiæ ita suas medicinas applicemus, vt se-
 parentur à reliquis. Quòd si, quemadmodum iam sæ-
 pe contingit, in ipsomet loco ophthalmiæ præter in-
 flammationē vlcera quoque adfuerint, curatio red-
 detur proculdubio difficilior: quod & nos protesta-
 ri debemus, ne fortè quod est in morbo, nobis id vi-
 tio vertatur. Deinde ita remedia moderari, vt simul
 & inflàmationis, & vlceris ratio habeatur, ad id cau-
 tē declinātes, quod magis infestare videbit̃. Et hæc
 satis sint quantum ad morborū complicationes. De
 temporibus verò ophthalmiæ dicendū superest, quæ
 sunt, sicut reliqua omnium ægritudinū, ad curatio-
 nem admodū necessaria: longè enim diuersa in prin-
 cipio, quàm in augmento, aut statu, & faciendā, & iu-
 dicanda sunt. Ergo tempora in ophthalmia ante cu-
 rationem distinguere oportet, quod non admodum
 difficilè fuerit. In principio, in humida quidē lachry-
 mæ & sordes nulla coctionis signa præ se ferētes, ser-
 uabuntq̃; vel nimiam caliditatem, tenuitatē, pallo-
 rem, acrimoniā, vel frigiditatē, crassitudinē, lentorē
 pro humoris peccātis varietate. In sicca verò nullæ
 prorsus aderūt lachrymæ, sordes, neq; adhuc erit hu-
 mor insignis, dolor tamē infestabit ob continuū de-
 fluxum. In augmēto & humor & dolor augmētabun-
 tur, lachrymæ tamē & sordes quædā tenues meliorē
 cōsistentiā acquirēt. In statu maximus dolor, rubor,
 & tumor: lachrymæ verò & sordes in salubri ophthal-
 mia, æquales, albæ, cōcoctæ: in perniciosā verò, aut
 liuētes, aut virides, aut nigre, & fœtidæ, ac in substan-
 tia ab omni mediocritate recedentes. Erit præterea

motus morbi attendendus, vtrum velox an tardus,
 vtrum paribus an disparibus diebus affliget, quānā
 habeat accidentia. Ex quibus diligenter collectis &
 comparatis, diligenter prognosticemus quoq; quid
 de morbo futurum sit, & quo tempore feliciter vel
 infeliciter terminabitur. Quæ omnia assistentibus
 prædicentes, simul & culpa absoluemur, ac præterea
 exquisitè noscemus quo modo & circa victum & cir-
 ca remedia regendus sit æger. Accidentibus etiam,
 si quæ erunt sæua, quæ rationem causæ habere vide-
 buntur, opportunè occurremus, inter quæ præcipuè
 dolor est, cui frequenter cum stupefacientibus reme-
 dijs resistemus, ne fortè tantæ materiæ vis ad locum
 trahatur, vt suffocato innato calore loci, gangræna
 aut sphacelos occupet. Cùm ergo hæc omnia, quæ
 diximus, prudèter & maturè collegerimus, à quānā
 materia ophthalmia generetur, sitne per adfluxum,
 vel per essentiam, sitne humida an sicca, demū quæ-
 nam ægri temperatura, quæ compositio, quæ victus
 ratio, quæ ars, quibus assueuerit, quod tempus anni,
 qui motus, qui periodi: cùm hæc inquam omnia re-
 ctè collegerimus, tum cum optimis remedijs singu-
 la repellentes, & illud aureum præceptū semper in-
 tuentes, Contraria contrarijs mederi, vt plenitudi-
 nem euacuare, asperitatem lenire, caliditatem refri-
 gerare, quartò humiditatem exiccare, & sic de singu-
 lis. Vbi igitur materiam præparatam & probè notam
 habuerimus, quid restabit, nisi vt hanc artem rectif-
 simè exequamur, ac sanitatem vindicemus? Occur-
 rat igitur nobis Socrates xxx. annos natus, tempera-
 turæ calidæ & humidæ, qui præter consuetudinem
 suam ante aliquot dies biberit vina potentissima, a-
 romataq; & mellita cibaria ingesserit, plurimoque
 coitu exhaustus fuerit, & nocturno aëri plus equo se
ex-

exposuerit: habeatq; in cōiunctiua oculi tunica ma-
 ximum tumorē rubrum, durum, pulsantē, cum dolo-
 re extensiuē, ac mordicatiuē, vt serē sensum acuum
 pungentiū percipiat: emanantes lachrymæ ex angu-
 lis oculorū, acres, substantia mediocres, tum colore
 quadantenus ad citrinum tendente: sintq; in iisdem
 angulis sordes medię consistentię erodentes, sitq; ue-
 grauitas, ac rubedo totius capitis, cum plenitudine
 venarum apparentiū: vrinæ rufæ & crassæ, pulsus in-
 gens, vehemens, frequens, & velox. Talem cū aspe-
 xerimus, facilē est iudicare ophthalmicū, quoniā in
 tunica coniunctiua habet inflammationē. Materiam
 autem inflammationis esse sanguinē bili admixtum,
 ex notis partim bilem, partim sanguinem indicanti-
 bus: & per defluxū capitis, vt eius grauitas, rubedo,
 & venarum amplitudo attestātur, concurrēte etiam
 oculorum imbecillitate, quam præcipuē ex intempe-
 rato coitu vendicauit: atq; inter ophthalmias humi-
 das cōnumerari debet, vt lachrymæ & sordes osten-
 dunt: demum totius corporis plenitudinem, vel de-
 fluxum conspirare, adiuuante regionis & constitu-
 tionis intēperie, & nocturno aëre, in quo morā con-
 traxerit, & reliqua victus ratione. Esse verò simplicē
 ophthalmiam, nulli morbo præterea cōmixtam: nam
 aliæ partes oculi sunt immunes: tempus autem mor-
 bi augmentum. Ergo seruatīs indicationibus, quas
 sæpius diximus à morbi natura sumendas, non repu-
 gnantibus alijs quę ab ægri natura, & à reliquis an-
 nexis mutuantur, sicut hic minimē repugnāt, primò
 reuulsio euacuatioq; materię fluentis querenda est,
 quæ cū sanguis ac bilis sit, ad venæ sectionē & pur-
 gationem præparabimus. Et stante totius corporis
 plenitudine, quam supponimus (quicquid alij iudi-
 cent vel faciant) ego ita partirer missiōnem sangui-

nis, vt manè, exempli gratia, basilica secaretur, vespe
 re cephalica eiusdem lateris cum loco affecto, in sin-
 gulis sectionibus, tali etate, temperatura, regione, &
 statu cœli, ac plenitudine corporis existente, qualia
 omnia supposuimus, nō minus quàm vncias decem
 extraheret. Deinde vbi altero die corpus cōgruè a-
 limēto recreassem, postridie manè exhiberē infusio-
 nem drach. ij. rhabarbari, adiectis vncijs iiij. syru-
 pi rosati solutiui: vel si corpus robustissimū, pro sy-
 rupo rosato, electuarij rosati Mesue drach. v. vel ele-
 ctuarij de psyllio drach. iiij. Et hæc quantum ad eua-
 cuationem. Loco verò, nactus tale augmēti tempus,
 in quo simul & multa iam materia defluerit, & mul-
 ta adhuc defluxura est, applicarem quæ partim reper-
 cutiunt, partim per halitum digerūt. Vbi modò ma-
 ximæ indicationes in loco affecto sumuntur, illius
 enim partis laxitas, sensibilitas, patiendi aptitudo,
 cōsensus, & vicinitas maximè pupillæ, & humorum
 oculi: hæc omnia nō sinūt nos applicare aliqua quæ
 sunt vel percutiēdo, vel resoluendo efficacia. Quæ
 enim nimis acerba astringentiaq; sunt, licet validif-
 simè percutiāt, has tamen oculi partes irritant, ex-
 asperant, maioresq; dolores excitant. Quæ verò ni-
 mis calida & acria, potenter quidem resoluūt, sed in
 inflammationē augent, & à propria oculorum tempe-
 ratura partes exterminant. In vtraq; igitur facultate
 tum percutiendi, tum resoluendi, applicari debēt
 moderata: percipientia quidem, qualis rosa, albu-
 men oui cōfractum, myrtus, rubus, radices mori, hy-
 pocistis, lentiscus: resoluentia verò, chamæmelum,
 lilia, eorumq; radices, scenum græcum, parthenium,
 malua, althæa, & eiusdem radices, atque huius gene-
 ris alia. Consulo autem, vt nihil oculo ophthalmico
 adhibeatur, nisi molle, lene, nullius visciditatis len-
 to-

torisue particeps, aut nimis corpulentum: talia enim frequenter adhærent affecto loco, & ita impinguntur, dum exiccantur, vt remoueri non possint, nisi locus exacerbetur, dolor excitetur, & inflammatio augetur. Si verò ita impacta omittantur, vt multi imperiti & sordidi medici faciunt, computrescunt, & alia fortè ratione etiam deteriore morbum exasperant & adaugent. Ab his igitur quàm maximè fieri potest, abstinere oportet. Neq; hîc ego reticebo, quod mihi familiarissimum est, & quo frequentissimè magna felicitate vti soleo. Rosas, myrtos, rubos, aut reliqua huiusmodi cum fœnugræco, chamæmelo, feminibus lini, & similibus, in aqua simplici, vel aqua etiam destillata plantaginis concoquo, atque in decocto pannos lineos tenuissimos ac mollissimos, multiplices, ad oculi magnitudinem, & còplicos, dudum maceratos, oculis admoueo, æstate quidem frigidos, hyeme calidos: obseruentq; diligenter, vt priusquàm arescant, remoueantur, nouiq; iugiter applicentur, ita sæpe repetendo, donec eorum vsus còmodo esse videatur: ex his enim, sine aliqua molestia aut grauitate corpulenti & viscidi cataplasmatibus, repercusio simul, & per halitum digero, meq; à multis periculis tutum reddo: quale est, quod de primo cocto, zuccharo admixto, retulimus suprâ: quando etiâ albumè oui cum lacte mulieris ex optimis cibis nutritæ, còfractû exquisitissimè, vt nihil viscidi, aut crassi remaneat, & in locum eodem prorsus modo applicetur, quo diximus de decocto. His ita ritè peractis, si adhuc fluxus perseveraret, vel inflammatio intenderetur, quærerem deriuationem, tum scarificatione in venis post aures apparentibus, aut hirudinibus applicatis, tum etiâ si res vrgeret, vena frontis dissecta. Postea ad interceptientia medicamenta

accederē. Quæ validè reperiuntur, fronti applican-
tur, sicut cataplasmata ex albumine oui cum aceto,
admixto bolo Armeno, terra sigillata, & eo què vul-
gò sanguinem draconis vocant. Quòd si dolor maxi-
mus adest, qui tolerari non possit, cum decocto pau-
lò suprà memorato admiscerē hyoscyamū, & papa-
ueris nigri femina, & nonnihil ex pomo mandrago-
ræ vel in eodem diluerem aliquid ex opiatis colly-
rijs, quæ ex Paulo & Galeno ab omnibus recentio-
ribus describuntur, qualia sunt ab Arabibus Siefap-
pellata. Vbi verò iam defluxus cessauerit, & corpus
caputq; satis euacuatū videbit, tantū fomenta ex so-
lo scœnogræco, & semine lini, & huiusmodi reliquis
per halitum digerentibus cōmodè poterunt appli-
cari. Quo etiam tempore balnea aquæ dulcis calida
maximè competent: quo etiam eodem tempore vini
potus vtilissimus erit, nam antea prorsus est abne-
gandus. Quantū verò ad victus rationem attinet,
contineri debet æger summa quiete in cubiculo, si
fieri poterit, vel ad aquilonē vel septentrionē verso,
iubēdo ne oculos fricet, aut aliquo modo exasperet,
nec quidpiā intueri conetur. Capite elato dormiet
super puluinari molli quidem, sed ex rosis siccis, aut
minutissima palea, aut alga confecto. A carnibus, vi-
no, ouis penitus abstineat, & nisi secus vires suæ fe-
rant, sola ptisana & mulso contenta sit, aut eo saltem
ferculo, quod panatellam vocant. Quotidie vel na-
tura, vel clystere alius ducatur, manē autem in au-
rora bibat vncias vj. decocti boraginis, endiuia, eu-
fragiæ, cum vncia iuleb rosati. Et hac arte ophthal-
mia simplex curabitur, quæ quidem per defluxum à
materia sanguinea & biliosa generatur. Hic reliquas
quoque ophthalmiæ species curaturus eram, quæ
ab alijs humoribus oriuntur, & quæ per essentiam
fiunt,

fiunt, & quæ sicca appellatur, ac præterea quæ cum alijs diuersis oculorum morbis complicata, cum ulceribus, cum chemosi, cum trachomate, cum hypophagmate, cum ruptura corneæ, cum procidentia vuae, cum suffusione, ac cæteris huiusmodi, quæ singulæ propriam diligentiam, & admirandâ quandam curam requirunt, & pace agentium dixerim, ab omnibus ferè medicis nostræ ætatis neglectam, ac penitus ignoratam: Sed nuncius interpellare me non desinit, vt me pudeat adolescentem optimum tandiu concepto itinere defraudare. Hæc igitur omnia in aliud tempus omittam, quæ si exquisitè & diligenter (vt spero) explicabuntur, in iustum volumen excrecent: quod fortasse aliquando perfectû tuo nomini dicabit, cum tu solus autor fueris, vt hoc magnum pelagus ingrediar. Interim me ama, vt facis. Valo. Patavij, xvi. Calen. Augusti, M. D. XLII.

Consult. XLVII. De ophthalmia, cum principio suffusionis, & ulcere in cornea.



Le Magnificus vir patitur quasdam dispositiones præter naturâ circa oculos, quæ quidem diligenter considerandæ sunt: quoniam partim curatu faciles sunt, partim difficiles, & nunquam curabiles videntur. Primò est materia quædam existens intra corneâ & pupillam, ratione cuius videt quasi per nebulam interpositam. Secundò, in cornea dextri oculi est album quoddam tendens versus pupillam, non attingens tamen, quod etiam in sinistro oculo videtur exoriri. Tertio, in coniunctiua manifestam habet inflammationem, vt ex rubedine apparet. Horum trium ratione consilium petit. Sed cum ijs alia quædam habet coniuncta, quod per interualla quædam patitur, non

quidem dolorem capitis, sed stricturam cum gravitate circa frontem: præterea sibilum perpetuum circa aurem sinistram. De his secundario conqueritur, & præcipue circa oculos: de his principaliter videndum, quia partim morbi sunt, partim symptomata, de quibus queritur. Nebula interposita est morbus in compositione: inflammatio est etiam morbus. Album vero in cornea, an morbus vel symptoma sit, videbimus inferius. Cōstrictio capitis, & tinnitus aurium, symptomata sunt. Sed quia neutrum curari potest sine suarum causarum cognitione, cum natura cuiusque rei per causas suas intrinsecas & extrinsecas cognoscatur, prius ergo causæ inquirendæ sunt. Cùm itaque primò caput calefactum sit, deinde dolor frontis subsequutus sit, & ultimò morbi oculorum, non dubitandum videtur, an oculi prius affecti fuerint, an verò caput occasionem dederit. Quia manifestè apparet caput occasionem dedisse, ideo eius dispositio inquirenda, & videndam quænam causæ fuerint. Id verò ex dispositione naturali, & extrinsecus occurrentibus cognoscemus. De dispositionibus intrinsecis audio quo ad caput, semper habuisse operationes capitis secundum naturam, unde non scio quomodo possit esse dispositio in capite, quæ dederit occasionem morbo. Cōsuevit quandoque expuere, & per nares emittere excrementa, unde in capite humiditas conijcitur à quibusdam. Et hoc vnum dixerim verum perpetuò esse, quòd caput humidum semper est excrementosum, & redundat per nares ac os. Sed ex hoc non sequitur oppositum, ut sit caput humidum necessariò, ubi plurima excrementa: est fallacia consequentis, quia hæc ab alijs causis fieri possunt, à vaporibus scilicet ascendētibus & replentibus caput, ut fiat seipso humidius, unde plurimum excernitur.

Idem

Idem de somno, quòd qui humidi cerebri sunt, multum dormiunt: nò tamen valet oppositum, quòd etiam sicci cerebri naturaliter, plurimùm dormiunt interdum, propter plurimos vapores humidos ascendentes, ex quibus interdum etiam subeth còtingit. Idem de colore circa faciem: frequèter rubicundus color, barba & capilli rubri, & tamen nò est calidum caput: quia signa còmunia sunt hepatis calidi, generantis sanguinem calidum, qui diffunditur per omnes partes, & nutrit eas, & præstat eundè usum cuti, capiti, & fronti, quem reliquis partibus. Vnde signa hæc communia sunt, nec fidem faciunt, nisi reliqua adiuent, quæ propriæ sunt operationes, videlicet intrinsecè, quæ nunquam fallūt. Qui ergo rectè imaginatur & memoratur, habet tenuitatem & siccitatem substantiæ cerebri: quoniam humiditas obtundit, siccitas acuit. Qui caput humidum habent, nunquã sunt ingenio perspicaci, nec memoria bona polent. Ideo dicebat Heraclitus, Spiritus siccus anima prudētissima. Is Magnus vir, quia est ingenij perspicacis, ideo est operationum intrinsecarũ cerebri optimarũ: nam optimè de omni re discurrit, quamuis literas non habeat. In extrinsecis etiam quo ad motum, agilis est. Præterea quia oculi à membranis cerebri oriuntur, & sunt signum complexionis, video oculos paruos, & non magnos secundum proportionem capitis, prorsus introrsum recedentes: vnde crediderim cerebrũ in propria natura siccius esse. Quo ad caliditatem, an calidum vel frigidum eum siccitate? Ex quo cor & hepar ponimus calidissima, sanguis feruidus & spiritus calidi generantur, propter quos præcipuè cerebrũ frigidũ generatum esse ait Aristoteles, vt temperet & refrænnet caliditatem spirituum, quòd faciant officium suum. Necesse

est igitur, vt si quando cerebrum calidum cum hepate & corde concurrat, mores feri fiant, & vt ij homines habeant mores tyránicos ob caliditatē membrorum & spirituū. Hic vir est mitissimi ingenij, nec mores tyránicos habet, ideo magis iudico quòd cerebrum cum colore faciei & barba rubra, quæ ab hepate habet, sit temperaturæ siccæ & frigidæ, & ideo magis passibile à quacunq; causa extrinseca: quia frigidum diminuit omnes actiones. Video igitur tali capite existente, quomodo faciliè catarrhum sit passus per os & nares: quia quicunq; vapores ascendentes non possunt diffilari & concoqui, faciliè vertuntur in catarrhum: & proinde faciliè passus est catarrhum, quia faciliè recipiunt tales temperaturæ, nec possunt concoquere: sicut & fenes frigidi & sicci ratione ætatis redundant catarrho propter vapores. Quòd autem plurimi vapores ascendant in hoc magifico viro, clarum est, quoniam cor & hepar calidum habet, sanguis & spiritus calidi generantur: vnde plurimi vapores ascendunt, & caput faciliè repletur, ex qua repletionē varia oriuntur symptomata. Sed aliud est non præter rationem, quòd scilicet vbi hepar calidū, ventriculus sit frigidior seipso, & non ita cōcoquit, propter deperditionem pinguedinis: vnde ratione ventriculi vapores pituitosi ascendūt. Et quòd hoc sit verū, inde patet, quòd aqua aliquando descendebat ad oculos, quæ humida erat & frigida, quæ proculdubio ex vaporibus pituitosis ortum habuit. Ex hoc ergo ascensu vaporum, existente ipsa dispositione cerebri apta, factū est vt pateretur descensum catarrhi sine aliquo grauiori affectu. Successit postea ætas, exercitium, ambulatio in Sole & sicut gutta cauat lapidem nō bis, sed sæpe cadendo: nec dici pōtest, quòd prima, vel secunda, vel vltima,
 vel

vel penultima, sed ipsa continuatio id facit: ita symptomata paulatim succedente tempore, & redduntur grauiora, & magis manifesta. Præterea delectatus est equitatione, venatione, liberrimè vixit, sine delectu ciborum, vnde aggregata materia in corpore, & attracti humores ad caput, & repleto capite, principio leuius infestari cœpit: quoniam principio calefieri tantùm cœpit caput, quem calorem neglexit. Successit grauitas circa frótem, & videbatur illi ac si quis stringeret, quia humores decumbebāt circa radices oculorum, & membranas ad basim cerebri, quæ corrugabantur, & faciebant cōstrictionem apertam ad radices oculorum. Cùm hæc quoq; non curaret, & in eadem ratione victus perseueraret, successit inflammatio, & reliqua tandem. Primò inflammatio, quæ ophthalmia dicitur: quia dominium est vaporum calidorum ascendentium, & ideo incœpit cum lachryma, quæ falsa erat. Cùm deinde ingrauesceret morbus, consuluit medicum, nam adiungebatur aliud malum in vtroq; oculo: apparebat nebula, vt omnino quasi per telam intermediã videret: quia paulatim ingrauescebat morbus, ortus ex causa sanguinea. Sed cùm sanguis quotidie magis magisque adureretur, vapores etiã magis biliosi ascendebant, causa etiã biliosa reddita est ipsius morbi, ideoordes cœperunt apparere in oculis. Successit ergo nebula, quæ suffusio est, seu descensus aquæ, vt vocat Auicenna: quia aqua descendit inter pupillã & corneam, & ita occupat, vt radij visorij vel visibiles non possint exire, vel saltem spiritus visibiles ad eum penetrare. Hęc aqua aliquando crassior, aliquãdo subtilior est, & diuersorum colorum, prout purior est vel impurior. Mihi visã est nõ esse alba nec cærulea, sed ad cineritium subobscurum colorem accedere,

quæ omnium deterrima, vix vnquam curam recipit, imò ne per manualem quidem operam remoueri potest, videtur omnium maximè detestabilis. Quod mirandum est, licet adhuc esset in principio: quia dum sex menses præterierint, suffusio incurabilis est, vt dicit Galenus, & Auicenna confirmat. Hic nunc annum integrū patitur, & eò minus curabilis est: imò Auicenna aliud dicit, quòd cum muscæ tantum per sex menses apparent, incurabilis est. Est præter hoc aliud, materia scilicet alba in oculo dextro, quæ vt plurimum subsequitur ophthalmiã, & incussit multis difficultatem in perquirendo, quid esse possit quia ipsæ tunicæ ita ambiunt oculum, vt sint continuæ, & nihil possit penetrare sine solutione continui. Hic facta penetratio est, ergo solutio continui, & fortè vlcus: perseuerante enim ophthalmia, fit arrosio. Et ita in oculo tres morbi sunt in hoc Magnifico viro, suffusio, ophthalmia, & vlcus: & sunt morbi in compositione, & solutione continui. Hæc ergo sufficiant de his tribus morbis, & qui sint curabiles, & qui non. Nam ophthalmia, & album in cornea, facile curabitur, siue ex vulnere, siue ex resudatione fit: suffusionem incurabilem credo. Si quis tamen etiam eam possibilem curatu contendat, tunc non litigare volo, dummodo constet nõ venire eum affectum essentialiter à cerebro. Quibus ita se habentibus, satis constat iam quid de prognostico sentiam. Nebulam credo difficilem curatu, præseruari tamè poterit ad plurimos annos, sicut multos noui, curatum autem scio neminem. Quibus autem remedijs curandus? Dicit Hippoc. & affirmat Galenus, sæpe ex curatione facta indicari nobis curationem veram, & naturam morbi. Medicus quidam euacuauit illum, & felicissimè successit, ita vt remota ophthalmia

mia melius videat. Ideo præterquàm quòd secundũ
 rationem euacuandum esse videmus, fiunt enim hi
 morbi propter vapores ab ambitu corporis ad caput
 ascendentes, sumpta occasione ab ipso cerebro: vn-
 de per essentiam ibi esse dicere possumus, non quòd
 ibi sit primogenio affectu, sed quia successu tempo-
 ris facta sit aliqua impressio in ipsa substantia mem-
 bri. In curatione igitur credo euacuationẽ necessa-
 riam, & erit necessarium etiam vt continua euacua-
 tione præseruetur, ne repleat. Primò ergo euacuan-
 dum est, quod repletum est: id fieri debet cum pur-
 gatione, quæ multiplex est, vt dicit Galenus de phle-
 botomia contra Erasistratum, qui disputabat nõ esse
 necessariam euacuationem, quia sola inedia euacua-
 re possimus ad quem velimus gradum. Respondet
 Galenus, verum esse, sed quia sæpe contingunt mor-
 bi, in quibus statim euacuandum, vt dum tu expe-
 ctas euacuationẽ per inediã, moreretur æger: ideo
 concludit necessariã phlebotomiã & purgationem.
 Hic morbus dat inducias maximas. Si igitur vtatur
 inedia, id est, parsimonia ciborum & delectu, iuuabi-
 tur, maximè autem in tempore purgationum: quia
 si ita vti continuò veller, extenuaretur. Purgetur
 item, & mittatur sanguis, id enim refrigerabit he-
 par & euacuabit: poterit autem fieri missio sangui-
 nis à mediana vel basilica. Si hæmorrhoides prouo-
 centur, fiet diuersio cum euacuatione, quæ futura
 est vsui. Euacuetur autem cum educëtibus bilem &
 pituitam: & ideo conueniunt pilulæ cochix, aggrega-
 tiuæ, & confectio hamech. Tandem vtatur ele-
 ctuario factò ex succo eupragiæ, rosarum, & scæni-
 culi, & cum saccharo fiat electuariũ, quo vtatur quo-
 tidie. Vtatur etiam aliquando myrobalanis chebu-
 lis, nam inhibent ascensum vaporum. Circa oculos

vtatur collyrijs nostris, quæ conseruant oculos, abstergunt sine exiccatione. Credo cauteria in cruribus quo ad causam antecedentem, conferre plurimum: sed quo ad morbum factum, non curabitur ex ijs. Erit operæpretiū localibus eum remouere, inde poterunt applicari sanguisugæ, & lauari caput cum decocto camomillæ, maluæ, & rosarū. Temporibus intermedijs laudo vsū cassiæ frequentem, adiuncta hiera. Auribus verò instillet oleū amygdalarum amararum, quod quidem non mediocriter profuturum credo. Modus autem euacuationis in periculo suffusionis, talis erit. Principio

℞. Floris cassiæ ʒ x.

Specierum hieræ simp. ʒ ij.

Cum saccharo fiat bolus. Postea

℞. Succo rosarum puri & recentis

Verbene

Fœniculi

Chelidoniæ

Maioranæ

ana ʒ v.

Purificentur succi, deinde syrupizentur cum saccharo. Deinde

℞. Huius syrupi ʒ iiij.

Aquæ euphragiæ

Fœniculi

ana ʒ ij.

Misce pro vno, & sic pro alijs, donec consumpserit totam descriptionem superscripti syrupi. Interim toto illo tempore dum accipit syrupos, consulo vt habeat beneficium alui, & si deficiet, vtatur clysteribus communibus. Sumptis syrupis, sumat infrascriptum pharmacum cum custodia:

℞. Floris cassiæ ʒ j.

Trochiscorum alhandal gr. viij.

Agarici preparati ʒ ij.

Cum

CONSULT. MEDICIN. 241

Cum saccharo fiat bolus. Laudo etiam quòd dum accipit syrupos, habeat puerum vel puellam septem vel octo annorum, quæ vel qui manè ieiuno stomacho mastiget rosam vnam recentem, & subito post masticationem similiter lambat oculos. Post hæc ad purgationem capitis ac ad localia deueniet. Habeat optimam rationem victus. Caueat lactinia, passilia, pisces. Vinum clarum, pauciferum, album, dilutum cum aqua, in qua decoctum sit sceniculum, bibat. Sumat præterea interdum de hoc electuario:

℞. Nucis muscatæ

Macis

Cinnamomi

ana ʒ j.

Garyophyllorum

ʒ ij.

Sem. anisi

ʒ iiij.

Thymi

ʒ j.

Sacchari rosati optimi ex rosis rubris

ʒ vj.

Musci

Ambra

ana gr. ij.

Cum modico iuleb fiat mixtura.

Consult. XLVIII. De apostematibus can-
crosis in naribus, pro Germano.



T possit conseruari atq; etiam præserua-
ri sua dominatio, oportet vt habeat ra-
tionem diligētissimam circa omnes res
non naturales, & primò circa aërē, cum
ferè tota causā suę ægritudinis sit vitio cerebri. quan-
tum fieri potest, cuitabit omnes excessus aëris tam
calidos quàm frigidos: vnde ventos tam australes,
quàm boreales effugiet, & moram sub sole. Quòd si
cogatur equitare vel flantib. ventis, vel sub sole, cu-
rabit omni artificio, vt muniat caput ab omni offen-
sa. Cauebit à pluuijs, & ne aliquid habeat in capite

Q

humidū, neq; capillos madidos, sed confestim si pluuijs se casu obiecerit, exiccabit caput calidis linteis. Et eadē ratione vitabit loca humida & terrena, & nocturnum aërem, vel noctu apertis fenestris dormire. Cauebit à meridiano somno. Surget diluculo, atque excretis superfluitatib. consuetis exercebit corpus, & negotia sua peraget. Post prandiū studebit quiescere, neque scribendo, aut aliquid vbi mentis labor accesserit agendo, se defatigabit. Conabitur iucundè viuere, atq; omnes animi molestias euitabit. Bis tantum in die comedet, neq; bibet intra prandiū & cœnam. Dum equitat, parcè prandebit, vberius cœnabit, & hoc erit commune quotiescunq; post prandium aliquod magnum exercitiū sit facturus. In reliquis temporibus par erit prandium & cœna, & neutrum ad satietatē. Ciborum electio talis erit. Carnes iuuenes omnes edat, præter agnorū paruorū & porcellorum: à porcis tamen siue iuuenes, siue fenes fuerint (meo consilio) omnino abstinebit. Vitulinæ, castratorum iuuenum, leporum, hœdorum, auium omnium campestrium quæ non degunt in aquis, pullo- rum omnium, conueniunt. A piscibus cuiuscunq; generis quantum fieri potest abstinebit: ab omnibus rebus frixis in sartagine, à lacticijs, præcipuè caseo antiquo, ab omnibus oleribus, præsertim syluestribus, ab ouis duris: recentia verò mollia, si in cinere calido vel in aqua decoquātur, vtiliter sumi possūt. Hæc ferè ratio victus erit illi præscripta. Quantum verò ad medicinas attinet, bis singulis annis ipsum purgandum consulo, autumno inquam & vere, neq; omnino prætermittendum, donec omnino morbus extinctus fuerit. Purgatio erit huiusmodi:

℞. Floris cassiæ $\frac{3}{4}$ j.
Specierum hieræ simpl. 3 ij.

Cum

Cum zuccharo fiat bolus. Item,

℞. Syrupi de fumo terræ simpl.

Acetosi simpl. ana ʒ j.

Aquæ endiuivæ ʒ iiij.

Misce pro vno, & sic pro quinque. Deinde verò

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Syrupi rosati solutiui ʒ iiij.

Misce, & fiat potio danda in aurora cum custodia.

Post hanc medicinā laudo, vt autumnō quidē sumat

meos syrupos de elleboro, quorum descriptio in tra-

ctatu nostro de morbo Gallico habet. Vere autem

post cassiam assumptam & vnum aut alterum syru-

pum, mittet sanguinem è vena communi dextri bra-

chij, extrahendo circa vncias quatuor sanguinis: sed

postea non sumat syrupos de elleboro. Hæc erit pur-

gatio. In temporibus verò intermedijs, vt continuò

diuertatur materia, laudo vt semel in septimana sal-

tem sumat vnam pilulā ex descriptione infra scripta:

℞. Agarici electi ʒ ij.

Aloës optimæ ʒ iiij.

Rheubarbari electi ʒ ij.

Cinnamomi

Garyophyllorum

Spicæ ana ʒ j.

Puluerizent omnia per se, deinde misceantur, postea

cum succo rosarū puro aspergantur, & dimittantur

exiccari, atq; ita iteretur septies. Postea cum melle

rosato fiat magdaleon, de quo fiant pilulæ singulis vi-

cibus numero tres pro drachma vna: ex quibus su-

mat vnam per horam ante cœnā, sine custodia, semel

in septimana. Deinde permittet sua cauteria in bra-

chij, sicut sunt, aperta: imò si adhuc his omnib. per-

actis materia descēderet, laudo vt cauteria etiā mul-

tiplicētur, & duo fiant circa pulpā & partem carno-

fam vtriusq; spatulæ. Circa verò locum nasi, ego nollem transire vnguentum infra scriptum, si quandoq; vlcus aliquod emergeret, vel perseuerarent reliquæ antiquorum. Descriptio vnguenti talis est:

℞. Tutia optimè præparata ʒ j.
 Succi solatri }
 Succi plantag. } depuratorum ana ʒ ij.
 Olei rosati completi ʒ iij.

Atteratur tutia diligentissimè in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo: postea paulatim addantur succi & oleum rosatū, semper magis ac magis confricando cum dicto pistillo per totum diem: vltimò addatur modicum ceræ liquefactæ, & fiat linimentū pro loco. In singulis septimanis fiat ablutio talis:

℞. Lixiuū dulcis quantū sufficit pro vna vice, atque in eo decoquatur agarici ʒ j.

Rosarum
 Maioranæ
 Betonica ana man. j.

Et cum hoc lixiuio, & aliquo saponè aromatico abluat caput.

*Consult. XLIX. De polypo narium ad
 cancrum accedente.*



Ictus ratione, dum purgabit, exquisitiore vtatur. Abstineat à carnibus antiquis & salitis, bubulis etiam ac porcinis, ab omni genere piscium, à caseo & lactici- nijs omnibus, à frixis in sartagine, leguminibus, & omnibus herbis. Sed comedat carnes vitulinas, hædi- nas, pulli iuuenis, far quoq; bene coctū in iure pulli & gallinarum, oua recentia forbilia, non dura, nec frixa. Vinum bibat tenue, album, pauciferum. Eua- cuabitur verò ita:

℞. Ele-

CONSULT. MEDICIN. 245

℞. Electuarij lenitiui ʒ xij. Fiant boli cum zuccharo. Deinde

℞. Syrupi de fumo terræ

De pomis simpl. ana ʒ ʒ s.
Syrupi Sabor regis ʒ j.
Aqua boraginis ʒ iij.

Misce pro vno, & sic pro alijs. Post tertiū syrupum extrahatur sanguis à basilica lateris dextri ad vncias septem, quoniam est sanguis niger, melancholicus & pituitosus valde. Absolutis quinque syrupis, hanc purgationem sumat:

℞. Cassiæ nouiter extractæ ʒ j.
Agarici præparati ʒ iij.

Misce, cum zuccharo fiat bolus. Facta missione sanguinis, nares & locū apostematis inungat ter in die tali linimento:

℞. Succij solatri purificati ʒ iij.
Olei rosati puri completi ʒ iij.

Malaxentur omnia simul in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, donec incrassescant, idque plurimo tempore fiat, vt per quatuor horas, donec linimenti spissitudinem assequatur: quo (vt dixi) inungat alarinarium intra & extra, & ipsum apostema cum penna ter in die. A purgatione accipiat ante prandium & cœnam vnciam mediam zucchari rosati. Sequenti die decoctionem nostram ex elleboro cum zucchari sufficienti quantitate syrupizatam accipiat, cum fero lactis caprini, ad refringendam eius caliditatem, quam sumat octo vicibus, & educet septies in die sine molestia materias nigras. Post horum assumptionem alumen adustū experiatur in loco affecto, vt cognoscat, si fortiora remedia perferre possit.

His non succedentibus, ad manualementem operationem veniendum iudico.

A D N O T A T I O.

Per decoctionē ex elleboro, intelligas velim syrū
pum magistralem Montani, cuius descriptionem yi-
de in tractatu de morbo Gallico, & in consilio pri-
mo, pro Serenissima Regina Poloniæ Sfortia Bona.

*Consult. L. De difficultate aperiendi mandibu-
lam ex debilitate musculorum, pro do-
mino Andrea Ponticello.*



Ymptoma frequenter afficiens hunc no-
bilem virum, quod est clausio oris vio-
lenta, & mutua dentiū insertio, cum ape-
riendi impotentia, siue sit per cōtractio-
nem musculorum temporalium, siue ob momenta-
neam resolutionem inferiorum, qui ad os mandibu-
læ ascendunt, certū est fieri à materia frigida, vel te-
nui admodum, vel sub forma vaporū, quæ ad eas par-
tes tanquam debiliores à capite violenter exprimi-
tur. Quòd materia frigida sit, indicat perseuerantia
morbi, perceptio frigiditatis, color extrinsecus, &
iuuari mirum in modum à calidis. Quòd tenuis, vel
vaporosa, quoniam (vt audio) æger manifestè per-
cipit descensum. Quòd etiam catarrho laborauerit,
quòd musculi recipiētes debiles sint, ostendit, quòd
prius in ijsdem partibus conuulsionem est passus, &
quòd tandiu perseuerauerit in hunc ipsum locū ex-
pulsio. Sed & hæc eadem perseuerantia demonstrat
nocumentum iam esse per essentiam in capite, licet
fortè inter initia potuit aliunde habere cōmunem.
Optimū pro salute consulo, vt vir nobilissimus pri-
mò non prætermittat annuas purgationes, ita vt bis
eodem anno repetantur, autumno inquam & vere:
sintq; vel pilulæ, vel potiones, vel solidiora antido-
ta, dummodo admittat talia, qualis est agaricus, co-
locyn-

locynthis, elleborus niger, pityusa, & reliqua huiusmodi. Propterea laudauerim hieram Galeni ex colocyinthide, hieram Logodij, Rufi, Archigenis: confectionem hamech, pilulas aggregatiuas, & quas cochias appellant: decoctū vel infusum agarici & rhabbari cum syrupo rosato: bolum ex casia & agarico, & plurima huius ordinis: vt tamen materia prius attenuetur concoquaturq; cum oxymelite, syrupo de betonica, de stœchade simplici, cum decoctis ex aniso, fœniculo, ammi, cymino, betonica, & huiusmodi. Et post purgationes vtatur caputpurgijs ex succo betæ, & tandē etiam cyclamini, & elaterij. Pro muscularum corroboratione illiniatur, mundo existente corpore, ex oleo hoc modo confecto:

℞. Foliorum saluæ

Menthæ

Betonicæ ana man. s.

Radicum consolidæ maioris

Calami aromatici

Enulæ ana ʒ s.

Garyophyllorum

Piperis

Cardamomi maioris

Nigellæ ana ʒ ij.

Rosarum rubearum man. j.

Contundatur radices & semina suauiter, deinde bulliant omnia secundum artem in sufficiente quantitate vini albi odoriferi, ad consumptionem duarum partium. Inde facta diligenti expressione & colatura, adde olei anethini libram vnam. Bulliant omnia simul ad consumptionem vini, & in fine decoctionis adde euphorbij optimi puluerizati ʒ ij. croci ʒ ij. & vttere. Item singulis quibusque decem diebus laudo vt deuoret duabus horis ante cœnam, pilulas

ex tribus rebus cōfectas, videlicet rhabarbaro, aloë,
& agarico, æquis portionib. cum melle rosato simul
cōfectis. Sit autem pondus pilularum pro quali-
bet vice Θ ij. Ratio victus præterquàm quòd bo-
ni & facilis succi sit, declinet etiam ad genus at-
tenuantium: vtaturque assiduè aniso, scœniculo, cinna-
momo, cōfectis cum saccharo. Quæ ita peracta si
non suffecerint, laudarem, non tamen ab ijs desisten-
do, vt accederet ad fortiora auertentia & deriuãtia,
quale esset cauteriũ, aut perforatio occipitij, in par-
te tamen inferiori circa tertiam colli vertebrã, & in
cute tantũ, vel in vtroque brachio supra cubitum
ad quatuor digitos, in parte exteriori carnosa.

*Consult. L. I. De catarrho descendente ad uertebras
colli, & impediẽte circumgyrationem capitis,
item de immunda matrice coniugis,
pro nobili Germano.*



DVO quæruntur à nobis principalia. Pri-
mò, quomodo curandus sit à nobis qui-
dam dominus in Germania, qui laborat
hoc symptomate: Habet circa scapulas
& vertebrae colli dolorem remissum, sed perseueran-
tem, qui exacerbatur sub coniunctione lunæ: cui est
annexum impedimentum in motu ad circulum, non
in inflexionẽ, sed circumquaque mouendo. De hoc
doctissimè conqueritur suis literis, & petit consi-
lium distinctum, vtrum competat curatio cum bal-
neis aut thermis seu fontibus calidis, an cum phar-
macis: quòd fortasse sit discrepãtia aliqua inter me-
dicos illius loci, vtrã magis conueniat ratio, vel ipse
etiam nobilissimus vir ab alterutra abhorreat. Secũ-
dò interrogat circa honestissimã vxorem suam, quæ
con-

conqueritur de immunditie vteri, quomodo ea sit curanda. Vt igitur sue Dominationi satisfaciam, inci-
piã à primo. Ex quo patet illud symptoma, qualitate,
quantitate, & in quo loco sit etiã, videlicet circa ver-
tebras colli, apparet iam natura symptomatis. Dolet
dolore remisso, qui exacerbatur circa cõiunctiones
lunæ, & impedit motum circulare. Hæc sympto-
mata nota sunt ex ipsã relatione, sed causæ facientes
ea latent, & tantum patet medico experto in discursu
& curationibus. Quæ igitur sunt causæ? est hic
dolor & impedimentum motus. Duo igitur læsa cir-
ca facultates sentiendi & mouendi, quæ ambo ad a-
nimalem virtutem pertinet, quæ læsa est dupliciter,
in sensu & motu. Quærendæ ergo causæ sunt, & pri-
mò intrinsecè. Quia actio animalis impeditur, & om-
nis actio animalis immediatè procedit à cerebro, er-
go nocentum erit vel in cerebro, vel in instrumen-
tis à cerebro immediatè procedentibus, qui sunt ner-
ui. Ergo hic est impedimentum vel in cerebro, vel in
neruis, vel in utroque. In quo igitur sit causa efficiens
hoc symptoma? Primò credendum quòd sit in cere-
bro. apparent cõiecturæ: audio circa cõiunctionem
lunæ maximè eum pati: & nos scimus ex Auicenna,
cùm loquitur de actionibus lunæ, quòd vim habeat
in nostris corporibus, & præcipuè de cerebro loqui-
tur, ita vt id dicat crescere & decrescere ad motum
lunæ: & omnes ægitudines cerebri exacerbantur se-
cundum lunam, vt epilepsia: & omnes defluxus à ca-
pite maximè exacerbantur circa coniunctionem lu-
næ, quæ vt Galenus I I I. de diebus criticis, maximã
facit motionem, sed intensuè tantum, non extensi-
uè, quia fit in puncto tantum. Quoniam ergo in con-
iunctione exacerbantur morbi cerebri, non leue ar-
gumentum est inde dependere defluxum eiusmodi.

Deinde ille dominusest optimi habitus, viuidi coloris, bonæ carnis: ergo bene concoquit, & bene distribuit, & primâ & secundam digestionem habet vt oportet. Nec cōsuevit laborare multis morbis, semel tantum quartanam habuit ex esu fungorum, & fortasse alia accidentia, & in renibus destillationē arenularum: ita vt si colligamus totam historiã, corpus hoc non est subiectum morbis, quia membra naturalia bene disposita habet. Quod cum ita sit, & hic morbus perseueret, nõ possumus habere aliã causam nisi cerebrũ. Est ergo in cerebro primarius affectus tanquã in membro mandante, & ex eo est origo & fomes huius fluxus. Est igitur in cerebro intemperies frigida & humida, vel natura: quoniã sæpe hoc contingit, vt hepar & cor sint bene disposita, & tamẽ cerebrum sit humidius: vel etiã propter causas extrinsecas, vt quia degit in aëre humidiorẽ, & in studio legum difficili versatur, ac negotijs publicis, vnde plurimũ laborat etiã tempore coctionis, propter quod impedimentum cōcoctionis vapores ascendunt, & ita cerebrum laborat: & propter malam hanc victus rationem non leuis est causã huius morbi. Ex his cōcluserim, temperaturam frigidiorẽ & humidiorẽ in cerebro quã oporteat, ratione cuius abundant excremẽta, quæ collecta tandem, vt Galenus refert de ophthalmia, à virtute expulsua depelluntur ad locum magis debilem & imbecillum. Iam de membro suscipiente dicendũ. Sunt autem nerui: hi siquidem sunt qui suscipiunt nocumentum, ex quo causantur prædicta symptomata. An verò illi etiam consentiant? hoc est necessarium: nam ad hoc vt fiat defluxio, non tantũ requiritur vt peccet membrũ mandans in generatione, sed requiritur etiã imbecillitas membri suscipientis. Vt enim membrum suscipiat, fit

fit vel quia alteratur ad calidū, & attrahit violenter, idq; duplici ratione, ob dolorem aut inflammationem, vel ex debilitate membri ob aliquā malam intemperie. In hoc casu nostro fit decursus à cerebro ad nervos. An modò sit violenta attractio, an imbecillitas? Credo vtrunq; còcurrere, adest enim dolor qui attrahit, & est imbecillitas. Sed ea an calida, an frigida? Nemini dubiū est esse potius frigidam, quoniam omnia attestantur super frigiditate tali, perseverantia per longum tempus: si enim materia calida foret, difflaretur, nec tandiu perseveraret. Et est dolor remissus, & omnes acuti morbi, vt primo Aphorismorū docetur, sunt vel à materia calida, vel propter nobilitatē loci. Cū igitur hic morbus chronicus sit, necessariò eius causa est intemperies frigida. Est igitur etiam intemperies loci, propter intemperiem frigidā, propter quā nec expellit excrementa, nec concoquit propriū alimentū: hæc facit vt facile recipiat, & dolor postea etiam facile attrahit, & ita accipiens dupliciter recipit. Nec est mirū, quia subinde generatur in intēperie frigida & humida, ideo perseverat & exacuitur in coniunctione lunæ, propterea quòd in cerebro præcipuè est talis passio. Doler autem propter materiam præsentem, quæ facit intemperiem, compressionem, & solutionem continui. Præterea impeditur in motu, quia ad hoc vt fiat motus, requiritur virtus illustrans nervos, & obedientia instrumenti, vt sit aptum ad recipiendam impressionem. Hic neutrum est vt oportet: nam virtus non potest illustrare, nam non potest transire ad membrum quod malam habet temperaturam, vel obstructions, sicut radius solaris non potest transire per aërem nimis nebulosum. Hic est materia: ergo virtus non potest illustrare, & inde spiritus impe-

diuntur & refrigerantur. Deinde instrumentū etiam non potest extendi, dilatari, & contrahi, quod fieri debet in motu. Hic musculus & chorda repleti sunt viscidis & crassis humoribus, vt non possint cōtrahi & dilatari. Apparet iam catalogus causarum istorum symptomatum, quorum curatio quaritur. Prima causa symptomatis quo ad considerationē, membrum mandans est cerebrum, quod habet intemperiem frigidam & humidā, aggregans humores & excrementa. Secunda, recipiens locus, propter intemperiem frigidam, & in cerebro, & in his membris. Audimus primò de studio, exercet artē quæ sola potest resoluerē caliditatē cerebri, propter cogitationes, & actiones causarum non ordinatas, quæ augēt cruditates. Regio frigida, & ætas est in 55. anno. primum autem seniū terminatur in septimo septennio, hoc est 49. anno, vt in 111. Aphor. sub finem, & inde incipit secundum seniū vsq; ad 63. qui est climactericus maior, sunt enim nouies septē, ex quo paucissimi euadūt, ita vt meritò sacrificaret Dijs maximo sacrificio Augustus Cæsar, cū eum annum euassisset, vt scribitur apud Aulum Gellium. Ita ratione ætatis frigidus est, & abundat excrementis: senectus enim perse morbus est: & vbi senes, qui natura sunt frigidiores, nanciscuntur aërem frigidissimum, nihil est perniciosius: indigēt enim calore, & inde ætate melius degūt, sicut iuuenes hyeme, vt bene docet Galenus in Aphor. illo, Ventres hyeme &c. eorū scilicet qui iuuenes & robusti sunt, non senum, qui læduntur à frigiditate. Si ergo iam verum est intemperiem esse in cerebro & in neruis, esse in senectute constitutū, in regione frigida, morbum longum & antiquū, non est facilis curatio. Et ratio est, quia non habemus virtutem & calorem, cuius nos medici ministri sumus,

ita

ita validam, vt nobis sit amica. Nam ad curationem, vt dicunt Hippocrates & Galenus, tria requiruntur, natura, ars, & fortuna. In hoc natura nobis deest, quæ sine dubio debilior est in senē. Ergo dubio procul erit difficultas in curando, non est tamen desperandum. Curatio verò an cum pharmaco, an cum balneis faciendā? Hoc quæsitū non erat proponendum: quia nemini dubium est, quin curari cum debeat, utrunque futurum sit vsui. Est enim intemperies cum materia, ergo euacuanda est materia & auertēda, & remouenda intemperies in mandante & recipiente, quæ cum sit frigida, calidis remouebit. & ita vtrūq; faciendū erit, neq; erat disiuctiuè proponenda quæstio. Euacuationē hac hyeme non tentarem: contentus sit leui fomēto, & recta victus ratione, fugiat frigus, & maneat in vaporarijs, sed nō ita calidis, vt quidam apud Germanos consueuerunt, vt excoquant & elixent carnes suas: sed vellem vt mediocriter calefierent, & minus in illis vestitus esset quàm cum exiret, ne subitō obijceretur aëri frigido. Abstineat à vino potenti: & si studet, leniter id faciat, & nō ventre pleno: minus laboret & cogitet. Vbi hæc in victu omnia peracta erunt, tunc facerem linimētum in ijs partibus, quod nec attraheret, nec repercuteret, sed calefaceret, ita vt iuuaret coctionē materię, vt possit facilius postea eradicari. Acciperem itaq; myrrham, in qua vis est cōcoquendi materiā frigidam & crassam, & astringit leuiter, vt corroboret membrum ne recipiat nouam materiam: & gummi ammoniacum, quod vtrunque dissoluatur in aceto. Et ne timeat acetum, cum Galenus exhibeat acetum in longē profundiorum neruorū vulneribus. quibus postea addatur oleum camomillinum, quod resoluit sine attractione: & oleum rosaceū, quod penetrat: & crocum.

Hęc mixta simul illiniantur. His peractis habeat aliquas pilulas leuiore, quæ non moueant materiam, quam postea non educant. Ideo fugiat cochias, sed sint ex aloë ac hiera simplici. Postea accedente tempore verno, si verum est quòd corpus redundat sanguine, non esset alienum vt fieret sanguinis missio, cum podagra etiam & alij morbi frigidi curati sint à Galeno missione sanguinis. Deinde erit euacuanda materia: proinde dabitur minoratiuū ex cassia & hiera. Syrupus de cichorio laudatur à Nicolo inuento-
re eius in ægritudinibus capitis, & epilepsia. Conuenit etiam syrupus de Iua, de stœchade, simplex & cõpositus. Facta concoctione, euacuarẽ cum omnibus, in quibus agaricus & colocynthis ingreditur, siue pilulis, siue electuarijs. Ideo cõfectio hamech, electuarium Indũ, pilulæ cochia, aggregatiua, cõfectio hieræ compositę, conueniunt. Post euacuationẽ, ad corroborationem membrorum laudo theriacam & Mithridatum, quia mirum in modum conferunt. Ad quæsitũ, an cõueniant thermæ Italicæ, an verò Germanicæ? non possum respondere, quia Germanicarum naturam nõdum perspectam habeo. Hoc vnum dixerim, balnea conuenirẽt, sed calida, & maximè sulphurea: & si quid haberent aluminis admixtum, non refuto, quia corroborarent membra. Si talia habet in Germania, vtatur illis, sed bene prouideat. Factitia profunt quidem, meo tamen iudicio non possunt conferri cum natiuis. Nam artis cõfectiones & mixturæ, non sunt ita perfectæ, vt illæ quæ à natura fiunt. Nostræ thermæ bonæ essent: quare si non reperiret idoneas in Germania, poterit in Italiam accedere. Modus administrationis fieret, vt biberet, laueret se, & vteretur stillicidio in capite & parte læsa. Ad secundum, cum proponatur mulierem matricem habe-

habere immundam, quia quæstio confusa est, nõ possum etiam nisi confuse respondere: & curatio necessario confusa erit, cum indicatio sit confusa. Est immundities: ergo abstergenda. Sed cum quibus? Non patet, quia à varijs causis pendere poterit. Mundificetur ergo, sed cum quibus? sit autẽ siue à calidis, siue à frigidis humoribus, vtatur hiera simplici, quod est præstâtissimum in istis defluxibus menstruorum alborum, Galeno etiam testificante: quia diuertit, & euacuat, & corrigit membra mandantia. Vtatur ergo illa.

Consult. LII. De sputo sanguinis.



Rimò dicimus cauendum esse ab omni esu leguminum, & ab ijs quæ pastilia vocantur, à lacticijs, à rebus frictis in sartagine, ab vuis, & pomis, & omnibus quæ sunt flatuosa: præterea à rebus acribus, vt sunt omnia aromata, allia, cepæ, & huiusmodi: item à vino dulci & à turbido, musto & crasso, ab aceto & rebus falsis, à carnibus antiquis, & ab auibus palustribus, & piscibus, præsertim qui capiuntur in paludibus & aquis cœnosis. Non comedat diuersa cibaria: neque vbi habet in stomacho cruditatem, supercœnet aut prandeat, sed abstineat, donec se concossisse percipiat. Habeat quotidie ventris beneficium: quòd si natura defecerit, adiuuet eam modò clysteri, modò vncia floris cassiæ, modò decocto maluæ, betæ, & mercurialis, cum oleo & sale: cuius amplum cyathum bibat duabus horis ante prandium, calidum: & si illi adijciat vnciam sacchari, adhuc erit præstantius. His igitur procurabit, vt aluus mollescat, modò hoc, modò illud eligendo, ne natura vni remedio assuescat. Si etiam vtatur passulis

dulcibus ante cibum, lenietur venter, & cōferent pectori. Caueat ab exercitijs vehementibus, ab equitationibus violentis, præsertim sub frigidissimo aut calidissimo aëre, aut ventis exposito. Caueat ab ira, rixa, clamore, & denique vitet omnes motus corporis & animi etiam. Coitu vtatur moderatissimè. Quantum verò ad medicamēta attinet, purgetur bis in anno, vere inquam & autumnò, poteritque purgationis modus esse talis:

℞. Floris cassiæ $\frac{3}{4}$ j s.

Cum saccharo fiat bolus, fumat hora vna ante prandium. Sequenti die bibat syrupum hunc:

℞. Syrupi de betonica

De lupulis ana $\frac{3}{4}$ j.

Decocti betonicae

Lupulorum $\frac{3}{4}$ iiij.

Misce pro vno haustu, & ita pro alijs vsque ad 1 x.

Bibitis syrupis, proximo die sequenti tale pharmacum accipiat:

℞. Rheubarbari electi 3 ij.

Spicæ gr. vij.

Irrorentur cum vino aromatico, & infundantur in aqua lactis per horas decem. Deinde, facta diligenti expressione colaturæ,

℞. Confectionis hamech 3 iiij. Misce, fiat potio danda in aurora cum custodia. Hunc modum purgandi debet seruari tam in vere quàm in autumnò, nisi quòd laudarè vt in vere venam secaret basilicā dextri lateris. Ante omnia verò pro conseruatione sanitatis laudo vt omni mense accipiat tribus horis ante prandium tale lenitiuum alui:

℞. Rheubarbari electi 3 j.

Floris cassiæ $\frac{3}{4}$ j.

Misce, fiat bolus cum zuccharo. Singulis verò diebus

bus ante prandiū & cœnam dimidiū vnciæ zucchari rosati fumatur: & hoc consulo toto anno non esse omittendum. Sumat præterea semel in septimana frustulum boli Armeni ad quantitatem parvæ fabæ, dum ingreditur lectū. Et hoc seruando euitabit, nuntu Dei, discrimina quæ negligentī possunt accidere.

Consult. LIII. De sputo sanguinis cum febre hectica, pro puero Hebræo.



Rimò sputa diligenter extinguantur pedibus in terra: nec expuat in muros aut lectum: quia periculum est à tabe alijs odorem haurientibus, præcipuè consanguineis & iuuenibus. Comedat carnes vitulinas, hædinas, pullinas, oua recentia cocta in aqua aut cinere. Vinum pauciferum sit albumq; . Caput sæpe lauetur, idq; vesperi, quando amplius nō exhibit ædes, ex lixiuo dulci, in quo decoquantur, camomilla, maiorana, & agarici drachma vna in peria ligata, & postea exprimantur. Aliquando terebinthinæ videlicet lachrymæ, aut pinguedinis abietis accipiat quantitate nucis, corroborabit caput, mundificabit pectus, & aluum molliet. Capilli incidantur, & in vertice ponantur huiusmodi pulueres, capite prius munito pectine:

℞. Laudani electi	3 ij.
Rosarum rubearum	
Sandarachæ	ana 3 iij.
Garyophyllorum	3 j.
Maioranæ	3 j. s.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & imposita capiti permittantur per diem & noctem. Quouis mane loco syrapi bibat brodiū, in quo decoquantur enulæ, marrubij, singulorum quantū suf-

ficit, & hyssopi parū. Enula pistetur antè, & post decoctionem fiat fortis expressio: quòd si gustui ingratum esset, addatur mellis aut zuchari parum. Hoc per decē dies continuabit, postea quiescet per quatuor vel sex dies, & iterum inchoabit: interdum clysteres fiant vſitati ex rebus solitis cum melle rosato, vel etiam simplici, cū rosatum rarò bene præparetur. Pruna non conueniunt illi, sed passulæ sunt conuenientissimæ. Iste etiam puluis erit optimus pro exiccatione catarrhi defluētis, post omnimodas purgationes:

℞. Sandarachæ

Masticis ana 3 ij.

Maioranæ

Stœchados

Florum maioranæ

Sem. Basiliconis ana 3 j s.

Garyophyllorum

Nuscis muscatæ

Macis ana 3 iiij.

Sandalorum omnium ana 3 j.

Puluerizentur omnia, deinde misceantur, & fiat puluis subtilis pro cōmissuris capitis, & imponatur vesp̄i capiti post peccinationē in introitu lecti, & manè etiam si volet. Pro diuersione aliqua per nares, uagat nares pinguedine anseris: attrahat item per nares succum maioranæ.

Consult. LIIII. De empyemate cum suppressione menstruorum, pro puella.



Robabile est in adolescētula in flore ætatis constituta, temperatura calida, ex omnimoda suppressione menstruorum, sanguinè regurgitasse ad partes thoracis,

eis, vt frequenter contingit etiam vsque ad venarū
 fracturas, & ibi collectū, siue fecerit inflammationem,
 & pleuritim, siue aliquam aliam abscessus speciem,
 tandem suppurasse, & erupisse ad pectoris cauita-
 tem, vt inde successerit ægritudo, quam Græci *πνίξ*
πνίξ vocant. Quæ cum soleat terminari vel erum-
 pendo extrinsecus ad cutis superficiem, vel suffocan-
 do, vel exeundo per sputum, vel deriuando ad ven-
 trem vel vrinam (quemadmodum optimè declara-
 uit Auicēna) duas ex quatuor vias inuenisse sibi hoc
 morbi genus audio in hac honestissima adolescentu-
 la: nam & sputum purulentū excernit, & præterea in
 dextro latere ad vacuitates ventris decumbit mate-
 ria, quæ etiam videtur ibi colligi, neque ad naturales
 exitus siue per aluum, siue per vrinam excerni, sed
 colligi tantum extra illos meatus, & per flatum dis-
 cuti, quemadmodum ex instructione colligere po-
 tui. Et cum ægritudo sit iam per quatuor annos con-
 firmata, & partes quæ fluxionem recipiunt, imbe-
 cilliores redditæ sint, & ita totum corpus magna ex
 parte contabuerit, foetereq; iam incipiant quæ spu-
 to excernuntur, vereor ne ægritudo tendat ad per-
 niciem, nisi & inter deploratas sit referenda: imò
 non leuis quoque suspicio est, ne deueniat ad con-
 tagium, ita vt assistentes quoque non debeant con-
 uersari circa ægotam, præsertim pueri, & affines.
 Hæc de tota natura morbi satis. Nunc de curatione
 quæ fieri potest, dicendum est. Ratio victus præci-
 pue instituenda est, vt caueat à quocunq; aëris ex-
 cessu, magis tamē à frigido, & ab humido. Venti om-
 nes sunt illi aduersi, tam boreales, quàm etiā austra-
 les. Caueat ne in loco terreno & humido dormiat,
 aut habitet: nocturnum aërem non accipiat. Ab om-
 nibus animi molestijs quàm procul recedat. Corpus

moderatè exerceat, citra lassitudinem tamen. Alui beneficiũ singulis diebus quærat, ad quam rem com-
modissimæ sunt passulæ dulces singulis diebus ante
cibum assumptæ vnciarum duarum quantitate. Vi-
no vtatur tenui, claro, bene maturo, minimè auste-
ro, aut acerbo, aut acido, neq; à cibo bibat, præcipuè
post cœnam. parcior sit cœna quàm prandiũ, vtrun-
que tamen moderatum. Caueat à leguminibus, pasti-
libus, lacticinijis, piscibus, fructibus, herbis, præci-
puè crudis, à rebus frigidis. A carne veteri caueat,
item suilla & recenti & salita: etiam ab auibus quæ
in aquis degunt, sicut anferes, & reliqua huiusmodi.
Vtatur bono pane, bene fermentato, bene cocto, o-
uis recentibus, carne vituli, vel pulli, vel auium par-
uarum, oryza, farre, spelta, & hordeo, nonnunquam
etiam panico, & milio: miliaceum tamen panem eui-
tet. Capiti quoq; maximè cõsulet: nam destillatio à
capite verus est fons incepti empyematis, quod a-
liter quatuor annis non perseuerasset. Laudauerim
igitur vt singulis septimanis lauaretur caput, & opti-
mè exiccaretur cum lixiuio, in quo decocta fuerit
maiorana, abrotonum, calamentum, folia lauri, &
pulegij: sed die quo lauatur, maximè effugiat aërem,
quantum fieri poterit. Item inspergatur toto verti-
ci capitis puluis infra-scriptus:

℞. Sandarachæ

Mastichis

Gummi helemi

Picis colophonæ

ana ʒ ij.

Storacis calamitæ

Belzoin

Myrrhæ

ana ʒ ij.

Laudani electi

ʒ iiij.

Rosarum rubearum

ʒ j.

Pulue-

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & ex hoc puluere inspergat caput singulis diebus, mane & vespere. Item etiam illi alternis diebus, vel saltem bis in septimana accipiendum tantum lachrymę pinguis abietis, vel terebinthi, quantum est nuxparua, & deglutiat cum hostia, vel aliquo tali, vt libitum fuerit. Præterea ter in mēse circa mediam noctem optimè sumet infra scriptum bolum, & vespere parcissimè cœnabit:

℞. Floris cassiæ

℥ j.

Agarici trochiscati ℥ iij. vel iiij.

Misce, & cum zuccharo fiat bolus. Item liniatur totum pectus antè & retrò linimento infra scripto:

℞. Adipis anseris

Olei amygdalarum amararum ana ℥ j.

Myrrhæ

ʒ iij.

Et cum modico ceræ fiat linimentum molle. Nihil tamen præstantius in hac curatione existimauerim, quàm vt menstrua prouocarentur: si qua enim res profutura esset, hanc maximè fore existimo. Pro ratione ergo virtutis, quam ego metiri nequeo, laudarem vt singulis mensibus circa lunæ coniunctionem tribus diebus antè & post, bis in die ante cibum abluerentur sua crura, & fouerentur, spargendo aquam vsque ad pectus, & semper trahendo inferius cum infra scripta lotionem:

℞. Pulegij

Calamenthi

Maioranæ

Artemisiæ

ana man. iij.

Cyclamini

Aristolochiæ rotundæ

ana ℥ j.

Centaureæ minoris

man. ij.

Decoquantur omnia in situlis duabus aquæ ad con-

sumptionem tertiæ partis. Post lotionem verò appli-
candæ essent cucurbitulæ ab aliqua muliere, duæ
quidem sub poplitibus, duæ verò aliæ infra coxas.
Tandem ijs nihil proficiētibus mitterem sanguinē,
si virtus toleraret, ab vtraque saphæna, & sæpius ite-
rarem, semel in mense.

*Consult. L V. De tussi ex catarrho cum sputo san-
guinis, pro adolescente Bononiensi.*



Dispositionem præter naturam huius ado-
lescentis nobilissimi, in membris esse spi-
ritualibus nemo dubitare potest: tussi e-
nim affligitur, quæ earū partiū proprium
symptoma est: & quod per tussim excernit, catar-
rhus est crassus, virulentus, subniger, ad citrinitatem
quoq; declinās, quandoq; salsus: & præter huiusmodi
catarrhū sanguinē etiam nōnunquā expuit quātitate
paucū, colore (vt audio) varium, quādoq; atrū,
quandoq; rubentē. Hactenus in promptu est sympto-
mata cōtemplanti, quæ pars corporis affecta sit. Iam
verò duo supersunt cognitu difficilia, sine quorū co-
gnitione vera curatio non potest inueniri. Primum,
vtrum vitio spiritualium vtrunq; symptoma contin-
gat, catarrhus inquā, & sputum sanguinis, an alterū
tantū, vel neutrum: an verò nihil ijs patientibus,
quantum in se est, aliunde deferatur materia atque
oriatur. Cui alia quoque annectitur difficultas: nam
vbi etiam constaret aliunde fluere istas materias, ad
hæc superesset inquirendum, cuius membri vitio id
fiat principaliter, an cerebri, an ventriculi, an hepa-
tis, an omnium, vel plurium ex istis. Altera principa-
lis difficultas est cogitare, quæ pars spiritualium po-
tissimum afficiatur, vtrum musculi, an cauitas pecto-
ris, an caro pulmonis, an bronchia, & lenes arteriæ,
&

& venæ, vel plura ex istis. Hæ sunt difficultates, sine quarum exquisitissima cognitione & distinctione, necessarium est curationem etiam cæcam, & fortunam destinatam esse, non electioni, aut arti. Ad primam igitur difficultatem, audiuius nobilissimum iuuenem à primis statim annis semper subiectum fuisse destillationibus catarrhi, ex quo arguitur vitium & affectum fuisse semper in cerebro eius, cuius ratione plurimis excrementis redundauit. Vel igitur humiditas cerebri naturalis (teste enim Galeno, secundo Artis medicinalis, cerebrum humidum, excrementosum, & destillationibus subiectum est) vel hoc fuit non naturalis humiditatis ratione, sed frigiditatis potius, quæ etiam siccitati coniuncta fuit: talis enim temperies cerebri frigida & sicca, fortè etiam magis quam humida, destillationi subijcit, non quidem ipsius temperaturæ ratione (à sicco enim quatenus siccum est, nullum prouenit excrementum humidum) sed quoniam in frigido & sicco cerebro necessario plurima excrementa colliguntur, tum quia proprium alimentum non bene conficit caliditatis defectu, tum quia non bene diffilat & discutit excrementa, tum etiam quia superfluitates reliqui corporis ad tale cerebrum propter imbecillitatem facile ascendunt, neque diffilantur. Neesse est igitur ut colligantur, condensentur, & multiplicentur, unde oritur destillatio. Cerebrum igitur huius nobilis iuuenis est frigidum potius & siccum in sua natura, quam humidum. Argumento est tum ipsius capitis forma, tum animales operationes intrinsecæ, ex quibus frigiditas & siccitas cerebri arguitur: hæ enim duæ qualitates in cerebro maximè faciunt ad prudentiam, quemadmodum erat Aristotelis & Galeni sententia, & non, ut vulgus medicorum opinatur. Stante tali dispositione, accedit postea naturalis hepatis caliditas, quæ arguitur ex

amplitudine venarū, & colore cutis subnigro, & pilis. Accedit præterea cordis caliditas, quod quidem indicatur ex præoptitudine ad iram, & ex motu articularū. Vbi autem huiusmodi temperatura calida hepatis fuerit cum frigiditate & siccitate cerebri coniuncta, maxima occasio exoritur ad destillationes & catarrhos generandos: caliditas enim hepatis sanguinem feruentem, biliosumque generat, à quo continui vapores ad cerebrum eleuantur. Ideo tertio de locis affectis Galenus dicebat, eos maximè plenitudini capitis esse subiectos, qui calidi hepatis sunt. His postea ventriculi imbecillitas accedit, & fit interger circulus, & perfectus omnino, vt nihil etiā desit iam ad omnem numerum catarrhi explendum. Imbecillitatem autem simul vetriculi esse, & insignem in hoc nobili iuvene, multa declarant, siue ista imbecillitas sit naturalis, siue acquisita: hoc enim mihi nõ constat, nisi quòd potius crediderim fuisse acquisitam: habuit enim causas extrinsecas ad ventriculi robur debilitandum validissimas, sed præcipua fuit illud assiduam studendi munus horis etiam importunissimis, quod cuilibet etiam mediocri patet, quantum possit in corrupenda concoctione, & omnibus ventriculi viribus relaxandis. Accesserunt & aliæ causæ extrinsecæ validissimæ, videlicet molesta animi accidètia, & mala victus ratio in omnibus sex rebus non naturalibus, quæ potuerunt simul & cerebri & ventriculi vires debilitare. Sed tarditas etiam cõcoquendi cibum manifestissimum signum est imbecillitatis ventriculi. His ergo omnibus ita se habètibus, non est difficilè iudicare, catarrhū in pectus descendere, per consensum scilicet aliorum membrorū: primò propter imbecillitatē cerebri aggregantis plurima excrementa ratione sui temperamenti frigidi & sicci:

ficci:secundò, propter intemperiem calidam & siccam hepatis, ratione cuius plurimi & assidui vapores ascendunt ad caput:tertiò, ratione ventriculi tardè & diminutè concoquentis, & plurimã pituitam generantis, cuius vapores perpetuò ad caput ascendunt per vias latas. Tot igitur sunt causæ destillationis. At cum potius ad pectus descēdat, quàm ad alias partes, necesse est aliquam quoq; occasionem esse in ipso pectore, cuius ratione ad illud potius, quàm ad alias partes materia destillat, inter quas potissimam iudicauerim præparationē loci: ad nullas enim partes commodius descendit materia fluens à capite, quàm ad bronchum, seu caput laryngis, quod semper apertū & præparatum est, propter necessitatem respirationis. De causa autem falsedinis catarrhi, quam interdum percipit, non est difficilè videre: facile enim falsus effici potest, propter vapores calidos à cerebro descēdentes. Quòd verò non perpetuò falsus percipiatur, sed rarò admodum, signū est maximum insignem esse intemperiem in vetriculo, cuius ratione plurima pituita generatur, quæ possit omnem acrimoniam humorum retundere: signum etiam est cerebrum immodicè frigidum, & ipsum retundere falsedinis causas: & inde est quòd quoties falsedinem percipit, sicut ipse refert, prius illi incaluerat cerebrum ab aliqua causa extrinseca. Quòd etiam catarrhus per antiquam tussim à pectore eiciatur subtilis admodum & fluens, indicat cruditatem & frigiditatē catarrhi propter causas prius commemoratas. Quòd verò quando à pectore excernitur, crassus, quandoque subviridis, quandoque etiam subniger est, indicat plurimam moram factam in pectore calido, vbi partes subtiles fuerunt resolutæ, addita etiam aliqua putredine propter nimium

calorē. De sputo autē sanguinis, quæ sit eius natura, & quæ causa, in secūda difficultate dicetur. Et hæc factis de prima difficultate à nobis proposita. Nūc accedamus ad secundā, quæ talis erat, vtrū sanguis iste per rufissim reiectus, vel à cavitare pectoris, vel à carne pulmonis, vel à brōchijs, vel lenibus arterijs, vel à venis in pulmone existētibus excernat? Plurimū enim refert, & ad prognosticū de eo quod futurū est, & ad cognitionē præcipuē curationis, vtrū sit hoc, vel illo modo. Circa hanc partē coniecturis procedere oportet: res enim cognitu difficillima est: primò tamē remouebimus ea, quæ mihi nullā difficultatem faciūt. Neq; à carne pulmonis sanguinē illū excerni verisimile est: nam neq; hoc esset sine febris habitu, neq; sine pure, neque sine fœtore anhelitus: tum enim maximum vlcus adesset, cū nulla corporis pars facilius putrescat, quàm caro pulmonis. præterea sanguis à pulmone eiectus spumæ ita est admixtus, vt minima pars spumæ parti minimæ sanguinis admixta sit. Non etiā prodire ab arterijs, satis indicat ipsa primū crassior sanguinis substātia: deinde, quoniā perpetuò sanguis exiret: nō enim posset consolidari arteria pulmonis. Si etiā à brōchijs vel asperis arterijs eijceret, propter ipsorū solutā cōtinuitatem aliquid ex ipsorū substātia prodiret simul, quod nunquā visum est. Quòd etiā nō prodierit ex ruptura vel corrosione alicuius venæ in pulmone existentis, facile inde conijciatur, quòd & maior copia sanguinis exiret à vena vel corrosa, vel disrupta. Neq; possumus dicere fuisse consolidatā, quia corrosa nunquam consolidari potest, disrupta verò intra tridū potest consolidari, postmodum autem nunquam, vt Galenus v. Methodi docet. Videmus enim in nobili iuvene sputū sanguinis etiā per aliquot mēses perseverasse.

uerasse. Relinquitur igitur, vel quòd hic sanguis re-
 sudet per poros, vel meatus ipsarū venarū, vel quòd
 certis quibusdā temporibus aperiuntur orificia, vel
 capita capillarum venarū in pulmone existentium,
 vnde excernatur sanguis plus vel minus, secūdam
 quòd magis vel minus illa orificia aperiuntur, quē-
 admodum videmus fieri exterius apertis iisdem ve-
 narum capitibus, vel in naribus, vel circa hæmor-
 rhoidas: quādoque enim multus sanguis inde exit,
 quandoq; pauca guttulæ, prout orificia illa magis
 vel minus aperiuntur. Inde est, quòd nobilis etiā iu-
 uenis quadā die excreuit tantū sanguinis, quātū est
 hemina vel scutella. Hactenus videtur hoc esse satis
 probabile, & in hac parte potius hēret malum. Posset
 tamen etiā fluere per colatoriū simul cum catarrho,
 sicut etiam frequēter contingit, vt inde postea simul
 cum eodē catarrho ex pulmone per tussim exiret: &
 huius rei augetur suspicatio ex eo quod audimus, ui-
 delicet quòd cūm eijceret illam quātitatē sanguinis
 magnā, quam paulò suprā diximus, non ex cernebat
 per profundā tussim, sed per leuē quēdā sreatū: in-
 dicabat enim à capite hūc fluxū deuenire, qui cūm
 maiores asperę arterię brōchos occuparet, & mordi
 caret, leuē illā tussim & sreatū excitauit. Sed aliud
 est etiā, quod non temerè præterire oportet, sed dili-
 gētissimè cōsiderare & examinare. Refert nobilis iu-
 uenis se abhinc sex annis minus & magis quidē per-
 petuò tamen fuisse detentū dolore quodā circa fini-
 stram mamillā, qui dolor sæpissimè tactu externus
 percipitur, dumq; in eam sinistram partem decum-
 bit, magis dolet, & premitur: at si in dextris decūbe-
 ret, sedato dolore quiescit: denique in quancunque
 partem decumbit, semper minus dolet, quàm si in si-
 nistram sese flexerit. Ait præterea dolore illum sem-

per ascendere vsq; ad humerum sinistrū. Ex his ergo omnibus secundum rationē colligimus, materiā aliquam quotidie colligi, & descēdere ad illas partes, tanquā ad debiliores: & quòd locus huius collectio nis sit, vel in musculis extrinsecis illius partis sinistrae, vel in cōcavitate quæ est inter illos partis sinistrae, vel in concavitate quæ est inter illos musculos, & membranas quæ costas ambiunt. Cur autem locus ille fuerit debilitatus, multæ potuerunt esse causæ: duas tamen non parui momēti vidimus: primā, percussione in ea parte: secundā, armorum gestationem. Quibus ita se habentibus, non est longinquū, quòd ex illis partibus ita debilitatis materia quæ ibi collecta residet, ad partes interiores pectoris, & à pulmone mediante tussi excernatur. Vbi etiam considerandū est, nunquid etiam vlcus aliquod ex lōga humoris corruptione subiectū fuerit, vnde etiā sanguis cū materia simul excernatur. Hæc ergo habeo, quæ de causis huius sputi sanguinis possum afferre, si ex principijs artis secundū rationē, & nō casu vel ad placitum loqui volo. Reliquū modò est, vt prædicti omnes affectus remoueantur. Circa quod duo principaliter erunt agenda: alterū quod circa præsentū symptomatum curationem versatur, alterum circa imminentiū præseruationem. Quantum ad præsentū curationem, triplici curabimus instrumento: primū erit ratio victus, secundū medicatio vel pharmacum, tertium auxilia per opus chirurgicū. Per rationem victus, aer primò occurrit, circa quem diligentissimè erit enitendum, vt omnes excessus deuitet: pariter enim & à frigiditate & caliditate aëris, sicut & à nimia humiditate & à siccitate læderur. Quærat igitur maximè temperatū: nam alteratio facile contingit, vel propter ventos, vel propter pluuias,

uias, vel propter vicissitudines, æstatis inquã & hyemis. Itaq; neque se ventis, neq; pluuijs, neque feruori æstatis, neq; algori hyemis exponat, sed se in optima domo contineat, vel si necessarium fuerit exire, muniat se ab aëris iniuria, caput præcipuè: vitet etiã nocturnũ aërem, & loca subterranea, & humida. Rarò abluat caput: quãdo autem lauandi tempus erit, eligantur horæ vespertinæ, ita vt postea nõ exeat domo, neq; aëri se exponat. Lixiuũ erit ex cinere salicum, vel vitium, in, quo decocta sint chamæmelũ, anethum, rosæ, & maiorana, ponatq; in ea parte lixiuij, ita præparata & excolata, qua vult lauari, tantam quantitatem agarici boni electi puri, quantum est pondus drach. duarum, dimittaturq; infundi in eo lixiuio dictum agaricũ per totam noctem in peria linea, postea manẽ ebulliat ebullitione vna, & cũ hoc lixiuio lauetur caput: erit enim vtile, & tanquã medicina, non tantũ curans, sed etiam præseruans. Exercebit corpus moderatẽ, nõ fortiter: & imprimis exercebit partes inferiores, ad quod deambulatio optima est. Hora exercitij sit matutina, reiectis excrementis cõsuetis, sitq; tribus horis ante prandiũ, ita vt perfecte quiescat ab exercitio ante cibi assumptionẽ. Optimũ etiã erit illi, si frictiones manẽ fiãt in partibus inferiorib. & in brachijs etiã, antequã surgat è lecto, & quãtò erũt lógiore, & crebrius repetitæ, tãtò melius, erit enim efficacissimũ ad roborãdum corpus, & ad diuertendam materiã. Exercitiũ autem crurum paucum admodũ debet esse. Sed inter reliqua, duos maximè affectus vitet, iracundiam, & mœstitiã. Cauebit ab assidua scriptione, vel lectione, præcipuè post cibum, maximè pronè incumbendo scripto libro. Procuret vt quotidie beneficium alui habeat: quod si quandoq; deficiat, non negligat: est enim illi ad-

modum opus, vt vtatur aliquo modo clysterum lenientium, cum aliquo ex his tribus quæ subscribentur. Primum est, accipere ius pulli tribus horis ante prandiū, in quo iure decoquantur malua, mercurialis: & facta expressione & colatura, addatur semuncia sacchari cum modico olei dulcissimi, & bene maturi, vel olei amygdalarū dulcium. Secundum remedium est, vt accipiat terebinthinā pingue & puram quantitate drach. duarum vel trium, & deglutiat: vna verò hora post ius dictum sumat terebinthinam in forma pilularum, aut in bolo, vt melius placuerit. Tertiū est, vt accipiat quinque aut septem ficus aridas pingues admodū & optimas, à quibus totam cutim detrahat, & accipiat tantū carnem mollem intrinsecā, & cum hac carne admisceat drachmas duas medullæ cartami, & fiat bolus, quem deglutiat eodē modo, & horis, sicut de duobus superioribus dictū est. Ista tria sunt optima & familiarissima remedia ad aluū emolliendā in sanis etiam sine aliquamolestia. In nocte quærat, vt septem horis tantū dormiat, octo quidem etiam, at non imperamus: sed caueat postea tanquam à peste, à somno meridiano. Bis tantū in die comedat, atque hora comedendi sit hora quinta, postquam lecto surrexerit. Spatiū inter prandium & cœnam sint horæ ix. si prandium iustum & integrū fuerit. Post cœnā non ingreditur lectum, nisi post duas horas post cibū, & interim nō sedeat, non dormiat, neq; apud ignē moretur, nec frigeat, præsertim caput: caueat à calore, calefiat autem sensim, non subito ad ignem: deambulet, vel stet: duo enim optima inde acquiret: suauius noctu dormiet, secūdo melius concoquet, & minus lædetur à catarrho. Vbicunq; autem igni approximabit ad frigoris iniurias propellēdas, sit ignis mediocris, scilicet ex lignis

lignis dulcibus, & caueat ne caput incalescat. Inter pradium & cœnam neque aliquid comedat neq; bibat, præcipuè post cœnam: nihil enim catarrho deterius quàm dormituris bibere. Potus sit vinum colore rufum, clarum, limpïdum, bene maturum, potètia mediocre, quod nullo modo sit acidum, vel acerbum: tale enim vinum aduersissimum est, tussimq; præcipuè excitat. Cibaria sint vnus tantum generis: nihil enim deterius, quàm ciborum inter se differentium varietas. Abstinebit ab omni lacticiniorum genere, ab omnibus pastilibus, ab acris esculètis, sicut sunt allia, capæ, & huius generis: ab aceto, præcipuè acri, & potenti: ab omnibus oleribus, præter betonicam, saluiam, boraginè, & lactucam, quæ etiam non tantum ratione cibi, sed ratione medicamèti cuiusdam cõceduntur. Cauebit ab omni piscium genere qui capiuntur in paludibus: raro etiam & parçe alios comedat, qui in optimis aquis degunt: & non omnis generis, sed quales sunt lucij, marchiones, themali, & huiusmodi. Cauebit tamen à frixis in sartagine non tantum piscibus, sed omnibus quæ hoc modo friguntur: ideo & oua detestabilia sunt decocta in sartagine. Abstinebit à carnibus salitis cuiuscunque generis: à carne antiqua, sicut bubula, & castratorum antiquorum: abstinebit à carne porcina tanquam à peste: ab omni auium genere quæ degunt in palustribus locis, sicut anates, & anseres. Ferula eligat, sicut far, & oryzam, hordeum, speltam, panicum: omnia ista grana sint optimè decocta in iure optimo: admisceatur aliquid lactis amygdalarum dulcium, vel seminum melonum. In æstate conuenient etiam cucurbitæ coctæ cum modico cinnamomo. Ab acetarijs cõsulo vt abstineat. Fructus patetissimè comedat, non omniũ tamè generum, sed ali-

quid peponis optimi, vel pruni genus, quòd vulgò verdaceum appellatur: ficus etiam optimè maturas, vt in tempore autumi: pyra decocta cum saccharo: si quandoq; etiam comederit pineas post cibum, aut auellanas, dummodo parcè id fiat, & bene dentibus conterat, non erit omnino aspernandũ. Carnes conueniunt vitulinæ, hœdinæ, pullorum, nonnunquam etiam columborum iuuenum & pinguium, omnium auium campestrium pinguium præter coturnices: nec vitupero carnem leporis iunioris, vel cuniculi. oua forbilia, vel in aqua decocta, non indurata, si fuerint recentia, & ante cibum exhibita, sunt optimi nutrimenti. Et hæc de tota diætâ, siue victus ratione sufficiant. Quantũ attinet ad medicamēta, quamquam Galenus in v. Therapeutices curet catarrhũ cum sputo sanguinis validissimis purgationibus, nihilo minus spectata habitudine nobilissimi iuuenis, corporis gracilitate, hepatis caliditate, & viriũ omnium imbecillitate, vnum propono, quod illi perpetuò obseruandũ erit, si me iudicem sequatur, vt nunquam inclinet animũ ad sumēda aliqua medicamenta fortia aut solutiua, in quibus ingreditur aut scammonium, vel colocynthis, vel turbit, vixq; assentiat agarico, quod quidē erit summa, & veluti apex omnium suarum medicinarũ, vltra quod excedere perniciosum habebit: imò nec agaricũ temerè sumendum: neq; solũ non præparatũ, vt infrà patebit. Laudo igitur, quòd corpus quidē suũ sæpe expurgetur: est enim hoc necessariũ, cum sit admodũ excrementosum, purgationes verò sint in omnib. qualitib. moderatę. Simplicia quidem sint, sicut cassia, rhabarbarũ, manna, medulla cnici, terebinthina, & vltimò agaricum. Cõposita sint, sicut syrupus rosaceus, vel violaceus solutiuus, electuariũ de sebesten simplex, electua-

electuarium lenitium, quandoque etiam hiera simplex de sex rebus, rarò tamen propter nimiam excitationem. Purgabitur autem purgatione magis exquisita bis in anno, vere inquam & autumno. Forma autem purgandi talis erit:

℞. Floris cassiæ ʒ x.
 Pulveris glycyrrhizæ
 Hyssopi ana ʒ ij.

Misce, & cum saccharo fiat bolus, sumendus hora ante prandium. Sequenti die incipiat fumere infra scriptos syropos:

℞. Syrupi violacei compositi Mesue
 Mellis rosacei colati ana ʒ j.
 Aquæ tussilaginis ʒ iiij.

Misce pro vno syrupo, & sic pro alijs. Post syropos sumat alterum duorum medicamentorum, prout illi felicius succedet. Alterum tale erit:

℞. Floris cassiæ ʒ x.
 Agarici præparati ʒ ij.

Misce, cum saccharo fiat bolus. Alterum:

℞. Rhabarbari electi ʒ ij.
 Spicæ gr. v.

Irrorentur vino albo aromatico, & infundantur in aqua tussilaginis per horas decem: deinde facta diligenti expressione & colatura, adde agarici optimi præparati scrup. iiij. syrupi rosacei solutivi vnc. ij. Misce, & fiat potio brevis, danda in aurora cum custodia. Istæ erunt annuæ purgationes. In medijs autem temporibus, laudo etiam quòd frequenter aliquid sumat quod leuius purget, ne scilicet extremè ta aggregentur. Purgationes autem erunt, vel quales dictæ fuerunt in capite de diætâ, vel quòd assumat cassiam simplicem hora vna ante prandium vnicæ pondere: erit enim medicina facilis, pectori &

hepatis valde conueniens, quæ euacuabit sine extra-
 ctione, à qua tâquam à pestifero veneno abhorreat
 oportet. Laudarem ego præcipuè, si suus ventricu-
 lus toleraret, & nihil aliud impediât, sicut febris, vel
 inflatio hypochondriorum, vel dolor capitis, à qui-
 bus Deus ipsum custodiat: laudo in quâ, istis non im-
 pedientibus, vt post autumnalem purgationē manè
 bibat lac asininū, asinæ quàm fieri potest sanissimæ,
 & iuuenis, neque multum distantis à partu. Bibat au-
 tem manè, non hora syrapi, vt malè consueuerunt a-
 lij, sed hora tertia diei, postquam reddiderit sua om-
 nia excrementa consueta, & bibat cyathū, vel duos,
 etiâ tres, quantū scilicet suus ventriculus bene tole-
 rare potest. Postea caueat cibū, quandiu bene cogno-
 uerit lac esse perfectè concoctū, & fame prouocetur
 ad cibū, tunc modicè prandebit: erit enim hora tar-
 da, hortor quæ vt sit contentus pro prandio iusculo
 hordeaceo cum saccharo, & postea cœnet vberius,
 seruando quæ dicta sunt in capite de diæta. Perseue-
 ret in hac lactis portione vsque ad xv. dies, magis ta-
 men aut minus, prout melius vel deterius tolerabit.
 Istud erit remedium efficacissimū ad humectandum
 corpus, & nutriendum, & reuocandam famē, quod
 etiâ vere poterit iterari, imò & æstate, & quotiescū-
 que libuerit, si modò prosperè illi successerit, vt spe-
 ro. Hæc de purgantibus quæ per os sumi debent. De
 linimentis autem, vel cerotis exterius applicandis,
 nihil scribo, in illis enim parum confido. Quantum
 verò attinet ad opus chirurgi, cum primis mihi pla-
 ceret, si catarrhus perseueret, vt facta purgatione au-
 tumnali applicarentur vesicatoria capiti, & excita-
 rentur velicæ & crustæ, quæ postea omni diligentia
 conseruarentur. Idem quæ omnino fieret circa par-
 tem sinistram pectoris, vbi percipit dolorem. vel si
 nollet

nollet vesicatoria, propter molestiam (essent enim molesta in ea parte) saltem foueat, & illinat locum modo præscripto:

℞. Hyssopi
 Beticæ
 Saluæ
 Scabiosæ
 Centaurij minoris
 Pulegij ana man. s.

Decoquantur in sufficienti quantitate aquæ, & vini albi, æqualiter cōmixtis, & cum ea decoctione calida foueatur locus cum spongijs. Facta fomentatione locus cōtinēter exiccetur, postea inungatur hoc linimento:

℞. Adipis anseris
 Gallinæ
 Butyri recentis ana ʒ v.
 Myrrhæ ʒ iij.
 Euphorbij ʒ j.

Misce, & cum modico ceræ fiat linimentum. Laudo etiam, quod pro auersione materierum ascendentiæ ad caput, post purgationē ordinariā fiant cauteria vel fontanelle in utroque crure in loco consueto, & dimittantur aperte vsque ad perfectam sanitatem. Si etiam quandoque hæmorrhoides sponte acciderent, optimū esset: ac non accedentibus, si contingeret (quod Deus auertat) sputum aliquod sanguinis, laudarem vt prouocarentur, & tenerentur aperta: esset enim optima & recta diuersio. Et hæc de chirurgia satis. Quantum verò attinet ad præseruationem, ne scilicet incidat in sputum sanguinis, & membra omnia corroborentur, nihil vnquam poterit præstantius habere, quàm frequentissimum vsum sacchari rosacei, quo vtetur mane, vespere, & qua-

cunque hora voluerit, dummodo non impediatur ho-
 ras coctionis. Magnum est etiam arcanum ad exiccand-
 um catarrhum pectoris, & ipsum pectus corrobo-
 randum, tum ad prohibendum sputum sanguinis, si
 in introitu lecti deglutiat boli armeni orientalis o-
 ptimi, quantum est granum ciceris rubei: est enim ef-
 ficacissimum in praeservatione, sicut periculosum in
 curatione. Vesicatoria ex his confici solent, ex folio
 apij nascentis in pratis, flore luteo, folijs aculeatis,
 cortice interiore bryoniae, flammula Iouis, sinapi,
 euphorbio, pyrethro, thapsia, nasturtij semine, her-
 ba quam vulgo appellant falsariam, quae nascitur in
 hortis, folio oblongo, & pingui, gustu erodente lin-
 gua, longo pipere, & similibus. Inter reliqua tamen
 efficacissimum, & perpetuae veritatis in omni tempe-
 ratura, quod nunquam fallit, sunt cantharides.

*Consult. LVI. De angustia pectoris ex catarrho
 & imbecillitate uentriculi, pro Gallo.*



Urgetur principio hunc in modum:

℞. Cassiae ʒ xij. Postea

℞. Succu Farfaræ

Betonicæ

Saluiae

Violarum

Calendulae ana ʒ vj.

Purificentur succi, deinde cum saccharo fiat syru-
 pus. Postea

℞. Huius syrupi ʒ ij.

Decocti betonicæ

Violarum

Farfaræ ʒ iij.

Misce pro vno, & sic pro alijs.

Post secundum syrupum mittatur sanguis ex vena co-
 muni

muni brachij dextri : id enim & tempus, & morbus, & cõplexio exigere videtur. Post exhaustos septem syrupos,

℞. Floris cassiæ 3 x.

Agarici præparati 3 ij. Misce cum zuccharo, fiat bolus. Post hanc purgationem vniuersalem habeat pilulas, quibus sæpe vtatur, quarum descriptio talis erit:

℞. Agarici præparati 3 iij.

Aloës succocitrini 3 iiij.

Rhabarbari electi 3 ij.

Spicæ

Garyophyllorum

Nucis mscatæ ana 3 j.

Puluerizentur, & misceantur, & cum syrupo de stœchade fiat magdaleon : de quo singulis vicibus fiant pilulæ tres, pondere vnius drachmæ, de quibus unam accipiat semel in septimana, tribus horis ante cenam. Item

℞. Lachrymæ abietis pinguis 3 ij. Inuoluantur in nebula, & deglutiat cum vino semel in septimana, tribus horis ante prandium. Item

℞. Boli Armeni orientalis ʒ j. Deglutiat bis vel ter in septimana in introitu lecti. Item

℞. Diætanni Cretensis

Pyrethri

Piperis ana 3 j.

Staphisagriæ ʒ ij.

Masticis 3 ij.

Puluerizentur omnia, & cum cera pauca fiant trochisci masticandi manè tribus horis ante prandium, masticando eos continuè per horam, & expuendo, bis aut ter in septimana. Præterea fiat inunctio narium tali linimento:

℞. Adipis anserini

Olei amygdalarum amararum ana ʒ j.

Vngat vesperi in introitu lecti partem nasi superio-
rem, quæ est inter utrunque oculum. Item

℞. Decocti betæ

Maioranæ Hordei

Betonicæ, quantum sufficit.

Cum modico zucchari. Et hoc actu calidū at-
trahatur per nares manè antequā egrediatur ædes.
Præterea tali brodio uti poterit:

℞. Enulæ campanæ ʒ j. dempto meditullio in-
teriori decoquatur in scutella brodij ad cōsumptio-
nem duarū partium. Deinde facta diligenti expres-
sione, addatur zucchari semūcia, & sumatur actu ca-
lidum ter in septimana tribus horis ante prandium.
His etiam pilulis utatur:

℞. Succu absinthij

Liquiritiæ ana ʒ j.

Misce, fiant pilulæ sex, quarum sumat vnam alternis
diebus, vna hora ante prædium. Habeat diligentem
rationem victus, & se muniat à frigidiorè aère, & à
ventis. Ad æstatis postea initium, purgato corpore
modo superius dicto, bibat aquas Apponitanas.

V A L E N T I N V S L V B L I N V S

L E C T O R I.

Non te lateat, hūc Gallum post vsum thermarum
restitutum valetudini integræ, sed accedens ad suos
peccauit in quantitate, qualitate, & ordine cibi, vn-
de in febriculam incidit, ex qua postea expirauit.

Consult. L VII. De tuberculo circa thoracis regio-
nem lateris sinistri, tam in anteriori quàm posteriori
parte, pro generoso domino à Stuberberg Germano.

Tu-



Uber vel eminentiam Illustrissimi domini circa thoracis regionem tam in posteriore quàm in anteriori parte existentem in latere sinistro, sicut esse non puto propter luxationem alicuius vertebrę vel ossis in thorace, ita credo fieri non posse sine aliquo leui motu eorundem ossium à proprio situ, quem pararthra sin Græci appellare consueuerunt. Indicio est maxima durities in parte eminente apprensens, quę à nulla scirrhi specie produci posset. Cùm ex ea verò nulla adhuc actio impediatur sensibili nocumēto, ideo præseruatione potius indiget quàm curatione. Præseruabitur igitur primò cum recta victus ratione, deinde cum medicamētis cōmodè applicatis. Quantum ad victus rationem attinet, non erit in primis contemnenda aëris dispositio: nam & maximum frigus, & ingens calor, æqualiter contrarijs rationibus nocere possunt. Vitabit etiam vsum balnearū aquarum calidarum, & diutinā moram in vaporarijs nimium calefactis. Utetur moderato exercitio, præcipuè inferiorum partiū, deambulando cōmodè: etiam brachium dextrum exercebit cum ense, aut aliquo tali instrumēto. Luctā fugiet, & omnia exercitia, in quibus violenter brachia vtraque & thorax cōcutitur: saltus etiam ab alto, & equitationes equorum robustorum, qui totum corpus valde concutiant: absque etiam clamores & cantus non modicè nocebunt: lectio tum etiam locutio temperata proderit. Nocte dormiet sublimi capite in dextrū potius latus quàm sinistrum. Cauebit à valida tussi & sternutationibus, quę si illi occurrerint, omni studio sedabit. Circa cibum & potum, primū cauebit ab omni vino dulci & crasso, vel turbido: propterea & mustum maximè cuitabit. Abstinebit à fructibus, præcipuè

vuis, & pomis, & castaneis, ab auibus palustribus, à radicibus, sicut daucis, rapis, cępis, alijs, & denique ab omnibus quæ flatum plurimum pituitamq; crassam generant. Ideo & fungos effugiet, & omnia leguminum genera. Vnico obsonio contentus erit. Bis tantum in die comedat, neque inter cœnam & prandium potabit: comotationes tanquam pestem effugiet. Quantum verò ad medicinas attinet, laudo vt bis in anno corpus purget, poteritque huiusmodi esse purgatio:

℞. Specierum hieræ simplicis 3 ij.
Floris cassiæ 3 x.

Cum zuccharo fiat bolus, fumendus in aurora, vel tribus horis ante prandium.

℞. Oxymellis squillitici
Syrupi de cichorea Nicoli ana ʒ. j.
Aquæ marrubij ʒ. iiij.

Misce pro vno, & sic pro septem. Quibus ebibitis sumat pharmacum, quod habet:

℞. Confectionis hamech 3 iiij.
Syrupi rosati solutiui 3 iiij.

Cum aqua betonica fiat potus breuis, fumendus in aurora cum custodia. Hæc purgatio & in mense Martio, & autumno post medium Septembrem singulis annis repetenda erit. Temporibus verò intermedijs vtetur zuccharo rosaceo quàm frequenter poterit, ante prandium, ad semúciam. Quòd si interim aluus astricta fuerit, lenietur còmodissimè cum terebinthina Cypria, de qua sumat tribus horis ante prandium pondus duarum drachmarum. Loco verò eminenti tam antè quam postè applicabit cerotum de betonica, vel de gumma Helemi, vel vtrunq; simul æquis portionibus confectum, sine quo neq; interdiu manebit. Optimum præterea erit, si suprà applicatum

catum cerotum fascia ligetur, quæ ita locum dolentem astringat, vt non inde tamen impediatur motus thoracis, vel augmentum, aut alimenti transitus prohibeatur. Hæc si diligenter obseruauerit, spero suam D. præseruandam esse à maiori incommodo, & illud quoq; quo nunc vexatur, esse remouendū, cum laude optimi Dei, cuius nomen sit benedictū in secula.

Consult. LVIII. De cardiaca passione, pro nobili matrona Vicentina boni habitus,

XLVII. annorum.



Vamuis casus iste tractatus sit ab Excellentissimis Doctoribus, qui & doctrina & experientia sunt illustres, temerarium que videatur absentem me velle aliquid addere his, quæ ab illis præsentibus optimè administrata fuerūt: nihilominus vt ego quoq; officio meo satisfaciam, præsertim rogatus, & illis etiam iisdem Excellentissimis Doctoribus hoc idem perentibus, dicam quid sentio. Primò igitur vt ex his quæ relata sunt, conijcere possum, hunc affectū inter cardiacos numerandum censèrem, ob calidos vapores, vel alicuius extreme qualitatis participes, ad cor ascendentes, ac deinde ob talem affectum corde imbecilliore reddito, (à quo calor naturalis generatus per totum corpus diffunditur, dans actum vitæ) subsequuta fuerit imbecillitas quoq; cōcoctionis, & præcipuè eius concoctionis quæ maiore indiget alteratione, ea scilicet quæ in ventriculo celebratur: vnde postea multiplicatis humoribus crudis, status plurimi generantur insidentes cum circa hypochondria, tum in intestinis, tum etiam in ipso vètriculo. Et sic duo tantum complicantur affectus, cardiacus scilicet, & tensio inflatioq; ventris inferioris, ex diuer-

sis quidē causis procedentes, sed ab vno fonte emanantes. Cardiaci igitur affectus causas esse crediderim intrinsecos quidem vapores, sicut dixi, tum calidos, tum extremæ qualitatis participes, occasione sumpta intrinsecus ipsorum generationis, naturali caliditate hepatis, fortè etiam renū & matricis. Accedente postea primò retentione menstruorum ante debitum tempus, in tali præcipuè temperatura: secundo suppressione quoq; copiosissima vrinæ, quæ singulis mēsis vicem menstruorum supplebat: sed non minus fortasse quoq; adiuuante feminis retentione, quod quidē semē à propria electione propter religionem retentum fuit. Quantū enim ad affectus cardiacos generandos possit retentio cū mēstruorum, tum præcipuè feminis, indicat longa serie Galenus sexto de locis affectis. His ita se habentibus, quoniam sermo mihi est cum viris doctissimis, qui meam sententiam ex paucissimis etiam verbis comprehendent, curationis caput esse crederem in hac Magnifica matrona, diuertere materias & extraneos vapores ad cor ascendentes, ad partes appositas, & (quod vix spero nos consequi posse) vt hac iam pro uectiori ætate menstrua rursus prouocaretur. In quatuor diuertētibus maximā spem ponerem. Primum diuertens esset diligentissima & exquisitissima vrinæ prouocatio: nam si toto eo tempore, in quo ea copia vrinæ vice menstruorum fungebatur, sana degebat hæc nobilissima matrona, & post illius vrinæ suppressionem statim cardiacus affectus incæpit, consentaneum rationi est, vt vrinæ copia reuocata sedetur affectus. Secundum diuersiuum præstātissimum esset, si hæmorrhides ita prouocarentur, vt singulis mensibus vicē menstruorū supplerent. Neq; timenda est illa crebra sanguisugarum applicatio, paucis enim

enim mensibus applicatis sanguisugis, hæmorrhoides spontè fluere. Tertium diuersium esset, vt crebrò per certa interualla sumeret benedictum aliquod medicamentum, ter aut quater in mense, aut etiam sæpius, quod aluum subduceret: per hoc enim diuerteretur materia, & vacuaretur per inferiora, neque propterea facultates læderentur. Atque apud me tale esset præcipuè medicamentum, quod ita haberet:

℞. Specierum hieræ simp. de sex rebus	3 ij.
Rheubarbari optimi & bene maturi	3 ij.
Garyophyllorum	
Cinnamomi	
Rosarum rubearum	
Sandalorum citrinorum ana	℥ ij.
Zedoariæ optimæ	3 j. s.
Seminis citri	3 j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, postea aspergantur succo rosarum puro, & permittantur exiccari, & hoc iteretur septies, postea cum syrupo de corticibus citri fiat magdaleon, de quo singulis vicibus fiant pilulæ tres pondere vnius drachmæ, sumendæ sine custodia horis tribus ante prandium, vel si tardioris fuerit operationis, hora ante cœnam. Erit enim remedium præstantissimum, conferens flatibus ventris, remouens cordis affectus, diuertens & euacuans humores crudos corruptos, obstructions aperiens, & membra naturalia corroborans, quod quidè manifestè patère potest ex his quæ in eius descriptione reperiuntur. Quartum & vltimum diuersiuū esset, vt his omnibus curam non perferentibus, tandem quoque cruribus cauteria in loco debito & consueto applicarentur. Quantum ad ipsius cordis corroborationem attinet, extrinsecus

quidem tali linimento vterer, quod habet,

℞. Vnguenti rosati Mesue recent.	ʒ j.
Rosarum rubearum	
Sandalorum citrinorum	ana ʒ j.
Zedoariæ	
Specierum cordialium temper.	ʒ ij.

Misce, & si opus fuerit, addito modico oleo rosato completo, fiat linimentum pro corde. Intrinsicus verò confectio vterer, quam tum ipsi cordi, tum ipsi ventriculo corroborando mirum in modum conferre semper expertus sum, quæ habet:

℞. Sem. citri	ʒ j.
Ligni aloës optimi	ʒ j. s.
Rosarum rubearum	
Sandalorum citrinorum	
Zedoariæ	ana ʒ ij.
Corallorum rub. elect.	ʒ s.
Musci	
Ambre	ana gr. ij.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & cum aqua rosata & zucharo albo fiat confectio in rotulis pondere drach. iij. sumatq; singulis diebus hora ante prandium. Hæc ergo, sermonem habens cum doctissimis viris, breuiter admonenda censui, non quidem vt Mineruam institueré, sed vt officio meo nõ deessém. Nam si vellem explicare pro intentione mea prima, quæ sint vrinæ prouocantia, item rationé victus instituere, cum ad tales medicos sermo habeatur, omnino ineptire viderer.

Consult. LIX. De febre ex intemperie membrorum naturalium, ac obstructione à materia frigida & crassa, orta, pro Francisco Casali medico Brixiano.



M in proprijs negotijs ita affecti sumus, iudiciũ quoq; proprium afficitur, vt delitescat. Sed ego propter officium fidelis amici huius Excellentis medici non deficio, & quod in eo casu facturus essem, afferro. Et primũ hoc pro fundamento apud me constituo, hunc morbum non esse vno impetu aggrediendum, ac depellendum, sed paulatim remouendum. Cũ enim in naturalium membrorũ essentia intemperiem esse iudicem, obstructionsq;, ac materiæ frigidæ & crassæ collectionẽ, patet neq; quo ad intemperiem, neq; quo ad materiã, neq; quo ad membrorum affectorum naturam, aliquid esse violenter impetuoseq; agendũ. Constituta igitur optima victus ratione, quæ in hac cura primaria esse debet, ad medicationem accedendum. In victus ratione obseruarem, vt omnia cibaria essent optimi alimenti, facilis coctionis, sed quantum fieri posset, attenuãtia: ideo vinum subtilissimum, mediocris substantiæ sit. Præponerem cibus omnibus vsũ anisorum, aut sceniculi, aut cinnamomi, ante prandium & cœnam. Panem optimẽ fermentatum constituerem cum modico salis & puluere anisorũ: reliqua cibaria nouit sua Excellentia. Et bibat parcẽ, nam desiderarẽ vt plus humoris per vrinam excerneretur, quàm biberet. Somnus sit satis prolixus, meridianus tamẽ euitetur. Manẽ satis tẽpestiuẽ surgat, & moderatẽ exerceat corpus: sitq; quammaximẽ fieri possit, læto & iucundo animo. Aluum habeat semper mollem, & pro hac re laudarem maximẽ frequentem vsũ resinæ terebinthinæ, de qua sumat Excellentia sua manẽ tribus horis ante prandium drachmam vnã aut duas: præter quàm enim quòd moderatẽ leniet aluum, etiam ad ventrem roborandũ, & obstructions viscerum ape-

riendas sine molestia conferet. Et hoc facto deinde purgationem exequeret.

℞. Specierum hieræ simp. ʒ ij.

Electuarij lenitiui ʒ j.

Cum zuccharo fiat bolus, dandus tribus horis ante prandium. Concoctio:

℞. Syrupi de absinthio

Oxymellis scillitici ana ʒ j.

Decoctionis cetrach, id est, asplenij

Cichoreæ

Agrimoniæ ʒ iiij.

Chamædryos

Misce pro vno syrupo, & sic pro alijs septem. Eua-
cuatio per pharmacum.

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Oxymellis scillitici ʒ ij.

Cum decoctione cetrach & florum cordialium fiat potio danda in aurora cum custodia. Hic meus esset curandi modus, quem si necessitas exigeret, in autumno repeterem. In medijs verò temporibus non prætereat dictum vsum naturalem. Laudarem vt resinæ terebinthinæ singulis septimanis bis sumeret drach. vnam vel duas, & rhabarbari in puluerem redacti sesquidrachmam, possetque illud assumere vel cum resina terebinthina, vel cum saccharo rosaceo, vel cum passulis Corinthijs, qui modus ei placeret magis. Quòd si etiam bis in mense sumeret Mithridatici optimi drachmam vel in pilulas redactam, vel in formam boli, admiscendo sacchari rosati drach. ij. credo illud fore ad calorem naturalem corroborandum, & ad membra principalia summopere collaturum. Iis essem nunc cõtentus: credoq; si omnia diligenter exequetur, vt mandantur, quòd Excellen-
tia sua sanitatem adipiscetur.

Con-

Consult. LX. De febre orta ex obstructione, pro puero Veneto.



Obilem hunc puerū febre affici ex obstructione, nō modò ratio, sed sensus etiam indicat, obstructione inquam membrorū naturalium. Curari ergo non poterit febris, nisi remota obstructione. Quantum igitur ad victus rationem attinet, mihi videretur quod attenuans cibus & potus esset adhibendus. Ergo vinum album, pauciferū, subtile, quale hucusq; rectissimè oblatum est, maximè conuenire existimo. Carnes hædorū, & pullorum, cum quibus coquatur anisum, vel sceniculum leuiter contusum, panno lineo inuolutum. A granis omnibus abstinerem, præterquam ab hordeo optimè discocto in iure, quo essem contētus, addito petroselino, vel betonica, vel sceniculo. Et quoniam audio paroxysmū circa vespertas inualere, laudo parcissimè cœnet, & in horis magis quietis. hoc enim in febre tollenda plurimū cōferre arbitror. Prouiderem, vt singulis diebus beneficium alui haberet, nihil enim efficacius ad febrem ex obstructione tollendam, quàm lenire aluum, & prouocare vrinam. Et cum audiui hunc puerum contineri non posse, quin se plurimū puerili more exerceat, omnino hos incongruos motus coërcendos iudico, & intra ædes proprias, quantum fieri potest, puerum cōtinendum. Quantum verò ad medicamenta attinet, cum apertio sit in hac curatione ferè principalis intentio, & quod verè aperit est amarū, ideo amarorum vsus in hoc puero maximè laudarem. Si ergo persuaderi potest, vt de absinthio syrupum matris sumat cum iure pulli, in quo petroselinum, sceniculum, & alia huiusmodi diuretica decocta fuerint,

sumopere laudo. Sed inter reliqua, quod semper certa fide à me longo experimento probatū est, laudo vt singulis diebus sumat infusionem rhabarbari in aqua endiuix: nunquam enim vidi febrem ex obstructione hoc remedio non esse sublatam, si modò pertinaciter quispiã in eius vsu perseuerauerit: quandoq; enim crassissimos humores impactos, & obstructiones, quæ ob caloris imbecillitatē facile tolli non poterant, ex rhabarbari assumptione curatas vidi. Consueui igitur accipere libram aquæ endiuix, in quam drachmam rhabarbari infundo in panno lineo inuolutam. Deinde singulis diebus vncias quatuor illius infusionis, facta aliqua expressione, accipi iubeo circa auroram: & est huiusmodi dosis puerorū: neq; desisto ab hac potione, priusquàm video omnino & febrem & obstructiones esse sublatas: auferuntur enim proculdubio, si reliqua omnia recte fiant, & curationi consentiant. Quantum verò attinet ad ea quæ exterius applicantur, stomacho quidem oleum de absinthio confectū cum puluere mastice applicarem. Lienī verò linimentum hoc modo confectum:

℞. Bdellij

Ammoniāci

ana 3 ij.

Dissoluantur in aceto scillitico. Deinde

℞. Olei amygdalarum amararum

Adipis anseris

ana ʒ j.

Ponantur omnia simul, & fiat linimentum pro splene. Hepati recte applicari potest linimentū ab Excellentiss. Doctore applicatum, vnguentum rosatum

Mesue cum sandalino permixtum. Hæc satis

esse arbitror pro hac febre tollenda,

si modò puer recte pareat, & as-

sidentes non delinquant.

CON-

Consult. LXI. De scirrho lienis, & obstructionibus cum periculo hydropis, pro doctissimo iuvene Vtinenfi, domino Ioanne Baptista Luuifino.



Onestus ille iuuenis, qui nobis sanandus in presentia proponitur, cum varijs præter naturâ affectibus vexetur, & inter se cõtrarijs, nimirum diuersis etiam auxilijs inter se pugnantibus curandus est. Vitia itaque tollenda prius recẽseamus, deinde propria auxilia, & ita seruabimus methodũ. Laborat itaq; in primis lienis obstructionibus, atq; duritie adeo, vt ferè scirrhus vocari possit: atq; hic est præcipuus morbus, de quo cõqueritur iuuenis. Etiã nõnihil obstructionũ in mesaraicis patitur. Flatu præterea in ventriculo, & toto ferè abdomine abundat, cũ insigni tẽsione atq; sonitu, si quis digitis pulset: propterea ipsi diu scrimẽ magnũ hydropis imminet, nisi iam inchoata sit tympanites cũ leui ascite. Nihilominus ipsum hydropicum appellari posse negamus, sed spleneticum potius, quoniam eo sanato, à quo tanquã à fonte cætera vitia emanant, totum corpus ad pristinam sanitatem reuertetur. Præterea & febre quadã laborat, quæ residuum esse videtur quartanæ, quæ ipsum Decembri mense proximo inuasit, & pluribus mensibus infestauit. Nunc verò quodammodo erratica esse facta videtur, cùm neque certum diem, neque horam in suis circuitibus seruet. Huiusmodi tamen febricula non est ægrotanti admodum molesta: neque enim ipse propterea decumbit, sed domo exit, & quolibet expedite admodum & promptè deambulat: nullum præterea in initio accessionis rigorem, aut extremorum frigiditatem percipit. Hi sunt præter naturam affectus, quibus iste infestatur, opemq; à medicis im-

plorat, ne in peius labatur, verum pristinam valetudinem recuperet. His cognitis à causarum narratione superfedebimus: hanc enim à nobis ægrotus non postulat, sed illico ad remediorum explicationem accedemus. Omnibus itaque per clarissimos medicos consideratis, ita illis satisfaciendum est. Primum quidem, quoniam omnia hæc vitia à materia pendent, ut à causa, ea prius remouenda est: id verò duplici instrumeto fieri potest, venæ sectione, & purgante pharmaco. Antequam ad alterum istorum veniamus, alius lenienda est, deinde materia aliquibus conuenientibus syrupis præparanda. Accipiat ergo per quartam horam partem ante prandium electuarij lenitiui, ut vocant, fescunciam, idque aut sub forma boli cum saccharo, aut cum sero caprino liquetur, aut cum aqua cichorij, & fumiterræ, & fiat potio. Sequenti die in aurora huiusmodi syrupum accipiat:

℞. Syrupi de fumoterræ simplicis

Acetosi simplicis

De cichorio simplicis ana ʒ s.

Decoctionis infra scribendæ ʒ iij.

Misce, & fiat syrupus.

℞. Agrimonij, id est, eupatorij

Cetrach, id est, asplenij

Eendiuiæ

Cichorij ana man. s.

Aquæ quantum sufficit.

Misce, & fiat decoctum secundum artem. Quater aut quinque huiusmodi syrupo accepto, mane prius aluo lenita sponte, aut clystere communi, per horam saltem ante cibum secetur vena interior cubiti sinistri, extrahaturque sanguis moderate usque ad uncias sex, aut septem, aut pro iudicio presentis medici: melius tamé fuerit si hæc sanguinis quantitas duabus vicibus non

CONSULT. MEDICIN. 291

non semel extrahatur, neque propterea à syrupo-
rum assumptione desistat, quoad in vrina cōcoctio-
nis bonæ signa videantur. Quibus visis pharmacum
summo mane assumat:

℞. Agarici præparati ℥ iiij.
Confectionis hamech sine scammonio ʒ v.
Aquæ lactis ʒ iiij.

Misce, & fiat potio. Vel ita:

℞. Diaphenæ ʒ j.
Sacchari quantum satis est.

Misce, & fiat bolus. Accepto hoc medicamento ite-
rum syrups accipiendi sunt, sed prioribus efficacio-
res, hoc pacto:

℞. Syrups de endiuia
De fumo terræ compositi
De pomis compositi ana ʒ s.
Decocti infra scribendi ʒ iiij.

℞. Fumiterræ
Stœchados
Asplenij Cichorij
Tamarisci ana manip. s.
Aquæ communis quod satis est.

Incidantur omnia crassius, & mixta, in aqua deco-
quantur. Tales syrups accipiat numero septem, vel
etiam plures. Postea hanc medicinam sumere debet:

℞. Confectionis hamech compositæ ʒ iiij.
Electuarij lenitiui ʒ ij.

Misce, & cum saccharo fiat bolus. Hoc medicamen-
to assumpto per duos dies aut tres quiescat, iterûq;
ad novos syrups accipiendos adiungat se: cum e-
nim morbus à materia pendeat cōtumaci ac rebelli,
non vnica præparatione & purgatione educi potest,
sed pluribus eget. Itaq; huiusmodi syrups, sequenti-
bus diebus etiam vtetur.

℞. Syrupi acetosi de quinq; radicibus ʒ j.

De epithymo ʒ s.

Decoctionis infraſcribendæ ʒ iij.

℞. Corticum radicem capparum

Polypodij

Dulcis radicis

Paſſularum enucleatarum ana ʒ s.

Aſari

Fumiterræ

Filicis

Tamarifci

Aſplenij

Betonicæ

Agrimoniæ

Cichorij ana manip. s.

Corticum radicem ellebori nigri

Florum cordialium ana ʒ j s.

Seri caprini quantum ſufficit.

Miſce, fiat decoctio ſecundum artem. Cùm huiusmo-
di ſyrupos acceperit ſeptē aut octo, poſtea illicò ta-
lem medicinam accipiat:

℞. Rheubarbari optimi ʒ j s.

Spicæ ʒ j.

Vini aromatici parum

Decocti proximè ſcripti quantum ſufficit.

Fiat infuſio per diem naturalem: deinde facta ex-
preſſione,

℞. Confectionis hamech

Electuarij Indi ana ʒ ij.

Syrupi roſacei ſolutiui ʒ j s.

Miſce, & fiat potio. Vel loco huius potionis accipiat
pilularum cochiarum cum elleboro ſcrup. quatuor,
aut pilularū Indarū, de fumoterræ, ana ſcrup. duos,
& reſormentur cum aqua fumiterræ, & fiant pilulæ

quinque. Deinde cum ita exquisitè corpus euacua-
tum fuerit, accedendū est ad alia remedia, quæ cum
iecoris, tum lienis obstructions valenter expediāt.
Itaq; semper in iusculis suis decocta sit radix petro-
felini, & sceniculi cum folijs, & parū asplenij. Et quo-
niam morbus longus est, neque vnico remedio diu-
tius vtendum, quia ei natura assuefacta non patitur,
ideo modò vtatur hoc decocto:

℞. Radicū arnoglossi, id est, plantaginis sicca
Corticis lauri
Chamædryos
Lapathi sylvestris
Foliorum hederæ ana man. j.
Aquæ lactis quantum sufficit.

Misce, fiat decoctio vsque ad cōsumptionem tertiæ
partis, & in fine parum aceti, quantum sit potabile,
admisceatur: & ex hoc decocto summo mane suman-
tur vnciæ quinque. Aut hoc:

℞. Scordij
Foliorum salicis
Radicum eryngij
Anagallidis cæruleū habētis florē, ana man. s.
Filicis
Chamæmeli
Agrimonij ana man. j.
Aquæ lactis quantum sufficit.

Fiat decoctio vt suprâ. Postea vbi hoc vsus fuerit per
aliquot dies, inde vtatur quibusdā remedijs sub for-
ma pilularum, aut pulueris, & pastillorū, ad referan-
das occlusiones hepatis, & lienis. Ad iecoris autem
obstructions hoc sit remedium:

℞. Radicum chamæpityos
Radicum cichorij ana ʒ iiij.
Conterito, & melle cocto excipito, & ad auellanæ

magnitudinē præbeto, & aquæ calidæ ʒ. iiii. ab eius assumptione forbendas dato. Item lupini iecoris ficci drachmā in puluerem redacti, cum vncia fyrupi de cichorea propinato. Pro lienis obstructionibus:

℞. Scillæ affatæ

Corticum radicum capparum ana ʒ j.

Contunde, & præbe ex posca drachmam. Aliud valde laudatum. Accipe feminum viticis semunciam, agui casti contusi & cribrati per subtilissimum cribellum drachmas tres, atque ex posca præbeto bibendum: atq; ita alternatim in aurora exhibebis modò spleneticum, modò iecorarium medicamen: sed multò frequentius spleneticum, longè enim magis in hoc iuvene splen, quàm iecur ægrotat. Item vltimò possunt aliqui pastilli ad patefaciendas viscerum oclusiones exhiberi, vt exemplum sit: Accipe pastillorum de rhabarbaro, aut de rosis, aut de eupatorio drachmam, redigatur in puluerem, & cum vncia decocti cichorij & asplenij in aurora exhibeātur ista eodem modo. Post pastillos autem exhiberi potest, aut drachma confectiois dialachæ, aut diacurcumæ, aut Mithridatici, aut theriacæ, si bona haberetur. Atque ita semper variando, modò vnum, modò aliud ex antedictis remedijs dandum est, neque diutius in vno insistendū. Quòd si caliditas febrilis interdū cogat, aliquantulum de speciebus diarhodon admiscendum est. Præterea exterius fomenta spleni adhibenda sunt, vt ex decocto genistæ, filicis, asplenij, chamæmeli, feminum lini, anisorum, dauci, cumini, & spongia ex hoc decocto madens applicanda, vel vesicula bubula huius decocti plena superponenda: deinde cum oleo de capparibus, & amygdalino, & nardino inungendum est. Sed hæc olea debilia sunt, ideo ad cerota & vnguenta magis mol-

lien-

mollientia & digerentia veniendum est, quale est cerotum de meliloto, aut Aesypi cerotum: oportet enim simul mollire & digerere: ideo cerotum diachilon mollitum cum oleo irino optimum est, aut cataplasma ex radice cyclamini, hoc modo:

℞. Radicum cyclamini lib. j. s.

Caricarum pinguium lib. s.

Aceti quantum sufficit.

Coquantur, & fiat cataplasma optimum. Item steruus gallinarum, siccum, contusum, cribratum, in oxyelite concoquito, & confidenter imposito. Item optimè facit farina hordei, lupinorum, fabarum que ex oxycrato imposita: præterea pyrites, aut molaris, aut gagates longitudine octo digitorum, latitudine sex digitorum, non multæ crassitudinis, ignescat, acetumque aspergatur, panniculoque in aceto calido madefacto inuoluatur, & loco imponatur affecto, ibique quandiu calidus est, permittatur. Emplastrum quoque ex hoc lapide à Galeno fit diapyrites vocatum, quod mirum est in scirrho discutiendo. Veruntamen totum ferè in ratione victus situm esse existimandum est, siquidem omnis diuturnus morbus maximam ex conuenienti victus ratione opem sentit. Quapropter aer in primis eligatur, qui neque in calore excellat, neque in frigore, & ad siccum declinet. Caueat itaque à pluuijs, nebulis, & ventis australibus, neque incolat, si fieri possit, loca palustria, lacustria, aut aquis vltis tum currentibus, tum stagnantibus irrigua, sed stagnantes longè sunt pessimæ: præterea loca olidis putridisque vaporibus referta euitentur: sed aer sit purus, apertus, & leui aura boreali perflatus. Exercitium corporis, cum febre caret, sit ante cibum, exonerata prius aluo, & id quidem moderatum, ingrediendo, aut requirendo aliquid, & alijs gestationi-

bus vtendo. Quod si non possit, fricetur eius dorsum, crura & brachia deorsum versus cum panno lineo tepido, non valde molli, neque aspero, vsque ad cutis ruborem. A cibo quiescat omnino per tres aut quatuor horas. Loquatur ante cibū alta voce, & vociferetur. Noctu dormiat, quantum ad concoctionem satis est: meridianum somnum, nisi assuetus sit, caueat. Quotidie ante cibū aluū exoneret aut sponte, aut glandula simplici ex melle cocto, aut additā drachma specierum hieræ, aut per clystere ex decocti chamæmeli, betæ, fursurum, mercurialis, maluæ, libra, olei anethini vnc. tribus, sacchari rubei vncijs duabus. Animo sit semper læto, nihil triste cogitet, semper se conualiturū esse confidat: solitudinem fugiat, musicis delectetur, semper amicorum & hominum iucūdisimorum consuetudine vtatur. Cibi vero & potiones, in quibus maximè victus ratio consistit, sint attenuatorij, incisoriij, abstersoriij, & acrium rerum. Comestiones per interualla interdum proderūt, vt sinapis, piperis, sacchari, & huiusmodi, precipuè cū febris sedata fuerit. modus autē cibi est, ne satietur. Potus vini sit paucissimus, quātum satis erit ad sedandam sitim. Panis itaq; vt ab eo incipiamus, ex polline triticeę farinae conficiatur cum mediocri sale, & bene fermentetur: præterea, vt flatus, quibus hic ægrotus abundat, discutiantur, conficiendo pani cōmiscetur semen anisforum, fœniculi, feseleos, cumini, & optimè coquatur. Carnes sint hædi aut veruecis iuuenis, aut vituli lactentis, pulloꝝ gallinaceoꝝ, aut columbinorū in turribus degentium, auicularum quæ ex arboribus, montibus, aut campis victum quaritant. Vitetur aues in aquis degentes, & carniuoræ: oua etiam sorbilia profunt. Etiam omnino hæc carnes elixentur, & in iusculis

coquantur radices fœniculi aut petroselini cum folijs, aut vtraq; & condiatur cum cinnamomo omnia cibaria, & aceto. Pisces non sunt boni, nisi saxatiles. Oleribus interdum elixis vesci poterit, vt beta, mala, aut quod cerfoliū vocant, mentha, petroselinum, & reliqua huiusmodi. Abstineat ab omnibus leguminibus, à brassica, rapis, cucurbitis, cucumerib. cum lacte, & omnibus lacte confectis, & lacticinijs. In acetarijs frequenter vtatur capparibus ex oxymelite, aut folijs buglossæ & boraginis coctis, & endiuia, intubi, aut cichorij. Fructibus vti potest, vis pafsis antecibum & post, interdum amygdalis. nuclei pinei stomachū lædūt. A pomis, nucibus, castaneis, vis, persicis, melonibus, & breuiter ab alijs omnibus fructibus, præter ficus, & eis consimiles, abstinere melius fuerit, donec huiusmodi febris & obstructions penitus sublatae fuerint. Potu vtatur vino albo, tenui, non acerbo, cum quo permisceatur aqua, in qua ferrum candens igne saepe sit extinctum. Optimū erit si omnia ipsius cibaria in tali aqua decoquantur. Præterea fiat vascula ex ligno tamarisci, in quibus vinū, quo vti debet, contineatur. His omnibus ita congruenter institutis, & corpore diligentissimè, vt superius comprehensum est, purgato, si febris abolita fuerit, tunc credimus vltimum & præsentissimū remediū fore, si aquas Apponenses potauerit, quarum experimenta multa visa sunt in aperiendis viscerum obstructionsibus, & omnibus naturalibus membris roborandis. Atq; ita, Deo annuente, huic nobilissimo iuueni pristinū corporis robur & valetudinē restitutum iri speramus, atq; indubitanter confidimus.

Consult. LXII. De morbo Gallico, pro quodam nobili Germano.



In tam ampla materia & congerie symptomatum vellem inuenire rationem, esse valde molestus. Sed via hæc erit comoda, ut explicem naturalem temperiem eius, & præternaturalem acquisitam, quia ex ijs rectè explicatis reliqua clara erunt. Quod ad naturalem temperaturam pertinet, illud ponendum est, quod nisi constaret ex ægri tudinibus, quibus antea affectus fuit, cholericis quidem, & nisi corporis habitudo esset, nullam profus suæ temperaturæ naturalis haberemus cognitionem: quoniam ex signis à Galeno traditis, in ipsius cognitionem non possumus adduci, maximè cum animi mores nobis non sunt noti. Sed quod sit calidæ & siccæ temperaturæ, omnes illæ ægri tudines, quibus solitus est affligi & infestari antequam incideret in morbum Gallicum, possunt attestari. Et primò, ut ex scripto eius apparet, circa x i. annum capitis dolorem habuit: primò acutissimum, deinde crisi facta per fluxum ab auribus utrisque; cum sanguine, in tertia vel in quarta die liberatus est. Iudicium manifestum tum ex acrimonia doloris, tum ex velocitate motus, calidam fuisse dispositionem. Laborauit etiam scabie, quæ prouenit ab humoribus adustis, & à pituita salsa, quæ attestatur caliditatem hepatis. Præterea tertianas habuit, & cum vexaretur catarrho, à xv. vsque ad xvi i. annum, tenuis fuit admodum, acutus, mordax: ita quod omnes ægri tudines quas passus est antè, attestantur super dominio humorum calidorum. Ideo hæc signa videntur efficacia, ut credamus esse calidæ & siccæ temperaturæ, quia illæ ægri tudines nõ solum signa sunt naturalis temperaturæ, imò indicant habuisse omnes causas, quod naturalis eius temperies fuerit labefactata, quia ex longo catarrho naturalis temperatura

tura destructa fuit, quia perseverante catarrho continue, fieri non potuit quin labefactaretur. Quo catarrho perseverante, in x x i i i. ætatis suæ anno concubuit cum muliere infecta morbo Gallico, à quo tempore cœpit conqueri de magnis & multis symptomatibus, quæ secuta sunt, de quibus loquemur. Sed primò oportet scire quòd ille Magnus vir incidit ex tali cōcubitu in morbum Gallicū, ita quòd contagium fuit complicatum cum tali naturali temperatura, quam inuenit calidam & siccā, ex qua complicatione fecerūt vnum tertium, ex quo postea tot symptomata secuta sunt. Sed non possumus scire illud tertium nisi extrema habeamus. Sunt autem extrema, primò temperatura, quæ excedit per calidum & siccum. Secundum extremum est contagium morbi Gallici. Hic dubitat multi, quisnā morbus sit morbus Gallicus, an epidemicus dici possit, nec ne. Ego credo quòd nō possit dici morbus epidemicus, quia epidemici habent causas vniuersales (vt inquit Galenus in primo Epid.) vel aërem, vel cibum & potum, sicut in libro de cibis boni & mali succi asserit Galenus, de eo qui propter qualitatem annonæ tempore suo accidit: ita quòd talis à causa vniuersali incipit, & desinit desinentibus causis vniuersalibus, siue in aëre, siue in aquis & cibis sit cōstituenda causa eius. Iam multi anni præterierūt, ex quo incœpit hæc infectio, credo quòd deberet iam desinere. Neque valet quòd per cōtagium perseverat, quia cessantibus causis, cessant putredines: vt in febris pestilentialibus quæ per contagiū oriuntur, cessante influxu, & vniuersali causa, cessat cōtagiū, & abolentur febres illæ. Præterea maiores nostri ex historia obseruarūt, nullum eo tempore fuisse correptū, nisi per contagium: & causam habuit particulare: scimus enim quòd eo

tempore, quo bellum à rege Gallorum apud Neapolim gerebatur, plurimi erant Hispani, qui à Calicut deuenerunt, in quibus regionibus plurima erat infectio, qui concubuerunt cum meretricibus illis, & ex cõcubitu illo infecta sunt meretrices, & tandem infectio ad nos deuenit, quia ibi aderat milites cuiuscunque nationis. Et ita constat in historijs, quòd habuit originem, & tale principiũ, per contactum particularem, qui morbus peculiaris est in illis regionibus, & non curatur nisi ligno illo, quod ad nos delatum fuit. Verũ num sit morbus iste collocandus in genere morbi qui sit in mala compositione, vel solutione continui, & in quo genere sit collocandus, est maxima difficultas. Et fortasse si vellem immorari, ostenderem opinionem meam non longè à veritate esse: nec credo posse appellari morbum, nisi occupauerit hepar, & fecerit malam temperaturam. Cuius signum est, quia antequàm contagiũ deueniat ad hepar, vlcuscula curantur omnia, & non redeunt: si verò ad hepar peuenerit, non modò bubones apparèt, sed caput occupat, & omnia membra inuadit: tristantur homines, decoloratur, & apparet tunc quòd causa est in membro principali, quia totum afficitur corpus. Ideo non est solutio continui, sicut quidam existimarũt, sed hepatis intemperies. Certum est quòd debemus cõspicere & videre, si in hepate est quis affectus, præter naturã existens in hepate. Certè licet videamus quòd in omni tẽperatura efficiat crustas, pustulas, vlcera, tamè symptomata semper eadẽ videntur, siue sanguis, siue bilis, siue pituita sit, quod adustionẽ habet, & nunquã separari hoc symptoma ab abscessib. à pustulis, à crustis, & ab vlceribus. Et quia hoc vniuersale videtur, credendum est quòd sit temperatura propria causans hæc symptomata. Et con-

git in hoc, quod in alijs contagiosis: vt si quis habes lepram vel scabiem, alium inficiat scabie vel lepra, licet habeat hoc perpetuū quod sit pituita, tamen secundum diuersas temperaturas diuersę fiūt scabies, in vno fit pinguis & humida, in alio sicca, & ita vnum commune habebit. Quo autem ad naturam vlcerum, erunt diuersa pro ratione temperaturarum. Hoc vnum obseruandum est, quod contagium hoc à temperatura pendet, quæ nec calida, nec frigida, nec humida, nec sicca est: sed est qualitas quædam innominata, quæ dum contingit hepar, facit sanguinem talis naturæ, vt semper declinet ad adustionem, fortè quia principium suum prouenit à nigris hominibus illis & adustis, quia proprius est morbus illorum hominum circa torridam zonam habitantium: fortè propter naturam illius adustionis dependet ab illo principio. Siue quia talis vel talis temperies sit, & innominata, habet hoc, quod contagium primò inficit hepar, ideo facies decolor est, sequitur & tristitia animi propter humorem adustum generatum, & si abscessus contingunt, duri sunt in primis diebus: & ita semper adustio est in tali morbo. Ista ergo mala qualitas facit semper adustionem, & est causa, vt quęcunque materia sit, semper habeat adustionem. Hoc fundamēto posito, & quod à principio natiuitatis habuerit temperaturam calidam & siccam, abundauit humorum adustione, vt ex scabie apparuit, quæ fuit propria ægritudo: ex catarrho mordicante & erodente superuenit contagium illi temperaturæ, cum qua conuenientiam habebat: ideo facillimè impressionem fecit, & maximam, quia agens & patiens erant disposita. Hæc fuit causa, quare secuta fuerunt tot symptomata: apparuerunt pustulæ, post pustulas apparuit humor distillans per virgā, dolor

in lúbo dextro, vt dixit ipse, sed fuit in rene dextro, quia subsecutæ fuerunt vrinę arenosę, attestantes in renibus affectionē & calorem esse. Habuit maculas primò siccas, secundò humidās in vola manuū, & circa cubitum. Habuit dolorē capitis intensissimum in posteriori parte capitis, & ex medela medici ex diuersis curationibus in omni parte capitis tam anteriori, quàm posteriori habuit, & semper abscessus illi duri permanent curatu difficiles. Apparuit etiam in naribus non solum caro exerta, sed vlcera, quæ omnia fuerūt cum erosione, ita quòd post contagium omnia secuta sunt: & adustiones habuit tum à temperatura, tum à contagio: & in hac re immorandū non est, quia clara est. Hoc fundamento posito, quærit à nobis iste Magnificus vir tria. primò, vtrū possit curari sine exhibitione ligni, & vnctionibus, & suffumigijs: secundò, an possit curari sine deturpatione faciei: tertio, vt scribamus quid consulimus. Circa primum, oportet primò videre vtrū possit curari, secundò cum quibus. Credo multa esse consideranda quoad morbū, posset quidē curari, si nō haberemus alias indicationes, nisi eas, quæ à morbo sumunt Gallico, etiā si inueteratus esset: imò vidi ego quòd quanto vetustior fuit cum abscessibus & pustulis & vlceribus, curatus est cum ijs quæ dicemus. Sed nos habemus plura cōsideranda, quę faciūt difficultatē. Habemus primò, & ego obseruauī experiētia, postea ratione, quod nihil deterius est istis sic affectis, quàm adhibere, siue interius siue exterius, sub forma vnguēti vel suffumigij, id quod argentū viuū habet, quia ex tali applicatione homines secundū membra principalia semper fuerūt affecti. Et testor Deū, aderatq; Excellentiss. Fracastorius, ex inunctione Mercurij statim quendā incidisse in epilepsiā, & vix potuit curari ab

ea, & nullam causam habuit, nisi eam occasionē. Post
quidem assumptionem argenti viui, ita decoloran-
tur, vt nunquā possint redire ad pristinum colorem.
Et ego primò quando vidi hominem in facie, inter-
rogavi an fuerit illitus aliquo vnguēto, in quo esset
argentum viuū, quia tot vidi, vt experientia doctus
sim. Sed præter experientiam habemus rationem, &
prætermittamus considerationē Auic. quia fuit pri-
mus qui voluit rem distinctè intueri, reprobrauit ip-
sum: Græci omnes id ipsum non cognouerunt, nisi
quòd venenū est, & nihil aliud de eo dixit Galenus,
sed refugit ipsum tanquam venenum. Et quia Auic.
voluit experiri argentum viuum, & similiter Arabes
alij, quia fuerunt maximi Alchimistæ, dixit omnia a-
pertè eius incommoda, & quomodo in paralyfim, in
stuporem, & in frigiditas incidere facit ægrotudines.
Et primò videmus pati hepar, & incidere in frigidā
dispositionē, ex qua sequitur decoloratio totius cor-
poris: præterea ægrotudines ex consensu neruorum
sequuntur, paralyfis, tremor corporis, stupores, & to-
tius corporis refrigerationē facit, quia calorem na-
turalem, & spiritus refrigerat. Ideo abstinendum ab
eo est, tanquam apertè lædente. Et præter frigidita-
tem & humiditatē maximam, quam habet, (licet ali-
qui dixerūt esse calidum in quarto, quia de calcina-
to loquuti sunt) & præter malas cōditiones omnes,
quas habet, vnū habet detestandum, quia facit ope-
rationem suam contra methodum, & contra ratio-
nem: est enim apud medicos vnum axioma, vt cum
euacuamus, ne trahamus humores ad locū nobilem.
At argentū viuum quicquid in iuncturis est, ad pul-
monem trahit, & expuitur: & sequitur fœtor, corru-
ptiones dentium, gingiuarū, vlcera maligna in ore.
Et ideo vir iste non est mirum si habuit vlcus in pa-

lato post suffumigium, & post argentum viuum exterius sumptum. Credo ego quòd ex hoc, & non ex alio, secuta fuerit decoloratio, hæc mæstitia, & vlcera in palato. Et mirum est, cur non omnes ex plurima materia, quæ defluit ad pulmones, incidant in vlcera pulmonis. Et si euadunt multi, hoc est ratione fortis naturæ, & quia duri pulmonis sunt: nullus tamen euasit, quin habuerit vel gingiuas corrosas, vel dentes, vel aliquod deterrimū. Et credo quòd sequatur sanitas ex tali illitione, sicut in pestilentialibus accidit qui in nauī curatur à calido vino epoto, qui postquam cooperti sunt pannis, sudant copiose, & ex tali violentia naturæ facta, quæ fortis & valida est, ab errore ducti sanitati restituuntur. Concludo ergo, quòd, saluo semper meliori iudicio, argentū viuum siue per linimentum, siue per suffumigium, non probo, siue minerale, siue artificiale fuerit, quia omnes, qui de eo scripserunt, cognouerunt tam minerale, quam artificiale, venenum esse: ideo credere ab eius vsu abstinendū esse. Si diceretis, fuit curatus ab eo, à decocto autem ligni deterius se habuit, imò ex decocto tali dolor auctus fuit, ex suffumigio autem melius habuit. Istud non est mirum: quia si verū est suppositū à me factum, quòd vir iste tēperaturā habuit à principio natiuitatis calidā & siccā adustam, & cōtagiū habere adustionē sibi perpetuò annexā, & ideo habere symbolum cum temperatura: quæ refrigerat, humectat, & reperiunt, per aliquod tēpus possunt conferre, quia a terant naturā & stupefaciunt, vt non sentiat dolorē: & euacuat trahēdo ad partes interiores, & per sputum excernunt, ideo videntur bene se habere in principio: sed postea in deterius labuntur, non solum quia remansit temperatura mala, sed quia ultra ea habuit venenositatem in membris. Et
 si à

Et si à decocto non bene habuit, potuit esse, vel quia non fuit vsus recta ratione victus, nec bono ligno, nec bene purgatus: quia qui non fuerunt exquisitissimè purgati per phlebotomiã & pharmaciam, non fuerunt sanati. Ideo debuit primò optimè expurgari. Præterea multa sunt obseruanda, quæ sciunt peritissimi medici: quæ si non fuerunt obseruata, à caliditate tēperaturæ ligni & siccitate potuit lædi, quæ valida est. Et licet in ore positū non percipiatur acrimonia, sicut percipitur ea quæ in pipere est, hoc est quia fundatur in substantia terrestri, vt vix deueniat ad actū, ideo in tertio crediderunt esse calidū & siccum. Idq; possumus experiri, si decoctū faciamus ex maiorana, calamentho, cinnamomo, & ex ligno, maiore percipietis caliditatem ex decocto ligni, quàm ex his quæ sunt calida & sicca in tertio, interius dico sumptū, quia ex elixatione permiscet cum multa aqua, ideo non sentitur exterius: sed interius sumptū mirum in modum calefacit. Ideo siue hoc, siue illud, siue omnia, siue plura fuerint, nō est mirū si non fuit adiutus. Cui tamen incommodo possumus occurrere. Cū ergo duo sint, quæ possunt morbum Gallicum confirmatum curare, decoctum ligni, & illitio ex Mercurio: huic autē affectioni, quam facit argentum viuū, non possumus occurrere: necessarium est igitur, vt accedat nobilissimus iste vir ad assumptionem potus aquæ ligni. Sed duo in primis facere debet: primò, remouere malā impressionē factam ex argento viuo, siue fuerit argentū viuū, siue suffumigium ex cinaprio, in ambitu totius corporis impressum: secundò vellem, vt malus habitus tolleretur, & rediret ad propriam temperaturā. Cum quibus modò? Ego sine dubio in tanta materia aggregata tum à cōtagio, tum à mala temperatuta, tum à medicinis

resoluentibus totam struem corporis, vellem vt corrigetur, & tot ac tanti humores euacuarētur cum medicinis. Et cū habeat habitum pallidum declinantem ad frigiditatem, & tumorem corporis, cachexiam indicantem, hoc fuit ab aliqua re valde imprimēte: quia mirū fuit quōd in tali corpore impressa sit intēperies frigida. Ideo biliosi, pituitosi, & adusti humores sunt euacuādi. Et quia pituita mixta est cū adustis humoribus, habeat primò syrupos, in quibus ingrediatur epithymū, fumus terræ, polypodiū, arte confectos, habeat que senam, quæ euacuat humores melancholicos, & digerit, & incīdit humores pituitosos adustos. Syrupus acetosus etiam optimus est, & multi alij, quos non referam, quia qui scribentur, magis erunt vniuersales. Ego sic procederem cum digerentibus pituitosos & adustos humores. Postea euacuarem cum medicinis euacuantibus adustos & pituitosos humores, & inter omnia medicamenta confectiōnem hamech eligerē, vt patet ex ingredientibus. Pilulæ aggregatiuæ summo perē conuenirēt, in quibus ingrediūtur ea quæ possunt id facere: electuariū etiam Indum, diasene, diacatholicon, & haberet aliquod in se quod stimularēt ipsum, quia leue est. Conuenienter ergo possent addi trochisci Alhandal, agaricum, rhabarbarum: & si non sufficeret vna euacuatio, plures fierent. Corroborarem caput, aperirem venas, & disponerem in alium habitum. Et si esset in regione calida, dimitterem beneficio aëris, quia fortè ex aëris beneficio corrigeretur: & si non esset in aëre tali, darem ei decoctum corroborans naturalē calorem: & decoctū esset tale ex garyophyllis & cinnamomo. & propter caliditatem hepatis vellem vt decoquerentur in aquis endiuix, cichoreæ, ad refrigerandū hepatis caliditate

tem quæ induceretur ex aromatibus. Et si fortè essent obstructions in venis aggregatæ per accidens, discuterentur, inciderentur, & difflarentur. His factis, deuenirem ad principalem intentionem, & esset tunc tempus autumnii, & purgarem rursus exquisitè, & si viderem quòd in alium habitum tenderet, secarem venam, & cum iisdem purgantibus & euacuantibus pituitosos & adustos humores procederem. Postea sex vel octo syropos exhiberem, sic compositos. Vellem accipere, exempli gratia, myrobalanorum citrinorum, chebulorum, Indorum, sing. semunciam, contundanturque, & facta leui contusione infundantur per diem & noctem in aqua fumiterræ. Facta infusione, imponerentur folliculorum senæ, epithymi, polypodij, glycyrrhizæ, sing. vncia, seminum citri drach. quatuor, corticum elebori nigri drach. duæ. Infundantur simul, & decoquantur sufficienter, & totum hoc in sex vel octo vicibus assumatur: & pro refrigeratione hepatis, in hoc decocto ponatur syrupus de corticibus citri, vel si timeamus caliditatem nimiam hepatis, syrupus rosatus, quoniam malum habitum abigit hoc decoctum, moderatè euacuat, & nigerrimos humores. Et testor Deum, quòd multi sanati sunt ex hoc decocto, maximè ubi morbus non sit inueteratus. Et ratio quæ me mouet vt hæc assumat, est, quia exquisitissimè purgati in decocto feliciter euadunt. His factis, ad decoctum ligni accedemus, supposito quòd malus habitus fuisset remotus, & rediret suum temperamentum. Vellem duas intentiones habere: prima ad contagiū illud, quod quidem non remouebitur, nisi suo opposito. Et quia nomē non habet (non enim calidū, nec frigidū, nec humidū, nec siccū) ideo nec calida, nec frigida, nec humida, nec sicca opponemus. Vnde istud

lignū semper curabit, si seruetur seruanda: nam non inueni manifestas qualitates quæ plus noceat, quàm iuuet ista qualitas innominata. In ligno enim primò est illa occulta qualitas, quæ dicitur bezoartica, quæ habet vim antidoti, & directè opponitur contagio. Habet secundò caliditatem & siccitatē: si enim inuenierit hepar calidum, plus calefaciet qualitas manifesta, quàm occulta iuuet: & tunc debemus contemperare qualitatem illam, sicut feci ego in domino Ioachino, cui cū exhiberē decoctum ligni in aqua putei, in tantam calefactionem hepatis deuenit, vt totus esset erysipelatus, & febres accesserūt pessimæ. Accessi ad aquam endiuix, & tunc tanta felicitate omnia successerunt, vt ex ea nunquam amplius ægrotarit, cū tamen natura esset niger, macer, pallidus. Et hoc proueniebat à mala temperatura ligni, quæ remota fuit. Ideo plus illi nocebat caliditas & siccitas ligni, quàm occulta bezoartica iuuebat. Illis igitur duabus rebus consulerem: & respiciens temperaturam hepatis refrigerarem hepar, & refrigerarem caliditatem, & siccitatē ligni, qua non indigemus, & occultam bezoarticā haberemus, qua indigemus. Et hæc faciet cum debito regimine victus: & si fuerit frigus, permanebit in suis vaporarijs commodè calefactis, vt sudare possit liberè. Quomodo autem propinetur, nunc nil dicam: sed si scribam, dicam. Circa vlcera illa, credo quòd ab exhibitione ligni omnia cessabunt, & nisi infectio morbi Gallici tollatur, non curabitur. Et si tolleretur vnum vlcus, decem prorumpēt, & iste morbus erit veluti hydra. Vidi tamen ego empiricos quosdā vnum habere medicamen in abscessibus simile admodum cerino antidoto, quod habet optimam terebinthinam, oleum rosaceum, & ceram, quæ omnia compo-

nunt,

nunt, & applicant. Abscessus curant, sed redeunt in alia parte, & nisi occurratis, citò marcescēt omnia ossa corporis. Habet etiā vlcus in ore, quod mihi non placet, & ideo iam accessit hoc cōtagium ad caput. Et est ille secundus gradus, de quo volebam dicere à principio, sed è memoria excidit. Si modò accederet ad cor, tunc efficeretur incurabilis, & trāsiret ad tabem. Ex tribus membris, duo occupauit: si ad tertium descendet, non curabitur. Et hæc sufficient.

Consult. LXIII. Pro eodem.



Vppositis his vniuersalibus euentibus qui ab intemperie tum naturali, tum aduentitia huius Magnifici viri originem ducunt, necnon causis singulorum hoc tempore prætermisissis, quæ omnia alioquin in colloquio nostro exactissimè fuerūt considerata, hoc vnū proponam, morbo Gallico vexari hominem: & quæcunq; symptomata, abscessus, vlcera, dolores ipsum iūfestant, vel omnino, vel maxima ex parte ab hoc eodem morbo pendere, quo sublato, sicuti arbitramur, reliqua quoque omnia facilè abolescent. Ergo incedendum maximè, vt morbū propulsemus: propulsabitur autem, malum habitum ab alijs medicis inductum remouendo, deinde bonum & naturalem introducendo: nunc enim & liuens & tumidus secundū totam corporis molem apparet, quod ab alia ratione euenire nō putamus, nisi à delibutoria qualitate tum argenti viui, tum adulterati, & falsi cinnabaris, quo vtroque varijs modis abusus est. Primū igitur, nisi regio calida, aut constitutio, aut tempus hac proxima æstate obstiterit, purgandum hoc corpus putamus, vt quicquid excrementi tum ob intemperiam deprauatam, tum ob malam rationem victus

collectum est, totū exquisitè educatur. Postea membra corroboranda, & ad meliorem habitum ducenda: subinde ad morbi Gallici curam rectà accedendum. Purgatio proxima hoc modo perficietur. Floris cassiæ quampinguissimæ drach. decē ad boli formam redactas, & saccharo insperfas, nō ita multò ante prandium deuorabit. Postridie potum huiusmodi accipiet. Syrupi de succo betonicæ, de cichorea Nicoli completi cum rhabarbaro, singulorum vnciam. Decocti betonicæ, endiuia, & maioranæ, ex iure tenui pulli exigui vnc. quatuor. Sumet in aurora tepidum, idemque repetet v i i. aut i x. continuis diebus. Tunc proxima die pharmacum tale cum custodia deglutiet in aurora:

℞. Confectionis hamech	3	iiij.
Trochiscorum Alhandal		gr. x.
Syrupi rosati solutiui	3	ij.

Cum aqua betonicæ fiat potus breuis. Deinde proximis septem diebus sumet perpetuò ante prædium & cœnam, zucchari rosati vnciam. Tunc per plures dies non abscedet ab vsu eiusdē zucchari rosati, vel saltem ante prandiū, & bis in septimana sumat theriacæ optimæ, vel Mithridati drachmam in aurora. Vnum erat dicendum, quod est omissum. Eo tempore quo syropos assumit, tertio scilicet aut quarto die venam faceret basilicā dextri lateris, nec ultra sex vnc. sanguinis hauriet. Atque vt melius sibi caueat, neque interim incidat in deterius, consulimus vt semel saltem in septimana sumat rhabarbari optimi scrupulos i i i i. macis grana sex, zucchari rosati semuncia: quæ omnia simul confecta, & ad boli formā redacta, tribus horis ante prandiū deuorabit. Poterit etiam talem potum crebrò in aurora tepidum assumere:

℞. Epithymi optimi

Folli-

CONSULT. MEDICIN. 311

Folliculorum fenæ ana ʒ ij.

Seminum citri

Liquiritiæ ana ʒ j.

Contundantur semina, & omnia simul decoquantur in duabus heminis feri lactis, vt dimidium absumatur. In victus ratione cauebit maximè ab aëris excessu tam calido quàm frigido & flatuoso, nec minus Austrum quàm Boream euitabit. Animi molesta acidètia tanquam pestem effugiet. Singulis diebus curabit aluum subducere. A Veneris vsu penitus abstinabit, saltè toto curationis tempore. Carnes hædinas, castratorum iuuenum, vitulinas, pullorum, perdicum comedet: montanas aues tam elixas, quàm affas. Reliquis omnibus carnibus parcat, nec non cuiuscunque generis piscibus. Olera vituperamus tam cruda, quàm cocta. Utetur ouis recentioribus, & forbilibus. Vsum lactis, & quodcunque ex lacte confectum euitabit. Vinum parcissimè bibet, non acidum, non austerum, non dulce, sed maturum, tenue, limpidissimum: ac cõpotationes præ reliquis omnibus fugiet. His ita procuratis, appetente autũno circa Septembris initiũ ita rursus inchoabit. Primò sumet quęcũq; in pristina purgatione enumerauimus, cassiam inquã, & syrupos, & pharmacum, nec minus venã eandẽ secabit. Laudamusq; vt, nisi vnica purgatione exquisitè purgatus fuerit, bis eodẽ autũnni tempore repetat. Deinde peractis purgationibus sex perpetuis diebus, talẽ potũ in aurora tepidũ sumat, seq; interim intra domũ cõtineat. Postremò vbi hæc omnia rectè peracta fuerint, ad ligni Indici decoctum hac ratione progredietur, sumẽdo ligni Indici optimi, nigri & pinguis derafi libram vnã: aquæ endiuie per distillationẽ factæ optimæ & recëtis libras xiiii. ponenturq; simul in olla fictili vitreata bene

operta, vt integro die simul cū sua nocte madefcant: tunc decoquatur donec tertia pars absumatur, dein de excolabitur, & seruabitur decoctū in vase vitreo mundissimo stricti orificij, & exquisitissimè operto. Huius decocti vncias v. i. bibet horis quinque ante prandium, atq; interim se cōtinebit in cubiculo tepido, & si frigus fuerit, in vaporario, à quo frigidò aère existente nunquam etiam est recedendū, donec totū potionis tempus trāsuerit. Septima verò hora post prandiū totidem rursus vncias eiusdē decocti eodem modo potabit, & post quatuor horas cœnabit: & idem singulis diebus repetetur vsque ad quadraginta, vel ad summum 50. Cibus erit primò, pulli parui vnciæ tres, vel quatuor ad summum, ac totidem panis optimè fermētati & saliti. post prandium & cœnam vncias tres passularum Corinthiacarū electarum edet: eadem enim prorsus ratio esse debet & cibi & potus tam in prandio, quàm in cœna. Portio autem secunda talis erit. Sumetur illud idem lignum, quod prius decoctū fuerat in aqua endiuie, ac rursus decoquetur in libris xx. aquæ fontis optimæ ad consumptionē quartæ partis, & facta exquisita expressione, pro portione seruabit. Singulis tamen quibusque octo diebus semper sumet vna hora ante prandiū floris cassiæ drach. x. At si interim non egeret, clysteribus vtetur ex decocto eiusdem ligni, cum vncijs tribus mellis rosacei. At super omnia toto hoc tempore cauebit ab aère frigido, & vento, ac rursus semel in septimana, qua die magis illi collibitum fuerit, sumet ante potionem suam ordinariam immediatè drachmam optimæ theriacæ, vel Mithridati, à quorum vsu consulo nunquam illum penitus abstinere debere. Hęc sunt quę scribenda occurrūt, ita vt nec prætermiserimus quæcunq; in colloquio nostro

nostro memoratu digna visa fuerunt: nec dissimula-
uerimus, aut silentio transuerimus, quæcunq; inter
scribendum vtilia fore iudicauerimus.

*Consult. LXIII. De morbo Gallico, cum febre &
continuis uigilijs, pro nobili iuuenē.*



Vm audirem processum & modum dolo-
ris huius nobilissimi iuuenis, mihi vi-
debat̄ ita morbū Gallicum depingi &
effigiari, ac si visu perciperet̄. Dolor pri-
mò acutissimus capitis corripit hunc iuuenem, nec-
non tubercula apparuerūt in capite, quæ cū essent
sine dolore, tactu tamen cū premerent̄, dolebant:
signum euidens quòd ibi esset materia pituitosa adu-
sta, modo quo potest aduri pituita. Præterea versa-
tus fuit cum muliere infecta, vt hoc possit esse nō le-
uis coniectura. Præterea nemini dubium est, quòd
impresio extrinseci agentis in corpore preparato
magis imprimit̄: & cū corpus hoc calidū sit & sic-
cum, & plurib. abundet adustionibus, magis prepara-
tum est, quia corpora calida & sicca adusta magis cō-
tabescūt. Præterea pluribus humorib. malis abūdat,
& bile & pituita: ideo nō fuit mirū si dolor validissi-
mus adfuit, & tubercula emanauerint. Curatus fuit
omni ingenio, vt si dolor capitis à prauorum humo-
rum multitudine prouenisset, remota causa, affectus
& dolor remoti essent. Remota enim fuit multitudo
malorum humorum causans dolorem (si illa fuisset
causa) non solūm per euacuationes vniuersales, quæ
à toto euacuant, & per reuulsionem, vt omnino de-
beret excuti, sed etiam ad localia ventum est, ad de-
riuationem per vesicatoria prope scapulas, & tamen
nihil profuit: ita quòd his exquisitè factis, licet cessa-
uerit tantillū dolor, quatenus à capite essent educti

humores, redijt tamen. Cauſa autem eſt, ſi confi-
 deramus naturã morbi Gallici, quia occupat duo prin-
 cipalia membra, hepar ſcilicet & cerebrum, ſua mala
 qualitate, quam certè nomino innominatã, quæ for-
 ma imbuit in hepate, & malos aduſtos humores ge-
 nerat. Nec poſſumus dicere quòd calida ſit, quia ge-
 nerat pituitam, & alios diuerſos humores: & licet ad
 aduſtionem tendant, varij tamen generantur: & pro-
 pterea iuuatur aliquando à calidis, ita quòd non eſt
 qualitas ex primis qualitatibus, ſed forma quædam
 mala imprimitur in hepate, vt generet malum ſan-
 guinem: & ſicut varia eſt natura recipientis, ita varia
 forma recipitur, quæ in aliquibus depilat, in alijs vl-
 cera, in nõnullis dolores facit, in aliquibus brachia,
 in alijs caput, in alijs crura occupat, prout vnũ mem-
 brum imbecillius eſt altero. Cũ ergo in hepate ſit
 illa mala forma, licet educatur materia mala, redijt
 tamen, quia adeſt infectio adhuc, & mala forma in
 hepate, quæ ſemper malos humores generat: & licet
 optimis cibus veſcatur, generat malos humores ex
 illa mala forma impreſſa: ideo pallescunt ſemper ita
 infecti, nec vnquã læti ſunt, & affliguntur varijs ſym-
 ptomatibus ex malis humoribus. Præterea caput e-
 tiam læditur, & ita inuadit ipſum, vt totũ venenum
 appareat in capite, & non niſi dolor. Credo igitur
 eſſe Gallicum, tum ex ſignis illis, tum ex modo inua-
 ſionis doloris capitis: & quoniam ea quæ ſolent cu-
 rare hemicraniam, nihil profecerũt, tum etiam quia
 ſe cõmiſcuit cum muliere infecta, relinquatur quòd
 in hoc nobiliſſimo iuvene ſit morbus Gallicus. Et
 quoniam multiplicantur humores mali, & ſpiritus
 accenduntur, & dolor maximus affligit, facta fuit fe-
 bris accidens, quæ remouebitur remoto dolore. Ta-
 men cũ iſte nobiliſſimus vir febri continua labo-
 ret ſine

ret sine typo, & carnes ardentes habeat, & duritiem aliquam in pulsu, dubitandum est ne febris sit in habitu. De putrida nō audio, saltem quòd habeat typum insignem, nec percipit rigorem, nec magis affligitur in vno die, quàm in alio, vel in vno tēpore magis, quàm in alio. Est etiam mirū, quomodo post euacuationes factas non cessauerit, si esset febris putrida. Et hæc quo ad ea quæ patitur præter naturā. Habet præterea vigilias illas, quæ mihi videntur quòd sint accidens: & habent rationem causæ, ad quam debet intētio dirigi: quia symptomata cūm habent rationem causæ, vt vigilix, quæ prosternunt virtutem, & augent dolorem, propter magnā siccitatem, quam causant, ideo remouendæ sunt vigilix. Prætermittā dicere de prognostico, habet enim multa discrimina, & si perseverabūt dolor & vigilia, & febris quæ hectica est vel in humoribus, nō haberemus virtutem ita validam. Quid agendum est? Purgatus est, & nunc exhibetur decoctū ligni, à quo sanatur morbus Gallicus, nec aliud genus remedij dandum est. Cūm ergo iuuenis iste patiatur morbum Gallicum, quod ad ipsum attinet, tali decocto curandus est. Diceret aliquis, hīc est arefactio, febris, & vigilix, ijs tribus insistendum est: si ad febrem respiciamus, quia calidum & siccum est decoctum, febris calida & sicca augebitur. Præterea si sit hæc febris habitudinalis, frigidis alimentis indigemus. Præterea vigilix adsunt, siccitas autē est causā immediata vigiliarum, quæ si caliditati iungatur, non vigilias, sed priuationē somni inducit, quod est symptoma sequens maiorem ægritudinem. Est ergo decoctum omnino aduersum febrī, & superfluis vigilijs. Verum est, quòd si exhiberetis decoctum simplex, & non prouidissetis decoqui ipsum in aliā aqua, quàm nostra sit

communis, quæ recipit impressiones omnes, nec habet propriam temperaturam: ideo si sulphur ponatur in ipsa, fit calida & sicca: si ferrum, fit frigida & sicca: non rectè egisset. Sed quia prouisum est, vt decoctum ipsum fiat in aquis quæ agunt proprijs temperamentis, & habent rationem refrigerandi, secus est: refrigerant enim & humectât omnes, quia aquea pars illa est quæ distillatur, terrea residet, subtilis calida exhalat. Ideo optimè factum est accipiendo aquas alteratas. Igitur si ponatur in aqua endiuia, quæ refrigerat & humectat, optimum erit: se habet enim aqua ad endiuia, sicut se habet ad hordeum ptisana: hæc enim frigida & humida est, hordeum frigidum & siccum: ita etiam endiuia frigida est & sicca, aqua frigida & humida. Idem etiam facere potest aqua fumiterræ. Si igitur exhibeatur hoc decoctum coniunctis aquis loco syrupi, conueniens erit: imò poterit fieri frigidius ponendo parum ligni. Ideo talis syrupus conueniens erit, quia in ligno præter primas qualitates amaritudo abstergit & mundificat. Credo ergo quòd syrupus conueniens erit ad tollendum causam ægritudinis, scilicet infectionem illam. Et si fortasse videretur, quòd febris augetur in eo casu, tutius esset intercipere decoctû, & alterare corpus. Quo ad symptomata, præcipuè ad vigilias, non desisterem, licet syrupum exhiberem, quin in singulis diebus mane & vesperi poneremus emulsionem papaueris in ferculis, & drachmæ duæ vel tres seminum acciperentur & contunderentur, & acciperetur lac, fieret enim impressio, & facerè id pluribus vicibus potius quàm accederè ad opiata semel, & semnum inducet. Et si dolor capitis perseveraret præter rubificationem, tale quid tentaremus, vt sanguisugas venis applicarem post aures, maximè post

post tot euacuationes factas : tum maximè, quia vidimus cum deriuatione aliqua cessare : ideo esset optimum tantisper dolorem sedari, quousq; tollamus veram causam. Præterea circa rationem victus, credo quòd optimè prouideremus, si decoctû non exhibebimus cum illa diæta tenui : si fierent lotiones crurium cum decocto camomillæ, anethi, & papaueris, quæ haberèt prouocare somnum & deriuare, esset optimum. Ista sunt, quæ mihi occurrunt dicenda. Etiam si fieret linimentum hepatis, quod refrigeraret ratione febris, admodû conueniret, & ipsa non ita inualesceret : & hoc esset optimum, & hac via ego procederem.

Consult. LXV. De morbo Gallico, doloribus in extremis partibus digitorum, ulceribus narium ac gutturis, ex destillatione acris, pro generoso Polono.



Enerosus Dominus ex inordinata viuendi ratione, & in primis nimio & inordinato vsu Veneris ac cōpotationis, aliarumq; rerum sex non naturalium abusu, perpeffus est morbum Gallicum, quo in hodiernum diem vsq; affligitur. Olim vnctus Mercurio incidit in sequiora accidētia: nam capitis dolore seuo cruciabatur, & inflammatione faucium & narium, cum leui vnus naris contractione. Bibit autem lignum Indum, & postea liberatus quodammodo ab his affectionibus, statim in eadem accidentia incidit. Nunc est factus debilior ex doloribus assiduis, ac iam non amplius sustinet pati tot tantosque malos affectus ex Mercurij inunctione consecutos, proinde à nobis petit consilium. Nos itaque præscribemus illi curam, qua si diligenter vsus fuerit, dum ætas & vires

iuueniles integræ consentiunt, facile pristinam fanitatem acquireret. Primò igitur sumat lenitiuū ventris:

℞. Floris cassiæ ʒ x.

Cum saccharo fiat bolus, quē sumat hora ante prandium, præmissò clysteri cōmuni cum decocto betæ, maluæ, mercurialis, & modico salis cōmunis, addito etiam vitello oui recentis, & quod maximè necessarium est, additis vncijs tribus mellis rosati colati. Secundò digestiuum sit tale:

℞. Syrupi de fumo terræ

De succo buglossæ ana ʒ j.

Aquarum fumiterræ

Buglossæ ana ʒ ij.

Misce pro vno, & sic pro alijs. Et melius est si loco aquarum destillatarum accipiatur decoctum earum cum liquiritia. Solutiuum deinde accipiat:

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Syrupi rosati solutiui ʒ iiij.

Misce, & cum eodem decocto fiat potio, danda in aurora. Die sequenti sumat zuccharum rosatum, eius autem accipiat vncias quatuor, & sumat manè & serò vnciam primis duobus diebus per horam ante cibum. Deinde sumat infra scriptos syrupos per septem dies continuos: sed si vltra modum euacuarètur, sumat alternis diebus.

℞. Myrobalanorum Indorum

Citrinorum

Chebulorum

Emblicorum

Belliricorum ana ʒ iiij.

Contundantur grosso modo, & fricentur manibus cum oleo amygdalarum dulcium. Postea infundantur per diem & noctē in lib. x. aquæ fumiterræ, & decoquantur ad consumptionē tertiæ partis. Deinde adde

adde Corticum ellebori nigri s iiii.

Liquiritiæ

Polypodij ana ʒ vj.

Seminum citri ʒ s.

Et bulliant donec remaneant lib. v. Postea adde

Folliculorum senæ

Epithymi Cretensis ana ʒ j s.

Et bulliant donec remaneant lib. iij. ac coletur, & ex primatur decoctum, atque seruetur.

℞. Huius decocti ʒ vj.

Syrupi ex infusione rosarum ʒ j s.

Et detur manè alternis diebus. Exhibitis his syrupis requiescat per duos dies, fumendo zuccharum rosatum, hora & quantitate vt dictum est. Laudo tamen post assumptionem casiiæ & primum syrupum, statim missionem sanguinis ex vena hepatis media dextri lateris ad vncias sex. Deinde ad purgantes portiones supradictas deueniendum. His peractis, incipiat aqua ligni bibere iuxta modum infra scriptum. Primò accipiatur libra vna ligni Indi, ex trunco non valde antiquo, sed viridi quantum haberi potest, de robusto, grauique ligno, quod ex magna parte sit nigrum, & de circumferentia parum album. Dissectur in minutas partes, ac superinfundantur libræ xiiij. aquæ de endiuia, & ponantur in olla noua satis capaci cum tegumento, ac infundantur per horas vigintiquatuor. Postea admoueantur igni, & bulliant tandiu, quousque ex quatuordecim libris remaneant octo circiter. Spuma autè diligenter auferenda est, & ad partè seruanda. Postea fiat diligens expressio, & coletur ac reseruetur decoctio illa in vase vitreo optimè testato, ac diuidatur in octo syropus, quorum vnum manè hora nona sumat, postea prandeat inter duodecimam & decimam tertiam. Deinde

hora vigesima hauriat alterū, ac cœnet postea inter vigesimam tertiam & vigesimam quartā. Sumpta hac decoctione ligni, si aliqua sudorum apparuerint signa, tegat̄ calidus in lecto, adiuuando sudorē. Si autem non adfuerit sudor, non prouocandus est, sed omnia permittantur naturæ. Sed quoniam illi syrups supra dicti ex decoctione ligni per octo duntaxat dies durabunt, oportebit antequam priores ebiberit, alios parare, vt infusio etiam fieri possit per 24. horas, ne detur dies vacuus potioni sumendæ. Sumat autem per 40. dies hos syruos. Laudo quoque vt quinquagesimum diem attingat, ita tamē vt exactis 40. diebus, vnum tantum sumat mane syrupum per reliquos decem dies sequentes. In hoc autem tempore fugiat vêtos, & omnes alterationes animi. Corpus quidem poterit exerceri ad arbitriū suum, prout vires ei melius suppeditauerint. Ordo autem in sumendis his, & regimē eius tale erit: Primis decem diebus carnibus pullinis vescat̄ ad vncias duas pro vna vice: pane autem albo & optimo ad vncias tres. vino quidem vtatur albo, & temperatē, substatiæ tenuioris, claro, lucido, maturo, optimique saporis. Et hoc quidē sit illi in prandio & cœna. Cereuisiā etiam optimā loco vini poterit bibere. Transactis illis decem diebus, viuendi rationem permutabit, in hunc modū: A vino abstinebit, & à carnibus pullinis, sed suus cibus erit vncie quatuor aut tres panis albi, puri, optimē cocti & fermentati. Sumat etiam vuas passas nigras ad vncias duas: sint autem vuæ hæ dulcissimæ, & bene mundatæ. Et hic sit prandij & cœnæ modus pro alimento. Potus autem sit secundæ aque decoctio eiusdem ligni in hūc modum facta: Sumat idem lignū quod in prima decoctione sumpsit, & in lib. x x. aquæ purissimæ putealis infundatur. Dem-
do

de coquatur vsque ad remanentiam quindecim librarum. Hac aqua vtatur in potu in prandio & cœna, quæ si defecerit, poterit renouari cum dimidia libra eiusdem ligni. Et hæc sit cibi ratio per 30. intermedios dies. Vltimi verò decem dies sint similes in victu & potu illis diebus decem primis. In toto autem tempore, quo de ligno bibit, intra quoslibet octo dies assumat drachmas x. floris cassiæ, vna hora ante prandium. Poterit autem eo die quo sumit cassiam, syrupum ex ligno intermittere. Cum verò potum syruporum ex ligno præscripta ratione sumpserit, tunc per multos dies & menses, optima viuendi ratione vtatur. Vescatur carnibus iuuenum animalium, & optimis cibarijs, ouis recentibus, auiculis, pullis, piscibus saxatilibus, vino albo mediocri & boni saporis. Corpus autem valde exerceat. Ab alijs piscibus & carnib. salis, anseribus, oleribus abstineat, sed à coitu maximè: omnes animi molestias fugiat. Si verò aliquam grauitatē sui corporis senserit, his pilulis vtatur ter in mense vna hora ante cœnam:

℞. Aloës optimæ

Agarici electi

Rhabarbari optimi ana ʒ ij.

Salis gemmæ gr. iij.

Spicæ ʒ s.

Masticis ʒ j.

Puluerizentur omnia per se, deinde cōmifceantur, postea aspergantur succo rosarum puro, & tandem permittat̄ur exiccari, & postea cum melle rosato fiat magdaleon, siue massa, de qua suo tempore accipiat ʒ ij. & formentur pilulæ tres dandæ, vt suprâ. Spumam autem, quam superius dixi debere reseruari in eo toto tempore quo aquam bibit, admouebit locis, in quibus fiunt tumores & dolores. Vbi verò bi-

berit hoc decoctum ea lege quam descripsimus, neque interim à doloribus perfectè liberetur, perseuerabit in eadem victus ratione quã suprà scripsimus. Pilularum suprascriptarum ʒ ij. vel iij. tet vel quater etiam in mense sumet hora ante cœnam: & expectet opportunũ tempus rursus sumendi decoctũ ijs modis, vt suprà declarauit. Erit autem opportunitas talis, vt si biberit vere decoctum, alia opportunitas erit in medio autumni: si in autumno biberit, erit opportunitas expectanda ad finem veris. Et si hæc omnia diligenter peregerit, & prima & altera vice non successerit, non despondeat animum, vt plerique faciunt, sed constanter in ea re persistat, iuxta Hippocratis sententiam: Omnia secundum rationẽ facienti, si non successerit secundum rationẽ, non est trãs-eundum ad alia. Persistat ergo in hac cura, neque voces impostorum audiat, qui vel suffumigijs vel linimentis primò sanitatem pollicentur, sed tandem in vltimam perniciem adducunt. Ad dolorem qui est quasi initium contractionis in extremis partibus digitorum manus, hoc infra scripto decocto sæpe lauet manus:

\mathcal{R} . Maioranæ

Pulegij

Calamenthi

Foliorum fenæ

ana man. j.

Decoquantur in aqua simplici. Ad vlcera narium & gutturis facta ex defluxu falso & acuto:

\mathcal{R} . Tutia præparatæ

3 ij.

Olei rosati

Succi solatri

ana ʒ ij.

Ponantur simul in mortario plumbeo, & ducant donec habeant bonam consistentiam, postea cum modico ceræ liquefactę fiat vnguentum molle, & referuetur

uetur vsui. Ad eadem vlcera lauanda:

℞. Aquæ plantaginis
Solatri
Endiuæ ana $\frac{3}{4}$ vj.
Syrupi rosati ex infusione ros. $\frac{3}{4}$ ij.
Violati $\frac{3}{4}$ j. Misce.

Pro resolutione, & vlcere naris.

℞. Bdellij
Ammoniacy ana 3 iij.
Croci 3 j.
Betonicæ Saluiæ
Hyperici ana man. ij.
Pinearum

Amygdalarū dulciū ana lib. s.

Contundantur omnia per se, deinde misceant, sed prius addatur aceti squillitici lib. j. s. Et omnia ponantur simul in olla noua vitreata, obtureturque ne transpiret. Deinde ponantur in fimo equino, & bene sepeliantur ad putrefaciendum per 40. dies: deinde ponantur in botia vitrea lutata luto sapientiæ, & destillentur secundum artem physici practici, & seruetur liquor ad vsum. Hęc ergo omnia sua Dominatio interim diligenter exequetur, & de successu horum, nos vel ipsa literis monebit, vel saltem Valentinus Lublinus discipulus noster, cum rem hanc cognouerit, certiores reddet.

Consult. LXV. pro Illustrissimo atque Excellentissimo Domino, Domino Galeotto Pico, Mirandule Comite dignissimo.



Illustrissimæ Dominationis vestræ corpus neque in membris suis, neque in omnibus ætatibus, eisdem affectibus, sed longè diuersis obnoxium fuit. Membrorum

quidē præfens status huiusmodi est, vt cū reliquæ actiones omnes integræ sint ac rectè valeant, in infima tamē recti intestini parte ac exitu, multiplici (vt postea dicetur) morbo infestatur. In diuersis etiam ætatibus, alijs atque alijs affectibus fuit exagitatam, & ita fuit comparatum, vt facilè mutari atq; alterari posset. Cū igitur vestræ valetudinis nobis proposita sit cura, omnes illi affectus varij atque multiplices, quibus aut iam laborat, aut nē in posterū redeāt est verendum, distinguendi mihi necessariò videntur: id quod ex multis quibus antea Illustris. V. D. vsa est consilijs, facilè intelligetur. Ab eo igitur qui nunc infestat morbo initium sumam, quem etiam ceteris omnibus, quibus iandiu est conflictata, leuiorem esse, ipsamet confitetur. Quoniam autem (vt dictum est antea) omnes actiones, vnica excepta, sunt integræ, illa in præfens omiſsa, quomodo reliquæ in sua integritate conseruari debeant, explicabo. Recta verò earum valetudo minimè conseruari potest, nisi à lapsu membra præseruentur, quæ in hoc corpore inæqualiter admodum sunt temperata, & vt turbam aliquam faciant, ac sibi inuicem aduersentur, præparata. Vt autem in singulorū particulatim natura explicanda insistam, & cor & hepar insignem habere à natura caliditate affirmo: id verò tum ex eorū actionibus, tum ex his quæ ab illis efficiuntur, satis apparet: ea autem quòd aperta admodum sint, breuitatis causa nunc prætermitto. Hepati tamen alia quoque aduentitia qualitas est adiuncta: ea ex Gallico morbo originem duxit, & peculiarem quandam vim hepatis adiungit, qua humores ac sanguinem exurit, ac eos semper magis ac magis exassat. Ea autem vis non idem in omnibus efficere solet: siquidem in hepate natura prædito calidiore, multò est deterior, & magis

gis metuenda. Quare cum V. D. hepar huiusmodi sit, natura scilicet calidum, deinde lue etiam Gallica infectum, prauum & exustum sanguinem perpetuo generari est necesse: unde etiam fit, ut inde geniti spiritus, eius sanguinis naturam seruent, potissimum autem cum in corde gignantur, in quo calorem immeratum esse iam diximus. Huius autem rei plurima sunt argumenta. Primum enim, spiritus esse calidiores ac feruere, indicio est frequens illa excandescencia & inflammatio: sine vlla occasione ab ephemera corripit febre: capitis calefactio, & insignis sæpe rubedo, ut ipsa quoque alba oculi tunica rubore suffundatur: hæc enim omnia non alia, quam spiritus calidiores ac igneos, causam habent. Hinc etiam fit ut hæc omnia citissimè dissoluantur: id quod omnibus qui à spiritu motu proficiuntur affectibus, solet accidere. Sanguinem autem exustum ac feruidum generari, icteri, febres, & præteriti corporis squalores, satis manifestè declarant: ea enim omnia è calidioris ac feruidi sanguinis prauitate oriuntur. Qui verò singulis noctibus nunc etiam prodit sudor, cum multæ iam administratæ sint purgationes, & quæ refrigerandi vim habeant exhibita medicameta, non aliunde fit, quam ex sanguine nutritioni inepto, quæ aliquanto quam antea robustior facta natura, attenuat, separat, & tanquam minus idoneum alimentum expellit: idque in nocte, cum ob natiui caloris ad interiores partes reditum, actiones suas perfectius absoluit. Et hæc quidem hæctenus de his symptomatis, quæ hepatis & cordis intemperiem sequuntur. Accedit hisce etiam ventriculus, qui cum peculiari sibi natiuo calore destituatur, pituitæ generationi valde est accommodatus: quam certe non olim tantum copiosam genuit, sed nunc etiam, etsi in victus ratione summa adhibetur diligentia, gi-

gnit. Adest præterea capitis temperatura, quæ mea quidem sententia calida est & sicca: atque ideo non tantùm nimiam aliorum membrorũ caliditatem non temperat, sed calida atque exusta excrementa non pauca cõtrahit: cuius rei sinister oculus manifestum indicium præbet, qui & diminuta visione, & abscessibus in palpebris laborat, ac semper ferè est ophthalmicus. In hoc autè potius quàm in sinistro, symptomata hæc conspiciuntur, quòd ob acceptũ olim vulnus debiliior est factus. Cui igitur huius corporis integras actiones conseruare propositum fuerit, is (vt superius dictum est) immoderatas horum membrorum intemperies frangere, & ad mutuam quandam concordiam, vt melius inter se consentiant, reuocare debet. atq; hæc propriè dicenda est præseruatio. Cùm autem in hoc instituto quædam cõmunia sint, quædam etiam particularia, à cõmunibus exorsi, ad particularia deinceps accedemus. Aër nobis occurrit in primis, qui quàm fieri potest temperatissimus est eligendus: neque enim nimium aut tenuis aut crassus, frigidus aut calidus, aut alicuius paludis exhalatione infectus esse debet: eadem etiam ratione nec à ventis agitatam, nec à pluuia madidam esse oportet. Scio equidem Illustriss. D. V. institutum, & tum bellicas tum ciuiles actiones eiusmodi esse, vt summa qua opus est diligentia, obseruare hæc minimè possit: vtilissimũ tamen illi fuerit, ea sibi habere perspecta, quorum excessum declinare summopere debet. Cùm igitur iam à me sit admonita, ad eius prudentiam pertinebit, opportunè ingruentia incommoda moderari, & cùm corpus viuens, tum caput præcipuè, idoneis tegumentis, pro imminente aëris intemperie, tueri ac munire. Quod verò de aëre à me dictum est, id rebus omnibus accommodari debet,

bet, quas cum maximè moderatas & corpori còmodas esse oporteat, si non ad vnguem obseruari, quoad fieri potest tamè moderari debent. Proximè sunt ab aère animi perturbationes, vt ira, molestæ cogitationes, & reliqua his similia: quæ certè Illust. V. D. summa animi prudentia frænare ac coërcere debet: siquando enim illorum intemperantiæ sese permittet, supraquàm credi potest corpus plurimùm immutabunt, atque ita sanè, vt affectibus plus æquo animum diuexâtibus, alia auxilia vix quicquâ sint profutura. Summo igitur studio, diligentia atque animi moderatione, sunt coërcendi. Sequitur vt de corporis exercitatione dicam: quæ certè si opportunè fiat admodum est necessària: cum tamen Illustris. D. V. militarem vitam agat, & ob grauissimà negotia cogatur varias regiones peragrarè, minuere potius ac moderari quàm augere illam debet. Huic enim corpori vehementer calido ac resolutioni parato, plus fortasse periculi ex nimia quàm ex pauca exercitatio-
ne est metuendum. Quemadmodum igitur perpetuum otium non probo, ita illi autor sum ne in exercendo modum excedat: potissimùm autem in loco aprico, in aère calidiore, post prandium aut cibum qualemcunque: tum enim prodesse nihil, obesse a-
rem plurimùm potest. Siquando igitur Illust. D. V. iter suscipere cogetur, suadeo vt manè ieiuno ventriculo totius diei iter perficiat: à prandio verò, aut nullum, aut breue, & non nisi longo post cibum interuallo, iter conficiat. Quòd si totam diem equitandum illi esset, manè prandebit parcè, aut potius parcissimè: verbi causa, oua duo, & exiguum panem in iure infusum edet, & semel tantùm bibet. Nec verò opus est me illam etiam admonere, eiusmodi equum esse debere, vt aptè incedat: sellam verò & optimam,

& sessione cōmodam : hoc enim ipsa non tantū ex nobili sua ac præclara conditione, verumetiam necessitate magistra satis est edocta. Ad somnū verò quod attinet, septem minimū horarū spatium dormiendū puto, idq; in nocte. quòd si nocturnus somnus aut interruptus, aut impeditus sit, vt de spatio iam dicto pars non mediocris detraheretur, suaderem vt in meridie tantūdem dormiret: moderatum enim somnū in hoc corpore maximè probo. Quòd si legitimū temporis spatium dormierit in nocte, longè consultius est vt interdiu penitus abstineat à somno. Singulis etiam diebus aluum mollem esse oportet: quòd si spontè non deiciat, artis auxilio utendum erit. Vt enim corpus hoc cōmodè præseruari possit, naturalium excrementorum quotidiana expurgatio est necessaria. Si igitur huic muneri natura desit, cōmoda aliqua ratione erit adiuuāda: nec tamen clysterium vim adhibendam esse puto, grauiori enim necessitati illa est admouenda, scilicet cū leuiora ac tutiora auxilia nō profuerint. Vbi igitur aluum mollire erit necesse, manè ante cibū, aut etiam cum cibo in prandio, decē aut duodecim pruna siccata, plura aut pauciora, pro illorum magnitudinis ratione, sunt deuoranda : ea tamen in iure pulli cum saccharo molli igne ita decocta esse oportet, vt melior iuris pars sit absumpta, pruna verò molliora sint facta, totumq; illud ad sapē cuiusdam consistentiam deductū : ac tum pruna cum suo illo iure comedet, id quod ad leniendam aluum, & efficax & familiare, omni etiam noxa carens auxilium est futurum. Idem etiam præstabunt passularum orientalium vicia duę, manè ante cibum singulis diebus sumptæ: illas autem nigerrimas, pinguisimas, dulcissimas, ac recentissimas esse oportet. Idem etiam pulli ius efficiet,

ciet, in quo malua, beta ac mercurialis sint decocta: & hoc quidem medicamento magis naturam refert, sed valde commodum est ac salutare, & à veteribus etiam summopere comendatum. Cum igitur huiusmodi aliquo auxilio opus erit, Illust. D. V. illud eliget quod magis probabit, aut quod feliciter officium faciet. De potu ac cibo ita statuo: in primis pro ventriculo eiusmodi vinum esse eligendum, quod ubi fuerit ingestum, miserum ventriculum sua aut aciditate, aut austeritate, aut acerbitate non lancinet, violet aut discerpat: ne tamen hepar aut exurat, aut incendat, potens admodum esse minimè oportet. Vinum itaque maturum, boni saporis, nec potens, nec imbecillum, sed mediocre eligitur. Colore autem sit aut album, aut rubrum, aut inter hos medium, in primis vero tenuis substantiæ ac pellucidum. A musto penitus abstinebit, nec nisi ubi per quatuor saltem menses quieverit, illud bibet. Communem Dominorum ac Principum consuetudinem sibi maximè perniciosam existimabit, qui vinum aut glacie, aut alia ratione refrigeratum bibunt: pessimus enim hic Principum mos, luxus, deliciarum & nimio studio exquisitæ voluptatis penas dare illos cogit, dum & gravissimis morbis conflictantur, & iusto citius, vitæ suæ curriculum absoluunt. Eorum tamen fors est miseranda: cum enim magna ac perpetua putredine in illis ventriculi laborent, ardore quodam à ciborum varietate ac multitudine genito exstuent, & molesta anxietate ac siti vehemèti continuè anhelent, dum ea incommoda sedare atque extinguere se posse existimant, quam graui suo damno hallucinantur ignari, errorem errore cumulantes, illa augent, ac veluti flabello incendunt. Cum tamè D. V. Illust. in alijs rebus omnibus summa & prudentia & moderatione utatur, & supra

communem ac vulgarem Principum rationem, præclari ac nobilissimi intellectus sui præstantia sese erigat atq; attollat, cõmuni etiã illo errore minimè implicatur. Ea igitur hæc esse verissima, ipso vsu intelliget: quæ etiã si exactè obseruabit, maxima sua animi voluptate, infelices alienorum errorũ exitus spectabit. Eiusmodi itaq; quo ipsa vtetur, vinum esse oportet: quod etiam moderatè bibi, & tantùm in mensa, debet. De cibus autem in primis generalis illa regula sanciat, in valetudine tuenda cibum seu obsoniũ simplex atq; vnum esse oportere: ac, vt mea quidem fert sententia, deterius est vti ciborum laudabilium etiam ac salubrium varietate, quàm vnico, vt-cunq; etiam sit prauus. Hoc autem verissimum esse, multorum populorũ vsus docet, qui cùm solis piscibus, crudis quidem illis & in sole exiccatis, aut alijs huiusmodi cibus vescantur, quoniam alia cibaria non attingunt, sed in eorum tantùm vsu perseuerant (si fides historijs est adhibenda) integra valetudine, & virium robore, duo aut tria secula seculum fruuntur. Eius rei præter ipsius vsus testimoniũ, multæ etiam sunt efficaces ac demonstratiõnis vim habentes rationes, quas nunc, quoniã huiusmodi res tractare mei non est propositi, libens omitto: qua enim viuendi ratione Illust. V. D. vti debeat, explicare meum tantùm nunc est institutũ. Vnico igitur ac simplici obsonio fit cõtenta: quod tamen si boni etiã succi, & salubris ac laudabilis fuerit alimenti, probabitur à me longè etiam magis. Illud autem repetendũ duco: si hoc in genere peccandũ sit, in vnico cibi genere, etiam prauo, minus delinqui, quàm in multiplici ciborum etiam salubriũ varietate. Alimẽtorũ porrò catalogus res est adeò iam vulgaris, vt cõmunem admodũ cantilenam canere me iam pudeat. Ne tamen vlla in me
diligen-

diligentia desideret, ea omnia quæ nunc à me describent, vestræ valetudini multas ob causas plurimum aduersari dico. Aromata, carnes salitæ, carnes anti-que, vt bouis & castrati, auium palustriũ, vt anserum & anatum carnes, pisces præcipuè palustres, tam recentes quàm saliti: lactinia omnia, potissimũ verò caseus: pastilia omnia, & pulmenta quæ pasta inuoluuntur, vt placentæ, ac huiusmodi reliqua, legumina, acria omnia, vt allia, cæpe, ascalonia, porri, acetũ, & ex crudis oleribus acetaria, fructus etiam si liberius ingeratur, sunt perniciosi. Quoniã autem Illust. V. D. sæpe in Gallia peregrinatur, vbi (aiunt) sua vt plurimum in sartagine obsonia torrere solent ac frigere, & suilla tergora seu larida, soli Galli plura comedunt, quàm quatuor aliæ simul nationes, ideo ea mihi est admonenda, vt ab huiusmodi rebus abstineat, & pro viribus ab ea viuendi ratione abhorreat. Suis igitur coquis mandabit vt propriã mèsam, sine huiusmodi apparatu instruant: ille enim oblinendæ potius gulæ ac voluptati, quàm valetudini tuendæ est accommodatus. Illust. profectò D. V. perspectissimum illud esse debet, res nullas sibi inuicè magis aduersari, quàm egregiũ coquũ, & præstâtissimũ Medicum: illorũ enim cõtraria penitus sunt instituta: hic enim prodesse, ille autem vult oblectare: huic finis propositus est sanitas, illi verò adulatio ac impostura. Non igitur simplici tantũ vnusq; tantũ substatiæ, verùm simplici etiã ratione præparato cibo vtetur: & optimã potius valetudinẽ, quàm quæ ex cibo capit voluptatẽ, scopũ sibi cõstituet. Vt autẽ partiũ quas cõtrario tẽperamẽto præditas esse superius dixi, particularis à nobis ratio habeat, pro vetriculi valetudine cõseruãda, Illust. V. D. hortor vt inter vnã atq; alteram mensam, nouẽ minimum horarũ spatium ponat: nisi

eiusmodi fortè imbecillitas contingat, quæ totum
 unius diei cibum in tres partes diuidere cogat: in
 quotidiana tamen ratione, inter prandiū & cœnam
 dictum iam interuallum probo, ne posterior cibus,
 priori nondum plenè concocto, sed crudiore etiam-
 num existēte, ingeratur: quo profectò valetudini ni-
 hil potest esse magis perniciosum. A cœna etiā non
 nisi post duas horas somnus est admittendus: ac tum
 aut stando, aut domi leuiter deambulando, cum suis
 familiaribus de iucundis rebus ac sibi gratis collo-
 quetur. Aleam autem, aut in aliqua alia re difficili,
 grauiorem animi intentionem, minimè tum probo.
 Hac seruata ratione, siue vlla molestia nox transige-
 tur: somnus erit tranquillus, neq; pituita repleri ca-
 put aut ventriculum cōtinget. Pro hepatis verò ac
 renū conseruatione, consulo ne in prima statim men-
 sa, vt multi solent, bibat: sed pro viribus, ad mediam
 saltem mensam primus haustus differatur. Hoc au-
 tem vt facilius impetrari, & hepatis etiam ac sangui-
 nis feruor tēperari possit, ante alios cibos iuris pul-
 li cum saccharo idoneam mensuram semper biben-
 dam esse suaderem, id quod ad molliendā etiam al-
 uum plurimum conferret. Dicta hac victus ratione
 & membra hæc temperari, & ad mutuā concordiam
 ita reuocari posse existimo, vt eorum munere recta
 valetudo conseruari possit, id quod nostrum à prin-
 cipio propositum fuit. Cæterum quoniam præter
 affectus iam dictos particularis quidā nō leuis mor-
 bus adest, qui annos quatuor perpetuos infestat, in
 musculo scilicet sphinctere vlcera quædam & rhaga-
 des, eius igitur præcipua etiam ratio haberi debet.
 Cùm autē eo in loco antea fuerit abscessus, ex eo vl-
 cera prodijisse satis est manifestum. In eo quoq; ab-
 scessu exustam ac biliosam materiam latuisse, admo-
 dum

dum est verisimile, id quod ex dicta superius sanguinis prauitate, & ex gallicæ luis contagio coniectare in primis licet: deinde etiam ex morbi diurnitate, ex corrosione, ex curationis difficultate, ex crassa, obscura, atq; exusta, quæ ex vlceribus nunc fluit materia, & ex sanguine & faculento & nigriore, apparet. Alioqui melancholicis atq; exustis humoribus recipiendis paratissimum esse locum illum, hæmorrhoides illi peculiare locupletissimū testimonium præbent. Audaçter itaq; mihi videor posse pronũciare, tam præteritū illum abscessum, quam secuta deinde vlcera, ex melancholico atq; exusto sanguine ortum habuisse: illum autem eò natura ideo transmittit, quòd tum ob naturalem sibi constitutionē, tum propter sitū, & perpetuā illam quæ in egerendis facibus sit cõpressionis vim, ad huiusmodi humorem excipiendū locus ille videtur aptissimus. Quoniam igitur, si loci naturā consideremus, hæc vlcera sunt profundiora, cacoethe etiā & exedentia & valde sordida, ac præterea veluti cloacæ aut sentinæ deteriorationem sanguinis partē recipiūt, horum omnium exactissima habenda est ratio, in primisq; ea quæstio, cõsultum ne sit atq; expediat ea curare, an verò nõ, à nobis est discutienda: quæ profectò, mea sententia, haud facile dissolui potest. Neq; enim tantū videtur turpe, sed inutile etiam atq; incõmodū, perpetua eius morbi molestia detineri. & cùm humor malignus sit, & exacto sensu præditus locus, & qui facile afficiatur, deterioris etiā morbi metu perpetuo torqueri. Ex aduerso tamen eorum curatio suspecta nobis esse debet: cùm enim praua omnia excremeta diu iam natura per eum locū perpurgare cõsueuerit, fieri facile possit, vt curatis vlceribus, humores intra corpus retinerent, qui postea in nobiliore aliquem locum de-

lati, deteriores illic affectus crearent, quemadmodū frequenter contingere videmus. Hæc igitur mea est sententia, hæc vlcera diligēter esse tractanda, & cū eorum sint tria, duo esse penitus curanda, ac solidanda, tertiū verò apertū est relinquendum, quod sanè si in fistulam degeneraret, nostris fortè rationib. minimè incōmodum putarem. Hoc verò & rationi & Hippocratis sententiæ valde consentaneū videtur, qui in hæmorrhoidū curatione, vbi quis, eius consiliū secutus, claudere illas velit, vnam semper apertam relinquendā esse dixit: eundem proculdubio diuinus ille vir scopum sibi proponens, in quem nunc etiā nos intuemur, scilicet ne ob plures hæmorrhoidas locus ille violaretur, aut ob nimia sanguinis copiam corpus labefactaretur. Atq; ideo omnes occlusas noluit, vt aliquis naturę exitus pateret, per quē solitas iam expurgationes moliretur. Quod itaq; de hæmorrhoidib. Hippocrates dixit, id nos nunc de illis vlceribus pronunciamus. In ipsorū igitur curatione, iactis iam fundamentis innitentes, dicimus locum illum continuè & mundificandum & exiccandum esse, idq; minimè mordacibus, sed clemētibus ac lenibus medicamētis. In ablutionibus certè administrandis nulla alia re vterer, quàm hordei, fursuris, fabę minimè decorticatę, parietarię, anagallidis decocto: hæc enim omnia, & alia his similia, & mundificare, & sordes abstergere, sine vlla mordacitate aut calefactione possunt. Quod si aut dolor, aut non admodum rubicundus, aut inflammationi similis tumor eo in loco appareret, chamemelum, maluam, althæam, melilotum, ac his similia adderem. Vbi verò inflammatio aut purpureus rubor illic conspiceretur, quemadmodū ego aliquando vidi, tum nil aliud quàm solatri succū cum oleo rosaceo completo mixtum,

xtum, & mortario ac pistillo plumbeo in linimenti formâ redactû, admouendû existimarem. At verò si forte fortuna horû vlcerû curatio tâ felix esset vt ad cicatricê etiâ peruenirêt, & eo in loco nulla amplius esset affectio præter naturâ, in crurib. loco infra genu cômmodo, duo vlcera omnino excitanda esse suaderê, vt qui per curata iam vlcera fluere humor solebat, nouû, minus molestû, tutiorê & cômodiorem etiam exitû sibi patefactû inueniret. Hoc itaq; nulla ratione aut negligi aut prætermitti vellê, ne grauiori aliquo symptomate Vestra aliquâdo D. cum illud minimè suspicaret, corripere se animaduertat. Et hæc hæctenus de illis affectib. à quib. D. V. nunc affligit, à nobis sint dicta. Quòd si maiorê etiam diligentia & efficaciorê præseruationê cupit, aduersusq; omnia quæ euenire possût incômoda tueri se magis velit, côsulo vt bis in anno, vere scilicet atq; autûno, suo quodâ instituto, vniuersi corporis expurgationê molatur. Et vere quidê huiusmodi purgandi ratio comoda videretur. \mathcal{R} . Mannæ electæ \mathfrak{z} ij.

Cum iure pulli fiat potus: sumat tribus horis ante prandium. Deinde

\mathcal{R} . Syrupi acetosi simp. multæ acetosifatis

De betonica ana \mathfrak{z} j.

Aquæ cichoreæ destillatæ sine plumbo \mathfrak{z} iiij.

Misce pro vno syrupo, & sic pro alijs septê. Deinde

\mathcal{R} . Rhabarbari electi \mathfrak{z} ij.

Spicæ gr. x.

Incidantur & aspergantur vino aromatico, deinde infundantur in aqua lactis per horas x. postea facta diligenter expressione & colatura,

\mathcal{R} . Confectionis hamech \mathfrak{z} ij.

Mannæ electæ \mathfrak{z} j.

Misce, & fiat potio, dáda in aurora cû custodia. Atq;

hæc est quæ in vere cõuenit purgatio. Quo etiã tem-
pore si sanguis copiosus esse videret, id quod facilè
futurum credo, sanguinis missionè ex basilica dex-
tri lateris, post duos syrupos, summopere probarè.
Sanguinis autem mittendi pondus sit vnciæ v i i i.
circiter. In autũno, in medio scilicet Septembri, aut
initio Octobris, hæc purgandi ratio instituetur:

℞. Floris calsiæ 3 xij.

Cinnamomi 3 ij.

Misce, & fiat bolus cum saccharo, dandus hora vna
ante prandium. Deinde

℞. Syrupi de cichorea Nicoli sine Rhab.

De fumoterræ simplicis ana ʒ j.

Aquæ boraginis destillatæ sine plumbo ʒ iiii.

Misce pro vno & sic pro alijs, vsque ad septimum.

Deinde

℞. Rhabarbari electi 3 j.

Spicæ gr. v.

Incidantur, & infundantur in aqua lactis per horas
decem. Deinde facta diligenti expressione, cola-
turæ adde:

℞. Syrupi rosati solutiui ʒ iij.

Electuarij rosati Mesuæ 3 ij.

Misce, & fiat potio, danda in aurora cum custodia.
Hisce pharmacis in dictis anni partibus corpus ex-
purgabitur: neq; vnquam hoc & sacchari rosacei v-
sus intermittetur. Illud autem potissimum V. Illust.
D. suadeo & consulo, vt in nulla vnquam anni par-
te saccharum rosaceum omittat: cõmoda verò illud
accipiendi hora erit ante cibum. Medio autem in-
ter vnam atq; alteram purgationem tempore, vt cer-
tior adhuc sit præseruatio, si fortè grauiorem se fa-
ctam aut nimis incaluisse se sentiat, consulo vt x. aut
x i i. drachmas floris calsiæ in bolo, aut 3 j. rhabar-
bari

bari cum saccharo rosaceo, aut in iure pulli mannae electae uncias duas accipiat, ex his enim illud eligit quod magis arridebit, & natura commodius ac facilius feret. Quod si optio mihi daretur, & natura etiam facile ferret, reliquis omnibus cassiam, ut quae omnes humores euacuat, sanguinem puriorem reddit, & vniuersum corpus integrum efficit, praefendam existimarem. Quoniam autem fieri potest ut Gallica lues, ob aliquod erratum, suae infectionis germen aliquod edat: nam progressu temporis fieri vix potest quin reuertatur, potissimum autem cum quis grauibus negotijs implicatur, per varias regiones peregrinatur, & frequens etiam est in itineribus: propterea danda opera est, ut si quod huiusmodi symptoma exoriat, opportuna illi auxilia adhibeantur: eo enim magis hoc a nobis est metuendum, quo ego certius statuo Gallicam hanc luem ex eo corpore in quo semel egit radices, penitus tolli non posse: quanquam ita mitigari atque extinguere posse non nego, ut per longum temporis interuallum, nullam molestiam faceat. Si quando igitur eiusmodi lues infestaret, ad vnicum illud ac salutare auxilium, summa Dei beneuolentia ad eius morbi curationem hominibus concessum, confugiendum esse suaderem. Illud autem ligni Guaiaci est decoctum. Quod sane quoniam non vna ratione parari video (alij enim solum decoquunt lignum, alij corticem etiam addunt: aliqui etiam ex vino, & eo nunc potentiore, nunc autem mediocri parant: multi quoque diuersa alia simplicia medicamenta, ipso ferè auditu nonnunquam horribilia adiungunt) ego qua ratione in eo parando vti sum solitus, & quam non minus tutam quam vtilem longo usu sum expertus, cum ex methodo atque artis ipsius principijs illam didicissem,

inferius describam. Illud autem ijs qui cum fructu Guaiaci decoctum sunt bibaturi, necessarium in primis præceptum puto, scilicet vt exactissimè sint purgati, & diligenter etiam illis missus sit sanguis. Ipse enim vsus satis docet, eos omnes qui non absolutissimè antea fuerunt purgati, non magnam vsque adeo ex eo potu vrilitatem adipisci, vtcunque etiam omni adhibita diligentia, & optima victus ratione seruata, decoctum illud bibant. Ego itaque totam purgandi rationem, quam antequam ad decocti exhibitionem accedam, administrare sum solitus, initio describam: deinde, qui modus & ratio temporis sit seruanda, tam dilucidè tradam, vt quisquis meum hoc præscriptum sit secutus, illam curationem nullo errore instituere possit. Huiusmodi igitur est purgandi ratio:

℞. Mannæ electæ $\frac{3}{4}$ ij. s.

Dissoluatur in iure pulli, & per horâ vnam ante prandium propinetur. Deinde

℞. Oxymellis simpl.

Syrupi de cichorea Nicoli ana $\frac{3}{4}$ j.

Aquæ betonicæ $\frac{3}{4}$ iiij.

Misce pro vno, & sic pro alijs septem.

Post vnum atque alterum syrupum, mos mihi ferè perpetuus est in alijs, vt uncias octo aut decem sanguinis mittam. Eum mihi morem esse in alijs dixi: nam si fortè Illust. D. V. paulò antè missus esset sanguis, quid sibi sit faciendum intelligat. Post syropos, inferius descriptum purgatorium medicamentum est assumendum.

℞. Syrupi rosati solutiui $\frac{3}{4}$ iiij.

Confectionis hamech $\frac{3}{4}$ iiij.

Misce, & cum aqua betonicæ fiat potus. Detur in aurora cum custodia.

Post

Post purgationem, per duos dies sacchari rosacei vncia media, bis in die, per horam ante cibum sumitur, & inferius describendi fyrupi interim preparantur.

℞. Myrobalanorum citrinorum

Chebulorum

Indorum

Emblicorum

Belliricorum ana $\frac{3}{4}$ s.

Contundantur crasso modo, & fricentur manibus cum oleo amygdalarum dulcium, deinde infundantur in aqua fumiterræ & endiuix lib. vij. per horas xxxiii. & hæ aquæ destillentur in alembico vitreo, in balneo Mariæ: & destillatio per plumbū aut per aliud metallicum, omnino euitetur. Deinde

℞. Epithymi

Thymi

Polypodij

Foliorum senæ

Liquiritiæ rasæ ana 3 vj.

Seminum citri 3 ij.

Corticum radicem ellebori nigri 3 iij.

Decoquantur omnia simul lento igne, ad dimidium. Deinde facta diligenter expressione & colatura, decoctū cum oui albumine purificetur, & sacchari additione dulcescat, & seruetur pro sex syrups, qui modo infra descripto exhiberi debent.

℞. Syrupi de corticibus citri $\frac{3}{4}$ ij.

Decocti suprascripti $\frac{3}{4}$ vj.

Propinetur mane calidum. Eiusmodi ferè est plurimis conueniens dicti fyrupi pondus: in nonnullis tamen maior est ea dosis quàm expediat: nec eius decocti plures quàm quatuor vnciæ, alternisq; tantum diebus, nonnunquam etiã tertio quoq; die, sunt

exhibendæ. A V. igitur Dominatione summa cautio
 est adhibenda, nec nisi quantum commodè ferre, &
 à quo moderatè etiam euacuari possit, est assumen-
 dum. Sex tamen omnino syrups, antequàm ad Gua-
 iaci decoctum accedatur, sunt bibendi: omni enim
 periculo vacant: moderatè euacuant, & sine custo-
 dia sumuntur: multi etiam ad consueta se conferunt
 munia, & negotiant. Post dictos iam syrups, Gua-
 iaci decoctum, modo inferius describendo, est biben-
 dum. ℞. Ligni Guaiaci optimi, ex trunco crassio-
 re, nigro & graui, lib. j. Lima redigat in puluerem,
 & infundatur in lib. xiiij. aquæ destillatæ iam dictæ
 per horas x x i i i i. in testa ampla, munda, & probè
 cooperta: postea decoque donec dimidium absuma-
 tur, atque interim quæ supernatat spumam detrahe:
 deinde colo transfundatur, ac leuiter exprimatur, &
 in vitreo vase diligenter obtecto seruetur. Hoc ve-
 rò totum in octo syrups est partiendum, qui in qua-
 tuor diebus bibantur, singulis diebus duo, manè sci-
 licet ac vesperi: ea tamen adhibita cautione, vt sy-
 rus nunquam, nisi horas minimùm octo post præ-
 cedentem, tres autem ante subsequenter cibum bi-
 batur. Atque hæc optima est tempus diuidendi ra-
 tio. Absumptis autem hisce syrups superius dicta ra-
 tione, alij parari debent, eaq; diligentia adhiberi, vt
 antequàm priores absumentur, alij ita præparentur,
 vt in eo decocto bibendo nulla fiat interpolatio,
 sed continuè, omni alio potu neglecto, illud tan-
 tum bibatur. Hæc verò ratio per dies saltem qua-
 draginta est obseruanda. Mensa autem eiusmodi esse
 debet, qualis à me nunc describetur. In primis
 decem diebus, tam in prandio quàm in cœna, panis
 vnciæ tres plus minus, & gallinacei pulli iuuenis, me-
 diæ inter perdicem & coturnicem magnitudinis, di-
 midium,

midium, sumetur. Potus erit vinum maximè imbecillum, aut probe dilutū. album magis probo quàm rubrum: nigrū autem aut crassum minimè esse oportet: vnusq; vni mensæ cyathus erit fatis. Præteritis hisce decem diebus, per x x. dies subsequentes, vinum & caro sunt prætermittenda: cibus erit panis supra descriptus, & vnciæ duæ passularum, quæ optimæ sint, dulces, & per lotionem probè mundatæ. Potus erit eiusdem Guaiaci decoctum, ex quo syrapi sunt præparati: illud enim in optimæ aquæ communis lib. xx. donec quarta pars absumat, iterum est decoquendū, ac tum per colum diligenter est transfundendum, valideq; etiam exprimendum. Hic erit in mensa potus: cui si sacchari paululum addendum videbitur, non repugno. Post hosce viginti dies, priorem illam viuendi rationem denuò instituet, ac per decem reliquos dies vinum ac pullum adhibebit, atq; ita totum illud curriculum absoluet. Illud tamen interim etiam est obseruandū, vt singulis decem diebus, tribus ante prandium horis, mannam hoc modo paratam sumat:

℞. Mannæ electæ ℥ ij. s.

Dissoluatur in iure pulli. Illud autem in primis est necessarium, vt post Guaiaci decoctum, saltem per sex menses, V. D. Illust. optimis alimentis ac vino maximè imbecillo vtatur, probeque etiam seipsam exerceat, si modò eius potionis commoda, ac legitimum fructum consequi cupit. At verò cum V. D. Illustrissimæ, ob Gallicæ luis infectionem, duo symptomata & visu indecora, & politicæ viuendi rationi valde incommoda soleant accidere, ideo si quando alterutrius indicia apparerēt, illis occurrendum, ac præuertendum esse existimarem. Porrò symptomata sunt maculæ, & in vniuerso corpore pustulæ

quædam erumpêtes, ac pilorum interitus. Posterius longo vsu probatissimis mihi auxilijs tolletur, quorum hoc est primum:

℞. Myrrhæ electæ

Aloës

Laudani

ana $\frac{3}{4}$ ij.

Foliorum & baccarum myrti

Capillorum Veneris

Florum alchannæ seu ligustri

ana man. ij.

Contundant omnia per se, deinde misceant, postea

℞. Olei amygdalarum amararum

Sesamini

De alchanna

ana $\frac{3}{4}$ vj.

Misceantur omnia simul, & permittantur fermentari in vase fictili stricti orificij, optimè lutato cum luto sapientiæ, vel sub sole feruentissimo, vel sub fimo per dies quindecim: postea destilletur hoc totum ab optimo destillatore, & separetur aqua ab oleo, & seorsum vtrunque seruetur: erit enim vtrunque ad vsum vtilissimum, illinendo loca quæ indigent instauratione pilorum. Aliud:

℞. Lacertorum viridium

num. v.

Apum

$\frac{3}{4}$ vj.

Propoleos, vel ceræ virginis

$\frac{3}{4}$ iiij.

Capillorum Veneris

Myrtillorum

ana m. ij.

Abrotoni syluestris

$\frac{3}{4}$ viij.

Exiccantur animalia in vase fictili in furno, deinde puluerizentur, postea contundenda contundantur, & liquefacienda liquefiant. Deinde

℞. Adipis vrsi

lib. j.

Pone omnia simul, & fermententur in vase vitreo bene obturato, vel in fimo vel in sole feruentissimo per dies tredecim, deinde destilletur, & separetur aqua ab oleo,

ab oleo, sicut dictum est, & seruetur ad usum, Aliud:

℞. Croci	3 ij.
Aloës	
Myrrhæ	ana 3 iij.
Laudani	3 iiij.
Olei amygdalarum amararum	
Adipis vrsi	ana 3 vj.
Capitum muscarum puluerizatorum	3 j.

Misceantur omnia simul, fermententur & destillentur vt suprà. Singula iam commemorata auxilia, instaurandis pilis valde sunt opportuna, eosq; & solidiores & venusto colore præditos reddunt. Alia quidem plura ad eandem rem sunt auxilia: at ego ea quæ ex Gallica lue tantùm deciduis pilis accommodata sunt, delegi. Quòd si quis & simplicium medicamentorum quibus ea constant facultates diligenter consideret, & cur in Gallico morbo decidant atque intereant pili, perspectas habeat causas, vera esse quæ superius dixi facilè intelliget. Quòd verò ad alterum illud symptoma, maculas scilicet cutisq; asperitates attinet, stillatitias aliquot aquas valde egregias, & illis tollendis opportunas, adscribam. Hæc autem quæ nunc à me describetur, omnium est efficacissima.

℞. Ellebori albi

Nigri	ana man. ij.
Lapathij maioris viridis	lib. ij. (3 iij.
Cucumerum syluestriū, quos asininos vocant,	
Carnis melonū recetiū cū suis seminib.	lib. iiij.
Carnis & succi limonum	lib. iiij.

Misce omnia simul, & per tres dies permittantur fermentari: postea destillètur per alembicū vitreum, & aqua seruetur, est enim ad quaslibet maculas cutis, & asperitates tollendas efficacissima. Aliud mitius:

℞. Lupinorum recentium non ablutorum	lib. j.
Radicum liliorum alborum	℥. vj.
Amygdalarum amararum	lib. ij.
Succi parietariæ	lib. iij.

Ponantur omnia simul, & nō permittantur putrescere, sed statim destillentur, & seruetur aqua & oleum.

Aliud:

℞. Salis nitri	℥. iij.
Olei amygdalarum amararum	lib. ij.
Scillæ	lib. s.
Carnis limonum	lib. j.

Misce, & extrahatur oleum, ad hunc vsus efficacissimum: absterget enim egregiè, & mundificabit cutim, vbi etiam fuerit principium lepræ.

Consult. LXVII. De tumore splenis post diuturnam febrem, pro Reuerendo Boschetto Mediolanensi.

Reuereendus Dominus Ludouicus Boschettus, post longā febrem passus est & patitur tumore durū in splene multæ duritiei & magnitudinis. Pro cuius curatione, si ex toto fieri poterit, ordinandū est in primis regimen in cibo & potu, subinde deueniendum est ad medicinalia. Quantum ad cibos attinet, euitandi sunt omnes humores crassos generantes, necnon & humores melancholicos facientes, qui habebuntur in consilio de melancholia postea, & in alijs omnibus ferè. Elixia plus conueniunt, quàm assata: non tamen ex toto prohibetur vsus assatæ carnis, præsertim paruuarū auium. Pisces sint maritimi, vel de flumine currenti petroso, squamosi. Oua recentiora, ac tremula. Ex oleribus cōceduntur beta, borago, spinachia, lupuli, asparagi, artichiochi, endiuia, cichorea, & lactuca tēpore calido.

Cappares

Cappares cum aceto & oleo conditi, & aliquãlitate cocti, conueniunt ante alios cibos: similiter sardellæ vel anguillæ salitæ cum aceto & oleo conditæ ante alios cibos conceduntur: oliuæ etiam mediocriter salitæ interdum conceduntur. Aromatum, item porri, allij yfus, & cæparum, prohibetur, æstate maxime, hyeme verò non nisi paucus conceditur. Aceto & acetosis uti licet. Fercula sint ex rebus supra concessis: brodium vel ciceris, vel caulium, vel raparû. Ex fructibus cõceduntur vua & ficus bene maturæ, tam virides quàm siccæ, pistacia, amygdalæ: tempore autem calido interdum concedo passulas, pruna bene matura, ac melopepones. In potu vitet aqua: vitinum autem sit antiquû, album, quod modicè flauum dicunt vel medij coloris, mediocris potentia, subtile, boni odoris & saporis, non dulce, velut nouum, crassum, & turbidum, nigrû. Euitanda sunt ciborum & potus repletio, & varietas: saccharo & melle cum alijs cibus rarò vtendum est. His obseruatis, ineunte vere extrahatur quinque vel sex vnciæ sanguinis ex basilica sinistri lateris, nisi fortè sanguis hæmorrhoidalis multùm fluxerit. Subinde capiat infra scriptum syrupum, & medicinam:

℞. Radicum tamarisci

Scolopendriæ, quæ cetrach dicitur

Chamædryos ana man. ij.

Corticû radicem capparum ℥ ij.

Contundantur, & decoquantur in libris octo aquæ ad cõsumptionem medietatis, & huius decoctionis accipe libras quatuor: mellis, aceti, ana librâ vnam, & fiat oxymel.

℞. Supra scripti oxymellis ℥ j s.

Aquæ cetrach ℥ iij.

Miscet, & fiat syrupus. Deficiete aqua cetrach ponat

tur aqua decoctionis tamarisci, in qua sæpe ferrum ignitum sit extinctum, & capiat singulo die vnū vsq; ad septimū. Deinde capiat medicinā infra scriptam:

℞. Polypodij

Folliculorum senæ

Stœchados

Passularum

Liquiritiæ

ana ʒ s.

Myrobalanorum Indorum

ʒ iiij.

Decoquantur in libris tribus aquæ lactis, donec remaneant vnciæ nouem: deinde addantur epithymi drachmæ sex, bulliât vnica ebullitione, & factâ colatura addantur floris cassiæ drachmæ sex, specierum hieræ simplicis scrupuli duo, & fiat potio, quam capiat summo mane, & tardet prandium horis sex. Facta purgatione, quæ reiteretur, si opus esse videbitur medico adstanti, sit frequens vsus electuarij infra scripti in quâtitate drachmæ manè, bibendo post vncias tres flauii vini, decoctionis tamarisci, cetrach, corticum radicum capparū, chamædryos, partibus æqualibus.

℞. Cetrach Chamædryos

Radicum tamarisci

Corticum radicū capparum

ana ʒ vj.

Ammoniæ

Rubæ tinctorum

ana ʒ iiij.

Polij

Artemisię

ana ʒ iiij.

Galbani

Seminum hyperici

Nigellæ

Amygdalarum amararum

ana ʒ ij.

Cardamomi fructus

Periclymeni

ana ʒ j s.

Amæ

Ammoniacum dissoluatur cum aceto, & omnia excipiantur oxymelle scillitico, & fiat electuarium. Applicanda spleni exterius sunt mollientia, subinde resoluentia, vel miscenda mollientia cum resoluentibus. Sit igitur frequēs vsus inunctionis lienis cum oleo infra scripto :

℞. Corticum radicum capparum
 Foliorum tamarisci ana ℥ j.
 Olei communis lib. ij.
 Vini albi boni ℥ vj.

Decoquantur simul ad consumptionem vini. Item

℞. Cerae
 Olei antiqui
 Ammoniaci ana ℥ vj.
 Croci ʒ ij.

Aceti quantum sufficit ad dissoluendum ammoniacum, & fiat in forma ceroti. Item sit vsus frequēs vnguenti de arthanita parui, descriptionis Mesue, & loco applicetur vel succus cetrach, vel succus ebuli. Item accipe salis vsti quantum sufficit, dissoluatur in succo tamarisci, vel cetrach, vel in decoctione corticum capparum, & cum vesica actuali caliditate saepe lienis applicetur. Item

℞. Visci quercini vj.
 Calcis viuae s.
 Corticū radicū capparum ij.
 Picis liquidæ s.

Dissoluatur viscus ad ignē cum pice liquida, cætera puluerizata misceantur, & lienis applicentur. Item

℞. Cerae
 Terebinthinæ
 Picis ana ℥ iiij.
 Auripigmenti
 Calcis viuae

Aluminis

Myrrhæ ana ʒ iij.

Aceti quantum sufficit.

Auripigmentum, calx, alumen & myrrha cum aceto dissoluantur, & cum cæteris excipiantur in forma cæ-
rati, quod vltimò post reliqua applicetur. Item

℞. Cerae

Picis Resinæ

Adipis tauri ana ʒ iiij.

Baccarum lauri ʒ iij.

Salis vsti

Ammoniaci ana ʒ j s.

Aceri quantum sufficit ad dissoluendum bac-
cas lauri puluerizatas, sal, & ammoniacum, & fiat ce-
ratum. Item

℞. Corticum radicum capparú ana ʒ j.

Foliorum tamarisci

Cetrach

Chanædryos ana man. j.

Rubeæ tinctorum ʒ j.

Cardamomi ʒ s.

Rutæ siccæ man. j.

Piperis ʒ iij.

Anisforum

Fœniculi ana ʒ s.

Decoquantur omnia in aceto acerrimo pro fomen-
to faciendo cum spongia supra lienem, post vsu-
men mollientium. Item

℞. Bdellij

Sepi vitulini

Ammoniaci

Radicum ireos ana ʒ ij.

Opoponacis

Galbani

Bac-

Baccarum lauri
 Styracis
 Thuris ana $\frac{3}{4}$ j.
 Piperis grana num. clx.
 Cera
 Terebinthina ana $\frac{3}{4}$ vj.
 Vini quantum sufficit. Fiat ceratum.

Et quoniam pleraque cerata sunt fortia, ante purgationes quatuor primis vti poterit, post purgationes autem quibuslibet.

Consul. LXVIII. De intemperie frigida splenis, cum tumore insigni, cruditatibus uentriculi, & corporis atrophia ac decolorationibus, cum metu futuræ aquæ inter cutem, pro nobili Polono quadragenario.



Portet vt nobilis iste vir, si curari debet à longa & difficili ægitudine, quæ est præcipuè intèperies frigida splenis cum tumore satis insigni, ex qua postea multarum dispositiones præter naturam cõsequuntur, vt cruditates uentriculi, & in corpore, & in toto ambitu venarum, atrophie & decolorationes, ex quibus non immeritò timetur tandem aqua inter cutem: oportet inquam, si ab his sæuis dispositionibus liberari cupit, vt præcipuè habeat exquisitissimã victus rationem, quæ competat primario morbo, sine qua diutissimè & diligentissimè seruata, frustra medicorum implorabit auxilium. In primis igitur eligat aërem in quo habitat subtilem, minimè palustrè, minus frigidum quàm fieri possit. In quo aëre cauebit etiam ab omni excessu ventorum, vbi postea sereno cœlo & tranquillo se exercebit in venationibus, & eius-

eiusmodi motibus nobiles. Laudo huiusmodi exercitium, si modò suo tempore fiat, videlicet manè, vel paulò ante cœnã. Euitet omnes animi molestias, sed iram præsertim & mœstitiã. Manè surgat diluculo, septem horis dormiat, caueat à meridiano somno, esset enim illi admodum lethalis. Deambulet & exerceatur in cubiculo proprio, motibus, frictionibus, pectionibus, cantu, lectione alta, excernendo excrementa per sputum & tussim, queratq; reddere alui & vrinæ egestiones. Vbi verò hæc omnia peregerit diligēter, mundasq; & odoratas vestes induerit, tunc ad exercitium se cōferat extra domum, si serenitas cœli apparuerit: sin minus, intra domū se se contineat, ludendo pila, vel gladio, vel alio aliquo exercitio. Bis in die, nō amplius, comedat, idq; satis parcè, vnoq; cibarij genere contentus sit, & illud sine aromatibus sit, sed cum modico croci & cinnamomi tantum. A vino etiã caueat crasso, dulci, nigro, & potenti: sed eligat tenue, album, clarum, pauciferum, quod etiam parcè bibat. vel si assuetus sit ceruisiã, illam bibat moderatè, bene tamen cōfectam: hic enim morbus maximè requirit temperantiam. Ergo cauebit à cōpotationibus. Inter prandiū & cœnam nihil nec comedat nec bibat. Cibaria sint, carnes iuuenum pullorum, hædorum, vitulorū, auium campestrium, vt sunt perdices, phasiani, aues parvæ, oua forbilia. Nec vitupero in ferculis hordeum, far probè concoctum, si parcè vtatur, præcipuè verò addito croco. A reliquis ferculis absteineat. Pane vtatur madefacto in iure carniū cum petroselino, & modico cinnamomo. A piscibus omnino absteineat, & à cibarijs arte confectis, sicut à tortis, pastillis, & omnibus lacticinijs, à leguminibus, oleribus, à carnibus antiquis, & omnibus cibis crassis & seruilibus. Pa-

CONSULT. MEDICIN. 352

nem azymum, vel malè coctum ne comedat, nec ali-
quod placentarum genus. Quantum ad medicinas,
hoc primū obseruet, vt & vere & autumnō, quous-
que perseueret hæc mala dispositio, euacuetur mo-
do infrascripto:

℞. Floris casisæ $\frac{3}{4}$ j.

Sumat hora ante prandium. Deinde

℞. Oxymellis simplicis
Syrupi de absinthio ana $\frac{3}{4}$ j.

Decocti polypodij

Cetrach

Endiuicæ $\frac{3}{4}$ iij.

Misce pro vno, & sic pro alijs septem. Deinde

℞. Confectionis hamech 3 iij.

Trochiscorū alhandal gr. x.

Misce, & cum zuccharo fiat bolus, fumendus in au-
rora cum custodia. Postea interquiescat per duos
dies, & iterum accipiat zuccharum rosatum semper
ante prandium & cœnā per duas horas. Deinde su-
mat istos syrupos:

℞. Myrobalanorum Indorum

Citrinorum

Emblicorum

Chebulatorum

Belliricorum ana 3 iij.

Contundantur grosso modo, & fricentur manibus
cum oleo amygdalarum dulcium. Postea infundan-
tur per diem & noctem in lib. x. aquæ fumiterræ, po-
stea decoquantur ad consumptionem tertiæ partis.
Postea adde Corticū radicū ellebori nigri 3 iij.

Liquiritiæ

Polypodij ana 3 vj.

Seminum citri $\frac{3}{4}$ s.

Bulliant donec remaneant libræ quinque. Postea

Adde folliculorum senæ

Epithymi Cretensis ana $\frac{3}{4}$ j s.

Bulliant, donec remaneant libræ tres. Vltimò colentur, & exprimantur, & seruetur decoctum. Postea

℞. Eiusdem decocti $\frac{3}{4}$ vj.

Syrupi de infusione ros. $\frac{3}{4}$ j s.

Misce, & detur manè hora syrui. Sumat autem per sex dies continuos: sed si nimium euacuarent, sumat alternis diebus: deinde quiescat, & vtatur victus ratione præscripta. Erit autem tempus veris & autûni, in quo euacuabitur. Inter hæc verò tempora placet vt familiares habeat pilulas, quibus vtei ter in mense hora ante cœnam.

℞. Succu cetrach

Chamædryos

Polypodij recentis ana $\frac{3}{4}$ j.

Exiccantur in vmbra secundùm artem. Deinde

℞ Agarici electissimi

Rheubarbari electi

Aloës hepatici ana 3 iij.

Gingiberis

Cinnamomi

Garyophyllorum ana 3 j.

Salis gemmæ $\frac{3}{4}$ j.

Misce, cû melle rosaceo fiat magdaleon, de quo fiât pilulæ pro singula drachma tres, sumendæ vt supra.

Consult. LXIX. De tensione hypochondrij dextræ ex affectu frigido hepatis.



Tatisfaciam officio meo, quatuor proponâ. Primum erit explicatio omnium symptomatum, quibus affligitur Nobilissimus iste vir. Secundò est quærendum, quis sit locus principaliter affectus patiens, vel dans

dans occasionem symptomatibus: & simul ægritudi-
 nem quæremus, an vna vel plures sint. Tertiò viden-
 dum, qui mores, quod tempus, quis motus, qui ter-
 minus, & quæ causæ tam extrinsecæ, quàm intrinse-
 cæ. Hæc sunt à nobis dicenda. Circa symptomata, vt
 à notioribus incipiam, primùm quod occurrit, & ma-
 nifestè apparet, est tensio hypochondrij dextri circa
 costas mendosas in regione ventriculi cum dolore,
 vt vix percipiatur, cum leuiter comprimitur: si verò
 fortius cõprimatur, manifestè percipitur. Secundũ
 quod apparet, est tensio in toto ventre inferiori, ita
 quòd dextra ventriculi regio, intestinorumq; regio
 inferior tument præter naturam. Præterea conque-
 ritur de dolore, qui incipit, vt ipse asserit, à spina, &
 extendit se vsque ad vtrunque renem, percipitq; in-
 tendi cum mouetur, ascēdit scalas, & se exercet. Ha-
 bet præterea egestionem liquidam, & quod notandũ
 est, quandoque veluti loturam carnis egerit. Vrinam
 tenues & varias habet, aliquando fuluas, aliquando
 albescentes. Conqueritur aliquando, sed rarò, quòd
 nauseam patitur cum deiectione appetitus. Principa-
 lia verò symptomata sunt, tensio dextri hypochon-
 drij cum dolore dorsi, qui ad vtrunq; renem exten-
 ditur. Habet præterea in toto corpore non quidẽ a-
 trophiam, sed dispositionẽ ad cachexiam, quia non
 videtur mihi admodum emaciatus, habet tamen car-
 nem subtumidam. His ita existentibus symptomati-
 bus, oportet primò considerare locum affectũ, an sit
 vnus vel plures: secundò, dolorem & tumorem hy-
 pochondrij dextri, quoniam ex eis causas omnium
 symptomatũ inueniemus. Nulli dubiũ est, quòd ibi
 est dolor & tumor: & ex quo est in dextra parte pro-
 pe costas mēdosas in regione ventriculi, nemini du-
 bium est ægritudinem facientẽ hæc duo symptomata.

ta esse vel in hepate, vel in ventriculo, aut in musculis exterioribus. Sed quòd non sit in ventriculo, ex actionibus vetriculi apparet, quia actio læsa indicat affectionem: & quia non videmus actionem aliquam ventriculi læsam, non possumus dicere esse in ventriculo. Quo ad virtutem appetendi, licet non appetat vt solitus est appetere, comedit tamen: & licet eueniat vt videretur affectus cõtentiue, quia rarò id accidit, ratione obiecti videtur cõtingere, cum multũ & copiosissimè bibat & comedat. Præterea non habet fluctuationẽ in ventriculo, quod est signum, iuxta Galeni sententiã in tertio de causis morborum, pathognomonicum, cum virtus contentiua est affecta: quia cum non continet ventriculus quantum & quomodo oportet, fluctuationes apparèt. Ideo quantum ad contentiuã, bene se habet. Quo etiam ad coctionem, ex egestionibus non apparet læsio: & licet sint liquidiores, nõ valet propter hoc quòd non sint concoctæ, quia quo ad substantiam & colorem sunt concoctæ. Quare autem sint liquidiores, dicemus. Cum igitur omnes operationes sunt sanæ, igitur videtur sanus ventriculus. non dico sanum, quin dicam esse diminutum, quia ventriculus patitur per consensum membri affecti propter propinquitatem, imò reliqua membra naturalia compatiunt. Si igitur nocumentũ est in ventriculo, illud est ratione cõpassionis. Cum igitur non sit in ventriculo ægritudo factiẽs illa symptomata, erit vel in musculis, vel in hepate. Sed nõ est in musculis, quia dolor est obtusus per cõpassionẽ, & vix percipitur, nisi fortiter cõprimatur. Præterea reliqua signa etiam apparent, quæ indicant affectionem hepatis. Erit igitur in hepate, tum quia dolor & tumor sunt in regione hepatis, & vbi dolor est continuus, ibi est ægritudo. Cum ergo in
dextra

dextra parte sit, & non sit nec in musculis exterioribus, nec in ventriculo, ergo in hepate est. Iste discursus mihi videtur rationabilis, & sic locus affectus inuentus est iudicio meo. Sed hinc difficultas est, quæ sit ægritudo in loco isto. Dicam sententiã meam (saluo semper meliori iudicio) non quidem animo contradicendi, sed ut id quod sentio pro rei veritate in medium adducã. Mihi inquam videtur quod ægritudo hæc, quæ in hepate est, nullo pacto sit calida, sed prorsus frigida: & dicam coniecturas, quæ me mouent, ne videar ad placitũ loqui. Primum est totius cutis decoloratio, quia color plumbeus videtur esse in toto, qui attestatur super dominium frigiditatis. Et maximũ quod vrget me, & persuasit ut id crederem, fuit, quia ipse dixit, quod omnes in patria sua admirabantur, & percunctabãtur ab ipso, cur ita decoloratus esset. Cũ igitur indicet color priuationem sanguinis laudabilis, ad liuiditatem tendit. Sufficit ergo quod plumbeus color super dominium frigiditatis attestatur, quia Galenus v. 1. de tuẽda valet. dicit, colorem dominium humorum attestari, nisi ad profundum decumbant: rarò tamen (inquit ipse) ad profundum decumbunt. Sed præter illum colorem, est illa dispositio præcedens: quia scitis quod proprium munus hepatis est sanguinem facere: quando temperatura ipsius excedit per caliditatem, assat sanguinem, & calidiore facit, & corrumpit: cùm autem sanguis calidior multiplicatur in toto, & superassatur, nõ potest vniri nec assimilari, & tunc non cõtingit decoloratio, nec tumor, sed vlcera in toto vel in parte apparent, in quam præcipitatur humor. Ideo alia symptomata, & aliæ ægritudines sequuntur ad caliditatẽ intemperatã hepatis: hinc autem est potius diminutio, & infelicitas sanguinis, propterea quod

sanguis non concoquitur, & inde abundat sanguine crudo. Et ista videtur vna coniectura, vt credam frigidam ægritudinem esse in hepate. Sed aliæ sunt fortiores. Prima est, quia Galenus dicit in *VIII. natura rōnis*, quòd vbi in hepate est mala temperatura frigida, virtus alteratrix afficitur, vt liquidæ appareât egestiones, similesque loturæ carnis: & hæc indicant ægritudinem frigidam. Sed vltra autoritatem Galeni, ratio hoc indicat & dicit, quia hepar non potest deducere chylū ad rectam formā sanguinis, ideo regurgitat ad intestina, & apparet lotura carnis. Quòd etiam ibi adsit frigiditas patet, quia non fit attractio chyli vt oportet, quia vbi est affectus calidus, non solum non deficit attractio, sed fortior fit. Nec debet dici, omnem dyscrasiam corrumpere actionē, & deficere: verum quidem est quòd corrumpit actionem naturalem, sed vbi fiat excessus per calidum, deficit ex superabundantia caloris coctio, & corrumpitur, nec fit actio: deficit autem, quia superassat, & superat. Ita vbi est caliditas in excessu, quanto maior caliditas erit, tanto maior fiet attractio, non quidem secundū naturam, sed præter naturā, quia plus attrahit, quàm oportet. Præterea dicit Galenus, si in hepate talis affectus fuerit, & diutius perseverauerit, fiet temperatura frigida. Si ergo in isto perseverasset affectus calidus per quatuor annos, deuenisset ad tabem: sed potius in cachexiā deuenit. Præterea si tangimus, non apparet quòd ibi sit insignis caliditas: ergo non potest esse affectus calidus in hepate, nec in extremis, imò obtusa est. Et ista sunt signa, quæ mihi satis persuadēt, intemperiem frigidam esse. Diceret aliquis, quid dicis de egestionibus illis liquidis, & de vrina fulua? Dico quòd causā potest esse tam intrinseca, quàm extrinseca. extrinseca quidem,

dem, assumptio vini potentissimi inflammantis hepar alioquin naturaliter calidum insigni inflammatione. Intrinseca verò potest esse, quia ibi adsunt obstructions, nec liber est transitus humorum, qui generantur in hepate, congregantur in loco, calefiunt, & corrumpuntur, & hepar calefit, ex qua calefactione generatur postea bilis, quæ apparet per urinam, & per excrementa. Et ita possunt esse causæ tam intrinsecæ, quàm extrinsecæ. Præterea caliditas renum potest esse causa, quia stat quòd sit caliditas in renibus, & frigiditas in hepate superacquisita. Istæ sunt coniecturæ, quæ mihi persuadent, vt credam intemperiem frigidam potius quàm calidam esse in hepate. Vtrum modò sit intemperies sola, an verò præter eam sit aliquid aliud? Cùm ibi sit dolor ex compressione, & tumor in eodem loco præter naturã, ergo ibi est aliquod genus humoris præter naturã. Sed quod genus? Scitis ex Galeno, quomodo hepar ad scirrhus sit paratum. Ego vereor, & vtinam non sit, quòd ibi sit scirrhus, licet non insignis: sed tumor præter naturam frigidus, non quidem à melancholia, sed à pituita crassa causatus: quia scitis ex Galeno, scirrhum dupliciter fieri posse, vt inquit in secundo ad Glauconem, à melancholia, & à pituita crassa. Quòd autem crediderim esse ægritudinem compositã in hepate ex intemperie frigida & humida cum scirrho incipiente, & in conuexo hepatis, id me mouit, quia tunc percipitur talis tumor. Igitur mihi videtur quòd locus affectus sit hepar, & pars illa quæ amplectitur stomachum, & in parte eius gibba: & non solum intemperiem adesse, sed malam compositionem, principium scilicet scirrhi. Et hæc de essentia ægritudinis. Quantum verò attinet ad mores, ad tempus ægritudinis, & ad alia, credo mores esse pessimos.

Primò, quia in hepate est, & in mēbro nobilissimò, cum sit instrumentū generationis sanguinis necessarij ad vitam, ex quo generantur spiritus: ergo ægritudo mala est ratione membri. Præterea principium scirrhi est, & paucissimi possunt curari: & Galenus dixit, nunquam curatos esse scirrhos. Præterea est pessimorum morum, quia est maximus lapsus à naturali temperamēto, quia ex habitu totius corporis, & quia mores habet bellatoris viri, calidi est cordis & hepatis: & cum ad frigiditatem lapsus sit, maximus est lapsus, & ex consequēti ægritudinē credo malam esse. Præterea ratione subiecti, quia hic homo nō indulgebit præceptis nostris. Quo ad motum, quia ita tardus est, credo quòd sit chronicissimus, quia iam quatuor anni sunt, necdum apparet principiū. Ideo crediderim tum ex intemperie, tum ex ratione, scirrhi esse principium, quia omnia adhuc sunt imbecillia: nec frigiditas valida est vt faciat hydropem, bene credo vêturam. Quo ad terminum morbi, credo quòd in hydropem terminabitur, si verum est quòd talis sit intēperies, & scirrhus, & quia iam incipit turgere venter. Restat modò vt de causis tam intrinsicis quàm extrinsicis dicamus. Sed antequàm hæc dicamus, reliqua quæ sequuntur ad istam ægritudinem, explicabimus. Primò consequitur tumor tam in dextra, quàm in sinistra parte. Causa huius videtur manifesta, cum sanguis non sit sicuti oportet, sed pituitosior, flatuatur in locis subcalidis, & cum flatuatur in loco vbi sunt intestina, tunicæ intestinorum, omentum, abdomen, quæ partes dilatantur, implentur flatu, & intumescunt, & ad asciten vel tympanitem terminabitur. Et quia splen consentit, non attrahens facē suam, plumbeitas apparet, quia miscetur sanguini: præterea dolor in dorso consequitur, qui extenditur

extenditur ad renes. Credo quòd causa sit sanguis ille pituitosus delatus ad venam cauam in gibbo hepatis: cum ad venam illam defertur in loco calidissimo existens, ebullit pars illa, & ita apparet dolor in vena caua: & quoniam ramificatur in duas propagines ad vtrumque; latus, & ad renes distribuuntur, extenditur dolor vsque ad renes, propter venas illas quæ ad renes deferuntur. Augetur autem cum ascendit scalas, & cum exercet se, quia tunc turget sanguis magis per motum, & inflammatur magis frigida materia existens in venis copiosa. Etiam vrina multa consequitur ex plurimo potu, quia sunt apertæ viæ: & quoniam sumus adhuc in principio, non sunt sæua symptomata. quia ergo multum bibit, ergo multum vrinæ egerit. Quo ad causas illius intemperaturæ hepatis, à qua dependet alia symptomata, dico quòd aliquæ sunt extrinsecæ, aliquæ intrinsecæ, & corporeæ, seu antecedentes. Extrinsecæ quidem & manifestæ, quia audio virum intemperantissimum esse: ideo circa omnes res non naturales fecit multa peccata: & quia miles fuit, circa aërem, circa coitum inordinatè se habuit, & breuiter omnia fecit delicta, quæ fieri possunt circa sex res non naturales. Et eæ fuerunt causæ extrinsecæ & primitiue, ex quibus postea ortæ sunt obstructiones, propter crapulas, & maxime quia adest suspicio veneni assumpti. Sed nunquid possit venenum assumptum à quatuor annis citra, esse causa? Credo quòd non, nec possumus imaginari, quod genus veneni hæc fecerit symptomata. Bene possunt esse viri qui faciant venena, quorum notitia non deuenit ad nos. Sed quoniam ad tria capita venena omnia deducunt, quorum quædam per qualitatem manifestam frigidam interficiunt, aliqua per calidam, aliqua per occultam qualitatem: si fuerit venenum quod per frigiditatem

operatur, dicebat Galenus v. de simplici medicina, si prima die non operatur, statim cessat eius virtus: quia faciens moram non potest pertransire ad cor, & alteratur à calore innato, & non amplius fit venenum: cui si calidum quippiam permisceatur, facilius & citius penetrabit, & magis interficiet. Habentque sua signa: cerussa inficit dentes: mādragora, cicuta, & reliqua frigida ostendunt sua signa. Quia ergo pertransuerunt quatuor anni, ideo non potest esse suspicio de veneno frigido. Calida verò venena sunt illa, quæ per corrosionem operantur, vt auripigmentum, risigallum, sublimatum: vbi hæc fuerint assumpta, corrosionem faciunt, & vomitus æruginosus sequitur, nec deficit actio nisi fortè purgato toto corpore, cor fuerit corroboratum ex Mithridato: sed hæc confectio occurrit venenis, quæ à proprietate, & à forma occulta operantur. Si verò fuerit venenū quod à forma specifica operatur, statim interficit. Si fortè dixeris, ex pugna inter corpus & venenum talia sequi accidentia: non video quomodo id fieri possit. Posset aliquis dicere, inficitur hepar, sicut ex vulnere accidit, cum curatum est vulnus, remanet adhuc imbecillius membrum, ita poterit venenum causare qualitatem malam ex illa infectione. Dico, hoc posse quidem dici: sed si consideramus symptomata, illum leuem vomitum, non video quomodo tandiu potuerint perseuerare symptomata. Quantū ad signa illa iam dicta de fuga coqui, si ego essem iudex, essent signa efficacissima ad torturam. Sed si considerata fuerit res à propria essentia, fuga coqui potuit esse, quod cum hic sit vir magnificus & terribilis, timens eum aufugerit: sicut pinceræ Cardinalis de Medicis euenit, qui auditis querelis, quod Reuerendis. fuit veneno interceptus, aufugit timens, postea tamen com-
pertum

pertū fuit ipsum fuisse in re illa innocentissimū. Hęc
 volui dicere, vt ostendam signum nullū sumi à natu-
 ra rei de veneno assumpto. Sed quicquid sit de illa
 suspitione, quod potuerit facere huiusmodi imbecil-
 litatem, non variabitur cura, modò conueniamus in
 causa, & quæ sit temperatura in hepate. Quo ad cau-
 sas intrinsecas, credo tum ex malo regimine, tum ex
 veneno assumpto (si vultis venenū assumptum fuisse)
 multos humores crudos fuisse aggregatos obstru-
 entes, & intemperiem illam causasse, & adhuc mul-
 tam caeochymia perseverare vnà cum symptomati-
 bus. Et ex his quæ diximus, credo hæc fuisse sympto-
 mata, & quis locus affectus, & quæ ægritudo, & quæ
 causæ tam intrinsecæ quàm extrinsecæ. Remanet vl-
 timò, quomodo sit curanda hæc ægritudo. Circa quã
 curationē, sicut distinximus de causis & natura mor-
 bi, ita etiã in ipsa distinctè debemus procedere, quia
 tunc distinctas habemus indicationes, cum natura
 rei fuerit distincta. Indicationes autem curatiuæ po-
 tissimum à causa, & à loco affecto sumuntur: & quia
 causæ aliæ sunt intrinsecæ, aliæ extrinsecæ, de extrin-
 secis primò dicemus. Dico igitur cum rebus omni-
 bus extrinsecis attenuantibus esse procedendum ad
 calidum declinantibus, vt obstructiones aperiãtur,
 & crassi humores attenuentur, & intemperies mala
 tollatur, quæ tamen non sint eleuatæ in caliditate,
 quia causa faciens ægritudinem cum valida non sit,
 validis etiam nõ indiget. Ideo moderatè calidis vte-
 mur, quæ in primo calida sint: & sic ptisanam conce-
 derem, confectã tamen cum modico piperis vel cin-
 namomi: & reliqua mihi placerent, quæ currunt eo-
 dem cursu. Vinum moderetur in potentia, & tenue
 sit in substantia. Carnibus vtatur modicæ superflui-
 tatis, facilis decoctionis: & circa reliqua seruetur ra-

tio hæc, vt crudi humores non multiplicentur, nec
 obstructions, vel propter multitudinem somni, aut
 paucitatem exercitij. Quantum attinet ad causas in-
 trinsecas, est primò causa, quæ habet formam causæ
 antecedentis, præter eam quæ loco affecto coniun-
 cta est. Et cum in toto sit cacochymia, vt ex tempera-
 tura & ex colore apparet, ideo corpus primò mun-
 dificandum est ijs instrumentis distinctis: primò cu-
 ratione per secessum, secundò prouocatione vrinæ,
 tertio prouocatione sudoris vel diffusus per halitū.
 Et hæc tria credo esse necessaria. Per secessum autem
 euacuabimus, cauèdo ne exhibeamus medicinas tra-
 hentes à longinquo, vt dicit Galenus in secundo vel
 tertio de fac. nat. qui ait, quòd nimia euacuatio me-
 dicinarū validarum colliquat substātiā hepatis, &
 relaxat ita venas, vt præparetur ad recipiēdas super-
 fluitates: & præterea attraheremus cacochymiā ad
 locum affectum. Ideo benedictis medicinis vti debe-
 mus, quia cum his attrahimus ab hepate, splene, &
 ab intestinis: & nollem vt trāsiremus hepar, ideo rha-
 barbarum, manna, diacatholicon, lenitiuum, essent
 conuenientes medicinæ: & si modicum agarici vel-
 lemus exhibere, possemus, sed in modica quātitate,
 quia à longinquis attrahit, vt etiam à iuncturis attra-
 hat. Et hæc fiant quo ad euacuationem per secessum,
 præparatis tamē prius humoribus, non cum his quæ
 habēt proprietatē ad hepar, quia tunc nolumus cor-
 roborare: sed cum syrupo acetoso, oxymelite, cum
 melle rosato. Secundò per vrinam euacuare vellem
 materias quæ sunt in conuexo hepatis: tunc syrupus
 de cichorea, qui habet rhabarbarum, bysantinus, de
 radicibus, & omnes alij qui prouocant vrinam, mihi
 placerent, tam simplicia, quàm composita. Et in isto
 secundo processu ita facerem. Tertiò per sudorem
 & per

& per halitum euacuarem, vt malus habitus solueretur: & cum oleis calidis aperientibus, & cum balneis præparatis cum herbis habētibus vim resoluedi & aperiendi procederem: & eo tēpore vterer euacuatione, quæ euacuat per hæc omnia. Tunc laudarem balnea Patauina, quia illa hunc affectum tollēt; & credo quòd balnea S. Helenæ, vbi adest bitumen, magis cōuenirent, in quo est vis molliendi, vt si qua durities esset in partibus, solueretur. Imò ne aliquid intactum relinquam ad intemperiem tollendam hepatis, cogitarem de potione ligni, vt prouocarentur vrine, & tolleretur intemperies. Vellem etiam ijs ita peractis me conuertere ad locum affectum, & linimentis vterer habentibus vim corroborādi, sicut est oleum de spica, de absinthio: & deuenirem ad confectionem habentem vim corroborandi. Et inter reliqua post euacuationes factas, donec viderem sanitatem exactam, vellem vt in qualibet septimana pilulis ex hiera & rhabarbaro vteretur, vt si quid residuū esset in hepate, tolleretur, & obstructions etiam, & per interualla assumeret florem casisæ cum rhabarbaro, maximè in tempore ætatis, & perseueraret, & contineret se in recta ratione victus. Et ista est forma, qua ego procederem.

Consult. LXX. De melancholia hypochondriaca.



Egritudo, qua affligitur hic nobilis vir, iudicio meo est melancholia hypochondriaca, sicut illa Dioclis, quam describit Galenus lib. i i i. de locis affectis, quæ nascitur per inflammationē humorū, aut ebullitionem in venis inter stomachū & hepar. Sed hæc ab illa diuersa est, quoniā ex inflāmatione seu ebullitio-

ne humorum crassorum malorum est, qui sunt inclusi in venis sinistri lateris inter splenē & stomachum, à quibus eleuatur quamplurima ventositas: & quia splen redditus est debilis, sæpenumero intumescit, & crassior apparet, nec etiam ad se trahit sæcem sanguinis, sicut oportet: & ita sæx ista per sanguinem dispergitur, & reddit eum nigrum, pallidum, & melancholicum. Omni igitur diligētia curare debemus, vt illæ venæ mesaraicæ sinistri lateris aperiantur, & liberæ fiant, & splen confortetur, vt suo officio fungi possit, & ita sanguis purus efficiatur: ex quo etiam sequetur, quòd stomachus nullam ventositatem patietur. In primis igitur curare debemus, vt sit aër optimus: quoniam in humoribus ipsis melácholicis plurimum refert optimi aëris electio: euitareq; debet præ omnibus nimis paludosum & crassum, sicut communiter est in locis Veronensib. planitiem versus, & debet cauere ne in locis humidis degat & subterraneis, ac expositis Tyrolum versus. Omniaque animi accidentia euitabit, sicut iram, tristitiã, melancholiam: omniq; ingenio conabitur lætè viuere inter musicos & bonos socios. Exercebit se cõuenienter manè, equitando, eundo, & parua pila ludendo, aut simile aliquid faciendo. Curabit quoq; vt quoti die beneficium ventris habeat. Circa victum euitabit omnes carnes antiquas, vt bubulas, castrati antiqui, atque quæ crassum dant nutrimentum, vt pernas salitas & recentes, omnesq; aquatiles aues, anates, anseres, & huiusmodi cibos, omnesque pisces, exceptis quibusdam, vt lupis qui in aquis currentibus uiunt, auratis, carpionibusq; recentibus. Comedat lemnulas, mazarones: ab omnibus alijs omnino cauebit, præcipuè ab anguillis & huiusmodi, quæ crassum & viscosum dant nutrimentũ. Præterea omnia
lacti-

lactinia cauebit, & præcipuè caseum tam recētem, quàm salitum: omnia pastilia, placentas, tortas, rosfiosos, panem calidum, male fermentatū, & sine sale, ac pessimè coctum: omniaq; legumina fugiat cuiusque generis, aut recētia, aut exiccata, aut cruda, aut cocta. Cauebit etiam ab omnibus fructibus, & si eis quandoq; vti voluerit, accipiat ante reliqua cibaria, sed parçè admodū. Omnes salatas crudas fugiet, sed cappares earum vice comedat, asparagos, lupulos, lathum, endiuia coctam, cichorium coctum, aceto & zuccharo conditum, vel oleo & sale. Vinum bibet album, sed pauci coloris, quod rosetum vocant, subtile, transparens, & bene maturū. Vnico cibo sit contentus, neq; inter prandiū & cœnam bibat, neq; sine fame comedat. Vellem vt hoc anno mēse Iulij, primum tamen aliquantisper purgato corpore cum cassia & rheubarbaro, & syrupo solutiuo, acciperet aquā balnearū de Caldera, eo pacto, quo ei dicent excellentissimi medici qui aderunt. Bis in anno se purgabit, in vere & autūno: & velim quòd mitteret è basilica cubiti sinistri sanguinē. Intermedijs verò tēporibus, inter ver & autūmnū accipiet ter aut quater in mense per horam ante cœnam infra scriptas pilulas:

℞. Epithymi Cretenfis	3 vj.
Agarici electi	3 iij.
Corticum radicum ellebori nigri	3 iij.
Specierum hieræ simpl.	3 iij.

Cum melle rosato fiat magdaleon, de quo singulis vicibus drachmā vnā accipiat, & formentur pilulæ tres cum melle rosato: & eo die quo assumet has pilulas, sumet etiam vnā scutellā panis loti seu panatellæ, & aut nihil aut parum admodum bibat, accipiatq; sæpissimè per horam ante prandium conseruæ florum boraginis atq; buglossæ parum. Ante sy-

rupos fumere poterit:

℞. Electuarij lenitiui ʒ x.
Cum zuccharo fiat bolus. Pro syrups:

℞. Syrupi de fumo terræ
De buglossa
De papauere ana ʒ v.
Aquæ boraginis ʒ iiij. Misce.

Pro purgatione verò:

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.
Syrupus rosati solutiui ʒ iiij.

Aquæ betonicæ quantum sufficit. fiat potus.

Post hanc medicinam vtatur sequenti electuario:

℞. Sacchari rosati ʒ ij.
Conseruæ florum boraginis ʒ ij.
Buglossæ ʒ j. s.

Misce, fiat electuarium. Et hæc pro nunc sufficiant pro tali dispositione.

Consult. LXXI. De flatibus hypochondriacis, pro sacrificio.



Rimò custodiat se ab omni genere piscium, & præsertim palustriũ, ab omnibus leguminib. tam recentib. quàm exicatis, ab omnib. lacticinij, & præsertim caseo antiquo, ab omnibus pastilijs: olera etiam sunt illi pessima, vt tamen quandoq; poterit lactuca leuiter decocta, & boragine, & calendula, que vulgò dicitur fior de ogni mese. Bibat vina clara, limpida, & omnino abstineat à crassis, nigris, dulcib. Comedat tantum in die bis, neq; bibat inter cenã & prandium, præcipuè vesperi. Euitabit omne genus salsamentorum, vt carnes salitæ sunt, pisces saliti, oliuæ, & eiusmodi. Nò comedat carnes antiquas cuiuscumque generis sint, sicut bouinæ, caprinæ, castratorum antiquo-

antiquorū. Euitabit item carnes palustres, si-
cut anserum, anatum, & similes. Et hæc quantū ad vi-
uendi rationē. Utatur singulis mensibus bis in po-
tu vncijs sex infra scripti decocti, ita vt sint duo dies
continui, & bibat mane in aurora. Decoctū erit tale:

℞. Myrobalanorum citrinorum
Chebulorum
Indorum
Emblicorum
Belliricorum ana ʒ ij.

Contundantur grosso modo, & fricentur manibus
cum oleo amygdalarū dulciū, deinde infundatur in
lib. ij. aquæ fumiterræ per diem & noctem. Postea

℞. Epithymi
Polypodij
Folliculorum senæ ana ʒ j.
Seminum citri
Glycyrhizæ rasæ ana ʒ ij.
Corticum rad. ellebori nigri ʒ j.

Decoquantur omnia simul in prædicta infusione ad
consumptionē medietatis. Facta diligenti expressio-
ne & colatura sumatur decoctū, quod totum sumat
duabus vicib. duobus diebus, quæadmodū dictū est.
Item habeat caput semper sine capillis, ita vt atton-
deatur vsq; ad cutim, postea vesperi quando it dor-
mitū, inungatur oleo amygdalarū dulciū. Item ab-
luat caput bis in septimana infra scripta decoctione:

℞. Maluæ
Radicum althææ
Florum camomillæ ana man. ij.
Boraginis
Calendulæ ana man. j.
Furfurum tritici pug. ij.

Bulliāt omnia simul in aqua fontis ad cōsumptionē

medietatis. Cū hac aqua colata caput abluat, & post
ablutionem & exiccationē illinatur prædicto oleo
amygdalarū dulcium, & habeat semper capillos de-
tonfos vsq; ad cutim, vt dictum est. Item frequen-
tissimè etiam singulis diebus, si possibile est, bibat
ante prandium per horas tres magnā scutellam bro-
dij pulli cū modico zuccharo: hoc enim erit illi ma-
ximè vtile. Item semper teneat suum ventrem mol-
lem, & vtatur clysteribus frequenter cum oleo com-
muni & decocto maluarum, althææ, camomille, addi-
to modico salis, & vncijs duab. mellis rosati colati.

*Consult. LXXI I. De passione hypochondriaca cum
annexis symptomatibus, nimirum tremore cor-
dis, & uentriculi mordicatione, & totius
corporis macie, pro Veneto.*



Tristatur iste Nobilissimus vir sine cau-
sa, timet nō timenda, & non lætatur. hoc
est primū symptoma, quo maximè affici
confueuit. Est aliud, quòd quotidie in
macie deuenit, & maximè hoc anno videt se aridio-
rem factum, quàm duobus præteritis annis. Conque-
ritur præterea, dixitq; hoc anno in prima quadrage-
simæ hebdomada correptum esse à quodam cordis
tremore, quo frequentius solebat corripì. Dixit e-
tiam, singulis diebus affligi circa finem concoctio-
nis ante prandium & cœnam erosionem uentriculi, vt
debilitetur, & quærat subitò cibum, & famem incur-
rit, à qua irritatur: assumpto autem cibo nihil sentie-
re dixit. Hæc ergo sunt symptomata, vt ea per capi-
ta colligā, quibus affligit: Tristitia, metus sine causa
perseuerans, tremor cordis nō perseuerans: tertium
est gracilitas, quartum mordicatio uentriculi ante
cibum.

cibum. Hæc symptomata cum sint præter naturam, non debent perdurare, & sunt inueniendæ causæ, quia sine inuentione causarum non possumus modum curandi & præseruandi inuenire. Incipiamus igitur à primo illo affectu, à timore subito & tristitia præter rationem, quam melancholiam appellant: huius symptomatis, inquam, incipiamus causas indagare. Certè timor iste prouenit, quia corruptæ sunt imaginatiua & cogitatiua, quia cogitat quæ non sunt cogitanda: imaginatiua autem & cogitatiua sunt operationes animales in cerebro apparentes secundum medicos. Est igitur affectus iste cerebri, & actio corrupta operationum intrinsecarum animalium cerebri. Causa potest esse dispositio existens in cerebro præter naturam, vel in toto ambitu, vel in parte aliqua. In cerebro autem non potest principaliter esse, quia habemus signa manifesta: habet enim interualla manifesta, & perseverat pluribus temporibus sine ipso affectu: si enim haberet affectum in cerebro essentialiter, perpetuum haberet timorem. Non est igitur in cerebro essentialiter, sed per consensum. Consensus autem iste præcipue & per se, talis metus sine causa à vaporibus melancholicis, & ab humoribus melancholicis prouenit, ut dicit Galenus III. de loc. affect. & sunt vel in cerebro, vel in ambitu totius corporis: & duæ sunt species melancholiam, & non sunt plures, quia vel vapor vel humor est per essentiam in cerebro, vel in ambitu venarum. Non possumus autem dicere, quod sint in venarum ambitu per se, ut probabimus: quia non consequuntur accidentia, quæ solent consequi, ubi humor melancholicus fuerit in venis, ratione cuius humoris vapor ascendit, & fiunt symptomata melancholica, ut dicemus. Cum igitur non sit in cerebro causa ipsius, nec in ambitu vena-

rum, quærendus est ergo alius locus. Et quia metus non est causa per se, nisi ab humore melancholico, & cum nõ sint illæ duę species, videndũ est quid sit causa huius metus. Gal. posuit aliam speciem melancholice loco citato, quam hypochondriacam appellavit, ratione membrorum naturalium: & posuit illam ex Diocle, ex feruore sanguinis existentis in venis mesaraicis inter hepar & ventriculum causatam. Cum ergo nõ sit in cerebro, videamus an sit in ambitu totius, vel in venis illis mesaraicis. Quod potius sit imaginatio ista & tristitia præter rationem, ratione affectus hypochondriaci, per signa probatur propria & pathognomonica. Primò videmus affectum habere periodos. Sed posset quis dicere, illa etiam quæ ratione venarum fit, ab ambitu quarum ascendunt vapores vel humores melancholici, potest habere periodos: ideo signum istud sit cõmune. Præterea patitur tremorẽ cordis, scitur autẽ quam cõmunicantiã habeat cor cum ventriculo, imò dolor in ore ventriculi appellat morsus cordis, & cardiacus affectus: & nesciebãt antiqui distinguere an cordis, vel ventriculi esset affectus. Ego potius credo, quod ratione ventriculi fiat, quoniã nobiliss. iste vir habet cor validissimę caliditatis & siccitatis, resistẽs nocentis. Ideo tremorẽ nõ patit in corde ratione imbecillitatis, sed ratione vetriculi: ergo propter vapores ascendentes à mesaraicis venis fit. Mordicatio etiã apparet circa finẽ concoctionis, eamq; percipit talẽ, vt deficere videat, nisi cibum assumat: & hoc est ratione humoris acidi mordicantis, quæ mordicatio facit vt incidat in talem defectum, ex quo cibo sumpto quiescit. Præterea propter priuationẽ reliquorum signorum, quod affectus iste non sit ratione sanguinis adusti in venis existentis per se, quia non vi-

deo

deo nigredinē in corpore, vt possimus dicere à sanguine adusto in venis existente causari, quia carnes lucidæ sunt, & optimi coloris: & dicit Galen. v. 1. de tuen. valet. humoris dominiū à corporis colore indicari, nisi in profundū decubuerint humores. Si ergo in venis humorē illum haberet, nutriretur ab humore illo, & color carnis similis esset humori illi. Cū igitur non videam vestigiū melancholici humoris, quia illi qui talē habēt in venis humorē, & nutriunt ab illo, efficiuntur admodum nigri: & ex alia parte cū videam signa propria attestantia affectum hypochondriacū, ideo non dubitavi, quòd passio hæc melancholica sit ratione affectus hypochondriaci. Sed quoniā hanc ægritudinē nō possumus curare, nisi videamus eius naturā, & quomodo eam cōsequantur accidentia alia, dico ego omnia symptomata dependere ab hoc affectu: & si remouebimus hunc affectum, remouebit tremor, qui fit ratione vaporū, qui eleuantur ab illo loco. Præterea arefactio totius pendet ab eadem causa, & natura huius ægritudinis hoc indicat: quia dicit Galenus, quando humores crudi in ventriculo generantur, hepar attrahit humores illos crudos à venis mesaraicis: & quia fortior fit attractio propter validam hepatis caliditatem, & humor tenuis facilè ebullit, ideo fit inflammatio, & eò maximè accidit, vbi hepar calidissimum sit, & ventriculus frigidus. Et cū nobilissimus iste vir sit temperaturæ calidissimæ, & habeat caliditatem in hepate cum frigiditate ventriculi, quæ licet naturalis non sit, est tamen acquisita frigiditas multa in ventriculo, tum quia delectatur calefactione ventriculi, tū etiā quia dicit se habere deterius hyeme quàm in æstate. Et licet dixerit Hipp. Vēreshyeme natura calidissimi sunt, illud dixit per antiperistasin, quia

frigiditas aëris occurrans vnit calorē interius, ideo validus est. In senibus autē frigiditas occurrens penetrat ad ventriculum, quia non fit in illis antiperistasis, cū sint pauci caloris: ideo peius se habent in hyeme, sicut animalia frigida: non iuuantur autem, nisi qui habent antiperistasin à validissimo frigore. In estate verò calor aëris corrigit frigiditatem, ideo melius se habent. Præterea abundat rugitibus, & flatibus, & pituita crassa, hoc est signum frigiditatis: cumq; eleuantur à ventriculo, facit circulum, & multum refrigeratur. Stante ergo hepatis caliditate, & ventriculi frigiditate, tardatur cōcoctio, abundat cruditas, hepar calidum attrahit multum cibum crudum continuè. Et cū in venis illis mesaraicis sit redundantia talis humoris crudi, exhalatio fit deterior, quia obstruuntur: & quia maior fit caliditas hepatis propter obstructionem illam, cū non possit transpirare, cōtingit quòd ex maxima caliditate hepatis naturali & aduentitia, & ex obstructionibus, sanguis multiplicatur crassus & adustus ex nimia caliditate, & ille sanguis redundat ad venas, & ad ambitum venarū, redundat dico per accidens: nec principalis egritudo fit in venis, sed per consensum à primo affectu, quia adustio tantum fit in hepate ratione maximi caloris hepatis. Et hinc pendent omnes leges & propheta. Est ergo sanguis aliquis adustus in ambitu totius, qui cū non sit simplex & verus, sed mixtus pluribus crudis humoribus, & cū actio fiat à calore moderato, ideo corpus non bene nutritur. Et licet plurimus sit sanguis in venis, non nutritur, quia non est gratus naturæ, ideo exarescit. & licet sumat cibū, non facit pro vera nutritione. Et hæc est causa tertij symptomatis, propter cruditatem & putrefactionem humorum tenuium, qui transeunt
in

in aciditatē, ideo isti euomunt acida. Tum etiam ratione obstructionis causantis caliditatem maximam in hepate, non nutritur ut oportet, quia sanguis non est laudabilis: ventriculus enim non cōcoquit, propter frigiditatem: hepar verò propter caliditatē maximam non facit sanguinem idoneum, & adurit: ventriculus autem crudum dimittit humorē. Causa verò cur debilitatem ante cibum sentiat, est, quia cū sunt digestiones, membra redduntur auara: ideo venae trahunt ab hepate, hepar à venis mesaraicis, mesaraica à ventriculo. facta vltima concoctione, cū percipit ventriculus mordicationē, debilitatur, quia indiget multo nutrimento tum, propter humorem mordicantē: sumpto cibo obtunditur acrimonia humoris, & hepar inuenit quod attrahit, & venę, & tūc cessat symptoma. Hęc igit sunt symptomata, & causę symptomatū, quę pendent ab affectu hypochondriaco, quem melancholiam hypochondriacam appellant. Cur autē habeat interualla per duos annos? hoc est, quia cū non sit per essentiam in capite, sed ratione obstructionis, & humoris feruescentis in venis mesaraicis, ideo habet interualla: & si leuabitur obstructio ab euacuantibus, & à victu debito, liberabitur. Si verò multiplicabitur, hoc est vel ab aëre, vel à cibo, aut ab aliqua alia extrinseca causa, vel ab humore corporeo, augebitur morbus. Non fuit autem mirum si hoc anno multiplicatus sit, quia (vt dicit Hippocrates & Galen. tertio Epid.) cū aër nebulosus est & humidus, spiritus existens in ambitu rotius, & sanguis, ab aëre nubiloso crassescit, & non fiunt debitę transpirationes, multiplicantur humores, fiunt malę cōctiones, calor naturalis obtunditur, fiunt obstructiones, & symptomata dicta causantur. Vnde ego crediderim, symptoma hoc etiam non

nisi per accidens contigisse, quia humor melancholicus non per se, sed per accidens multiplicatus est, propter feruorem hepatis adurentis, ob obstructionem que facit inflammationem in venis, & sanguis seipso calidior factus est: affectus autem non est per se à melancholico humore, sed à phlegmatico frigido ebulliente circa illas partes. Vnde à medicis cura variat non parum: alij frigidam credunt esse affectionem, & ad calida recurrunt, & non parum nocent, quia hepar inflammant: alij ad frigida descendunt, & nocent, quia frigidus est ventriculus, hepar calidum: vnde fit, vt cum vnū sanetur, alteri noceant. Cum igitur humor phlegmaticus frigidus sit causa huius affectus, & non humor calidus, frigiditate non indiget, sed indiget apertione obstructionis. Ideo Gal. 1 1 1. de loc. affect. contra Dioclem disputans, cum de inflammatione venarum mesaraicarum loqueretur, dixit Dioclem non assignasse rationem, cur ex ascensu vaporum fiant tristes imaginationes, cum tamen humor melancholicus non sit redundans: ac si videretur alienum, quod fieret affectus melancholicus, & non ab humore melancholico. Ideo Galenus posuit tres differentias, & quod alia sit melancholice species, cum vapores eleuantur ab humore crasso frigido, quibus spiritus obtenebrescent: & illæ tenebræ sunt causa quod timeant, cum spiritus non habeant claros, timentque ac si viderent tenebras, & essent in tenebris exterioribus, quia nati sumus vt viuamus luce ex spiritu animali, scilicet qui lucidus est. Qui ergo fuerint tenebrosi ex melancholia vera, patiuntur melancholiam: qui autem ex vaporibus ab humore pituitoso eleuatis, hypochondriacam passionem incurrunt, propter obstructionem venarum mesaraicarum ab humore pituitoso. Cognita natura morbi, apparet quid presagi-

giendū. Ego nullum aliud præfagium proponam, nisi quod à Galeno propositū est, qui loquens ex Dio- cle dixit, quod à quacunque causa proueniat hypo- chondriaca passio, prorogatur in pluribus, & nō cu- ratur, nisi diligētes simus, & in multis annis. Quan- tum ad curationem attinet, cum hīc duo sint humo- res multiplicati præter naturā in ambitu totius, tam ratione ventriculi, quā ratione hepatis, vt ex vri- na apparet, quæ coloratior est, quia feruor est in to- to, & excessus maior quā sit opus, & obstructio ad- est: ideo ad verā curationem, primò cacochymia, quæ est in toto, remouenda est: quia non curabitur obstructio hepatis, & eius tēperatura vnā cum tem- peratura ventriculi non redigetur in melius, si per- mittamus hos humores etiam quo ad præseruatio- nem. Imò si stabit cacochymia, succedet ægritudo, & vel in humorem melancholicum incidet, vel in æ- gritudinem deteriorē. Ideo primò est euacuandum corpus, & hæc prima est indicatio rectē operandi. Circa euacuationē modò bene constituti sunt multi modi: & primò missio sanguinis proposita est, dein- de pharmacia. Vtrunq; conuenit, quia sanguis malus multiplicatus nō debet permitti, sed euacuari, vt na- tura rectificato hepate faciat meliorem sanguinem. Sed vbi hæc duo cōueniūt, debemus incipere à mis- sione sanguinis, antequā medicamentum purgans exhibeamus: nisi fortē lenitiuū exhibere vellemus, ad euacuandum id quod in ventriculo & in intesti- nis, & in vijs (vt isti dicunt) ductuū reperitur. Et ac- cederem ad venam illam quæ à fonte euacuat, ad ba- silicam scilicet, vt fieret euentatio & refrigeratio he- patis. Si etiam à vena media, vt propositū est, fieret, non esset error: quia Hippocrates in I. I. reg. acut. & Galenus dicunt: Si non inuenitur basilica, mediam

tangas. Ideo nō est disputandum, an media vel basilica sit secanda. Si à media euacuabitis, quia habet rimum magnū à basilica, poterit tangi: sola autē media solet secari cū læsio est in cerebro, vt ab vtroq; euacuet. Facta sanguinis missione, nō omittent euacuationem per pharmaciā. Sed quia concocta medicari atq; mouere, non cruda, debemus, maximè si obstructio sit in mesaraicis, debet aperiri, vt melior fiat attractio: ideo syrups abstergentes & aperientes cōueniunt. Tales autem syrups sumuntur ab indicationibus rectè operandi: & quia supposuimus in toto sanguinem calidiorem humori crudo permixtum, stante ventriculi frigiditate, cū prima concoctio non corrigatur à secunda, ideo si in ventriculo est cruditas, attrahitur talis, ideo humor crassus est incidendus. Et quia hepar calidū est, non vtemur calidis incidentibus: ideo vsus syrups acetosi conueniret. Et quia dicit Hippoc. I I I. reg. acut. cum Galeno, acetum cōuenire magis biliosis, quàm melancholicis: & dicit ibi vnū verbum, quòd acetum facit degenerare bilem in pituitā: an verum sit, & fieri id possit, remitto alijs considerandum, quia Galenus locum illum transit sicco pede. Quamuis igitur acetum non conueniret, quia abundat humor melancholicus, associabitur cum syrupo de pomis, in quo est frigiditas & humiditas ad contemperandum feruorem sanguinis, & humor ille adustus reducetur ad temperiē: ex acetoso autem habebimus incisionē, & cum melle rosato parabimus ad abstergendum. Decocta acciperemus de buglossa, boragine, capillis Veneris. Pro euacuatione autem eligerem eradicatiua, vt confectio hamech, in qua est agaricū & colocynthis, quæ crassos humores euacuant: est præterea sēna, polypodium, epithymum, quæ euacuant efficacissimè humo-

humorē melancholicū, & maximā habent vim corroborandi, quia ingrediuntur in ea myrobalani omnes: & fortē magis dicenda est medicina securitatis à Mesue, quàm diaphinicon. Et si vellemus aliud, syrupus rosatus solutiū addi poterit ad confortandum cor, hepar, quia facit solutionem aliarum medicinarum meliorem. Circa euacuationē hactenus persisterem. Propositum est, an hæmorrhoides essent prouocandæ. Certè feruor sanguinis circa venas mæsaricas existens ita calefacit hepar, vt necessariū sit quòd multiplicetur humor melancholicus in venis. Effet optimum tempore veris prouocare ipsas: sed postquā hominē dimitemus, sibi ipsi redibit dispositio. Si ergo haberet hæmorrhoidas quæ veris temporibus fluerent, contemperarent hepar, & euacuerent melancholicum humorem. Sed in appositione sanguifugarum nihil spero, quia crassum sanguinem dimittunt, & attrahunt subtilem, cū non sit ibi foramen. Vtilitas autem, quam spero, non ex attractione sanguinis, sed quia aperiuntur per se ex tali applicatione. Et vidi ego mercatorem frumentarium, cui affecto liene à tumore maximo iussi vt prouocarentur, & duabus sanguifugis applicatis ita apertæ fuerunt, vt exirent viginti libræ sanguinis, ita vt crederem bouē iugulatū. Quia ergo videmus quòd spontē in multis sanguis euacuat, apertis illis, non ex sanguifugis sperarem vtilitatem, sed ex apertione quæ sequitur. Proposita fuere balnea ex dulcibus aquis: & ego illa laudo, quia corpus humectāt, coctionem adiuuant, calorē hepatis contemperant, & corpus maximè corroborabunt. Ideo parare poterimus tinam in domo, & ibi permanebit vsque ad guttur, & post balneū corpus inungetur cum oleo de rosetis. Balnea tamen non fient nisi factis prius euacuatio-

nibus, & apertis obstructionibus. Ad præseruandum, quia in præfenti modica est obstructio, licet sanguifugæ non prouocarent, paucum damnum facient, quia vnciæ duæ vel tres ad plus euacuarentur, vel aperirentur, quod effet valde vtile. Propofita autem fuere balnea Patauina & Calderiana. Patauina nullo modo conueniunt ratione fuæ caliditatis: & fi non timerem ventriculum, laudarem Calderiana, & credo quòd conuenirent, quia aperiunt obstructiones, & prouocant vrinam: & domino Fabio Contareno affecto olim melancholia, mirum in modum profuerunt. Nunc autem conqueritur de ventriculo frigidiori: fed fcio curatū fuiffe à melancholica affectione, & nescio quomodo còqueratur, cùm fit pinguis, & optimam habeat habitudinem. Et hæc dicta fint circa balnea. Pro còfortatione, & conferuatione fanitatis, & ad còtemperandum hepar & ventriculum, & ad apertionem venarum mefaraicarum, laudarem pro re familiari continuè vtenda, vt tempore totius anni vteretur zuccharo rofato cum puluere rhabarbari, quia ex hac femper educeretur aliquid aggregatum in mefaraicis. In æftate verò, prætermiffo zuccharo rofato, cafiq; drachmas quinque vel ſex, cum ſemidrachma rhabarbari eligerem: præter illos dies æftiuos cum zuccharo rofato miſcerem confectionē dianthos, & ſpecies diamuſci dulcis, & diacinnamomum. Præterea circa cibum & potum & circa reliqua rectè ſe habeat. Et circa potum, credo quòd tota vis conſiſtat in electione boni vini, quia vinum continuū eſt: & ideo vinum bene maturū, & albū, & cereſolum eſſet eligendū. Còuenientius autē pro ſtomacho eſſet quod minus album eſt, quia vina alba in hac ciuitate Venetiariū habēt quam crasſitiem. Et ita ego iſto itinere procederem.

Con-

Consult. LXXIII. Ad ramicem intestinale.



Flocus & modus tumoris, & materia exiens, quæ proculdubio ex intestinis est, manifestissimè indicant esse ramicem intestinale, non ex apertione, sed ex ruptura peritonæi. Propterea cura perfecta non est tendenda, quam omnino fieri non posse arbitramur, præcipuè cum tandiu perseverauerit. Sed quæ cura adhiberi potest, ne in deterius decidat, & ut consueta negotia transigat, talem esse iudicauerim. Primò, ut perpetuò se abdicet ab aère frigidiore circa partes illas affectas, & à frigore pedum, quin etiam totius corporis, quantum fieri potest: euitetque etiam niues & pluias, quæ vel caput & alias corporis partes humectent & refrigerent. Caueat à quocunque valido motu, ab equitatione equorum tolutim vel incommodè ambulantium, & à sella duriore ac aspera, & à stapedibus longius productis, & non equitet post cibum aut potum, illud enim pessimum est. Caueat à coitu præcipuè intenso, à retentione anhelitus, à nimia compressione ventris, à clamore, à vociferatione, ab occasione tussis, & sternutationis magnæ. Effugiat comotationes & comestiones, sitque parci victus: bis tantum in die comedat & bibat, in prandio scilicet & cæna. Cibaria sint simplicia, vnius generis, minimè flatuosa, sed boni nutrimenti, Pessima sunt omnia lacticina, pisces, legumina, olera, allia, cæpe, & huiusmodi: pasticæ, res fricæ in sartagine, castaneæ, & tandem omnia quæ flatuosa sunt, ac vina dulcia ac crassa, & noua turbida, quale mustû est. Caueat à fructib. præcipuè vuis & pomis cuiuscûq; generis. Habeat quotidie beneficiû alui, neq; hoc dimittat, quantû fieri potest: quod si quan-

doque deficiat, suppleat vel cum clysteri communi, vel cum pilula aloës simplicis ad pondus ʒ j. sumpta per horam ante cenā: vel cum terebinthina, ad pondus ʒ j. sumpta tribus horis ante prandiū. Vtatur saepe pilulis de hiera simplici, sicut ter vel quater in mense, sitq; pondus ʒ j. hora vna ante cenam.

Descriptio autem pilularum talis sit:

℞. Cinnamomi

Croci

Cubeborum

Masticis

Afari

Spicæ

ana ʒ ij.

Aloës optimæ

$\frac{3}{4}$ j s.

Puluerizentur per se, &c. Quantum verò ad extrinseca localia attinet, primò tumorem rupturæ liniat blandè singulis diebus, siccando cum oleo anethino. Postea vbi ex recta ratione victus, purgationibus & linimento retrocesserit intestinum ad interiores partes, quemadmodum consuevit, tunc apponat ceratum, firmissimè adherēs loco, quod cōficitur vulgò apud aromatarios, & appellatur ceratum de pelle arietina. Deinde supponat ligaturam ab optimo artifice ita compositam, vt & firmissimè adstringat, & sustineat, & minimū aut nullum excitet dolorem, sitq; mollissima & lenissima tactu, quantum fieri potest, quam die ac nocte affixam loco tenebit: singulis autem quibusque xv. diebus, aut saltē tribus septimanis ceratum innouabit. Hæc sunt, quæ ad possibilem curam præcipuè mihi præstare videntur.

De

Consult. LXXIII. De hernia.



Rimò abſtinebit ab omnibus rebus ven-
 toſis, ſicut à lacte, à fructibus, à omni-
 bus leguminibus, ab allijs, cæpis, & tan-
 dem ab omnibus radicib. Cauebit etiam
 ab omnibus generantib. humorè craſſum, ſicut ſunt
 reſfriçtè in ſartagine, piſces, panis azymus, caro por-
 cina, caſeus, vina craſſa & dulcia, præcipuè nigra. Ca-
 uebit ab omni valido motu, ſicut ſaltu, vel repente
 aſcendere ſcalas, vel currere. Equitatio illi eſt cõtra-
 ria admodù, præcipuè in equo ſaltate aut citò ambu-
 lante, & cum ſella dura inæquali, & cum ſtapedibus
 longis, & hoc præcipuè poſt cibum. Cauebit ab om-
 ni clamore magno, à cantu alto, à retentione anhelit-
 us, à fiſtularum ſono, & præcipuè earum quæ vulgò
 Corneta dicuntur. Cum hac victus ratione ſumet ter
 ſaltem in menſe reſinam pinguem puriſſimam aut a-
 bietis, aut laticis, præſtat tamen laticina, & ſumat ſe-
 munciam ſingulis vicibus cum drachma ſpecierum
 hieræ ſimplicis, faciendò bolum cum zuccharo: ſu-
 met autem tribus horis ante prandium. Caueat à po-
 tu aquæ, & præcipuè ſi admiſceatur vino. Cauebit
 quantum poterit ab omni genere acetariorù, & her-
 barum crudarum. Præterea apponet loco rupto vel
 rumpendo ceratù de pelle arietina, vel ceratù quod
 vulgò dicitur pro crepatis, & ita apponet, vt ſuprà
 aptèſ ligatura cõſueta: vel loco cerati illam apponet
 habentem figurã hemiſphærij, ita vt planum hæmi-
 ſphærij ſit extrinſecus, conuexum intrinſecus ſuprà
 rupturam: ſitq; illa conuexitas ſenſim rotunda, neq;
 multum protuberans, ne nimia compreſſione infi-
 gatur dolor, firmeturque, ſupraligetur cum ligatu-
 ra conſueta.

Con-

Consult. LXXV. De imbecillitate uentriculi, cum fluxu mensium alborum, pro matrona Veronensi.



Matrona ista nobilissima præseruetur, primò attendendum est rectè victus rationi. Atque in primis cauere oportet à cibis pastilibus, à lacticinijs, & piscibus, piacensis, a carnibus fuillis, ab auibus quæ in aquis degunt, vt anseribus & anatibus, ab oleribus crudis, & fructibus, præter ficus bene maturas: ab omnibus rebus frictis in sartagine, à leguminibus, à carnibus antiquis, sicuti bouinis. Vinū nec nimis potens, nec nimis pauciferum, sed mediocre, limpidum, & clarum, & præcipuè non sit acerbum: non bibat inter cœnam & prandium, præcipuè post cœnam. Quantum attinet ad medicinalia, cõsuescet sumere singula septimana semel tres scrupulos hieræ simplicis in formam pilularum redactos, vna hora ante cœnam. Descriptio hieræ erit ista:

℞. Aloës optimæ ʒ vj.
 Cinnamomi
 Mastiches
 Spicæ
 Croci
 Afari
 Cubebarum ana ʒ j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceant, postea fiant pilulæ: singulæ sint vnius scrupuli. Præterea illinet renes vniuersos infra scribendo linimento:

℞. Consolidæ maioris
 Rosarum rubearum
 Radicum rubi
 Nucum cupressi
 Rasæ tabularum ana ʒ ij.

Bul-

Bulliant omnia simul in aqua communi, ad consumptionem duarum partium. Deinde

℞. Olei rosacei completi

De cotoneis

De myrtis ana ℥ j.

Bulliat omnia simul ad consumptionem aquæ. Deinde

℞. Sandarachæ

Mastiches

Thuris ana ʒ ij.

Conterantur minutissimè, & ponantur in prædictis oleis, & cõmiscantur: deinde fiat linimentum, addita modica cera. Hoc linimento illinet vniuersos renes vsq; ad sedem, prætermisâ spina dorsi: & temporibus calidis illinet eo frigido: hyeme verò modicè calfiet, quoad tepesiat. Præterea laudo vt alterno mane vna hora ante prandium sumat pilulam factam ex mastiche in puluerem redacta, quæ optima sit, & electa. Hæ autem pilulæ formentur cum melle rosaceo: pondus singularum pilularum erit scrupulus. Hoc modo si perseverauerit in hac victus ratione, & his remedijs vsa fuerit, non vereor quin S. D. non sit intentam sanitatem consecutura, ad laudem Dei omnipotentis.

Consult. LXXVI. De affectu hypochondriaco, pro Comite de Montfort Germano.



Aborare Illustrissimum Comitem eo affectu non dubitamus, quem antiqui medici flatum hypochondriacum, recentiores myrachialè appellarunt: ita enim esse, & mœstitiapreter causam, perpetuiq; ferè circa hypochondria rugitus faciliè ostendunt. Cùm verò huiusmodi affectus à contraria intemperie duorum membrorum dependeat, ventriculo in quâ frigidiore,

& hepate calidiore, habemus in Illustrissimo Comite vtriusq; intemperaturę manifestissima signa: nam & tardę admodum concoquit, plurimaq; redundat pituita, & quod ad ventriculum attinet, iuuatur à calidis, nocumentoq; afficitur à frigidis. Renes verò calidiores, arenarum rubearum frequens & copiosa eiectione ostendit, vrina lutei coloris, subtilis, pellucida: pustulęq; quandoque erumpentes, mordaces, vlceręq; emanantia, caliditate insignē hepatis arguūt. Aegritudo igit̃ Illustrissimi D. est intēperies ventriculi frigidior, & hepatis calidior, à quibus proximē generantur symptomata cruditatis, flatuum, mœstitię, ob vapores feruefactos & adustos, à venis mesaraicis ascendentes ob materię inflammationem in illis partibus collectę. Hinc oritur curationis difficultas, & morbi longitudo: cū enim ventriculus calidioribus ad curationem indigeat, hepar verò frigidioribus, nō potest medicus alterum sine alterius insigni noxa curare: vnde etiā morbi longitudo cōsequitur, præcipuē quoniā duo illa membra vniuerso corpori nutriendo inseruiūt, quę cū ægrotent, necessarium est nutrimentū quoq; generari neq; aptū, neq; vtile corpori. Tot igitur sunt causę, & longitudinis, & malitię morbi, quibus postea si accesserit mala viuendi ratio, & medicorū importuna & malē intellecta curatio, tunc nihil deerit ad perniciem Illustrissimi Comitis perficiendam. Primò igitur proposito curandi illud est proponendū, ne aliquis medicus audeat totis viribus, vel magno aliquo impetu ad morbum tollendum proficisci, siue purgando, siue alterando, vel corroborando processerit. Cū enim purgationes fiant per attractionem humorum à tota corporis circumferentia per hepar ad ventriculum, venenosa virtute epharmaci violenter attra-

hente,

hente, necessarium est vt ab huiusmodi purgatione tam ventriculus quàm hepar mirum in modum debilitentur, exiccantur, proprioq; ac naturali calore destituantur, ac consequenter ad omnem perniciem præparètur. De alteratione verò & corroboratione quid dicere oportet? Quomodo enim vel ventriculum, quantum oportet, calefaciet medicus, vel refrigerabit hepar, sine alterius maximo detrimento? Ergo primùm providere debemus, vt placidè moderateque omnia pertractentur, & siue purgatione, siue alteratione indigeat (vtroque enim indigebit) tam hæc quàm illa cautissimè fiat: quodque vno impetu confertim fieri non potest, longo tempore paulatim efficiatur. atque hæc videtur esse tota ratio curationis in Illustrissimo Comite, à qua si tantillum discesserit, præterquàm quòd frustra laborabit, maximis etiam periculis se exponet. Exordiendo igitur curationem magis particularem, dicimus Illustrissimam D. S. potissimam spem in rectissima victus ratione constituere debere: ac primò omni diligentia procurare debet, vt ab omnibus animi molestijs prorsus liberet, fugiat præcipuè aulica negotia, in quibus nunquam ab ambitione, ab æmulatione, ab ira, à suspitione & odio poterit separari: hæc enim omnia ita aulæ & regijs domibus sunt annexa, vt nullo vnquã tempore, neque segregari potuerint, neque poterunt. Quandiu igitur in negotijs aulicis implicabitur, tandiu morborum suorum causam præcipuam fouebit. Ergo si sanitatem procurat, ad animi quietem, & ad tranquillitatem confugiat, proprijsque fortunis amplit & honestis contentus sit, eligatq; habitationem optimi aëris, & iucundam: opportunisque & comòdis venationibus corpus exerceat, atque in alijs honestis voluptatibus occupetur, cum iucúdis amicis

versando, ludédo, & cófabulando, de nullaq; alia re
 minus, quàm de sua ægritudine sit sollicitus, tantùm
 se custodiat, & muniat, in reliquis morbum contem
 nat. Cauebit tam à frigore intenso, quàm à calore:
 vnde & ventos omnes euitabit, niuesq; horridas, &
 pluuias: sed aëri tranquillo se semper exponat: & si
 quandoq; aliquo vrgête negotio cogetur in aërē in
 téperatū accedere, muniat se opportunè his, quę illi
 téperaturę aduersari possunt. A Venere non omnino
 vellē vt abstineret, imò (quemadmodū ego opinor)
 moderata Venus illi non mediocriter cōferet, si mo
 dō cōmodè, & suis temporibus illa vtatur. Tempus
 opportunū tam Veneris, quàm exercitiij est, cū ven
 triculis sit à cibo vacuus: facta enim prima cōcoctio
 ne, tam ad Venerē, quàm ad exercitiū accedere oportet.
 Procuret præ cæteris omnibus, vt quotidie ha
 beat alui beneficium: & ad hunc vsū summopere
 laudo illud etiam quod prius admonui, vt habeat fa
 miliarem terebinthinā Cypriam, quam deglutiat ad
 quantitatem nucis parue, tribus horis ante prandiū, se
 mel aut bis aut ter in singulis septimanis, prout ex
 pedire videbit. Nam præterquàm quòd aluum mol
 lem efficit, ventriculū etiam purgat, obstructions
 aperit, vrinam prouocat, calefacit ventriculū, neq;
 propterea hepar lædit, imò & illi mirum in modum
 confert, aperiendo, abstergendo, & mundificando.
 Quantum verò ad cibum & potū attinet, primò eui
 tabit tanquam pestem multitudinem cibariorū, sed
 vnico tantū cibo contentus erit, neque illo copio
 so, sed semper citra satietatē à mensa recedet. Erunt
 cibi laudabiles, à quibus nunquā discedet, caro pul
 lorum, hœdorū, vitulorū lactentiū, phasianorū, per
 dicum, & auium campestrium pinguiū, præter cotur
 nices, quas vulgò qualias vocant: vtetur ouis sorbili
 bus,

bus, & recentibus. Abstinebit ab omnibus carnibus
antiquis, ab auibus palustribus, à carne porcina, à pi
scibus, à leguminib. ab oleribus; à fructib. à caseo, &
ab omnib. lacticinijs, ab vsu aromatù, à rebus siccis
in sartagine. Vinù eliget albù, clarù, pellucidù, bene
maturù, mediocriter potès (vina enim potètia sunt il
li maximè infesta) quod etià vinù moderatè bibet, in
prádio tantù & cœna: & omnino còpotationes effu
giet. Hęc est victus ratio à S.D. diligentissimè seruã
da, in qua ferè tota curatióis spes statuèda est. Quátù
verò ad medicamèta, in illis ero admodù parcus: lau
darem tamè vt bis singulis annis moderatè se purga
ret, vere in quã & autùno. Esset purgatio huiusmodi:

℞. Specierum hieræ simpl. 3 ij.

Floris cassiæ 3 x.

Cum saccharo fiat bolus, sumendus hora ante pran
dium. Deinde

℞. Syrupi de cichorea Nicoli sine rhabarbaro

Mellis rosati ana ʒ j.

Aquæ absinthij ʒ iiij.

Misce pro vno, & sic pro septem. Deinde

℞. Rhabarbari electi 3 ij.

Spicæ gr. x.

Irrorentur vino albo aromatico, deinde infundan
tur in aqua endiuia per horas decem. Postea

℞. Syrupi rosati solutiui ʒ iiij.

Misce, & fiat potio, danda in aurora cum custodia.

Hic est modus purgationis, quem tam vere quàm au
tumno poterit obseruare. In spatijs verò interme
dijs, si quandoq; terebinthinæ vsus non sufficiet ad
vêtriculù idoneè expurgádù, poterit quandoq; man
dere scrupulos duos rhabarbari electi, & deglutire
tribus horis ante prandiù. Vtetur etià frequētissimè
ante prádiù & cœnã saccharo rosaceo ad vnciē quã

ritatem: est enim & ventriculo, & hepatis, & renibus
 quammaximè vtile. In extrinsecis autem linimentis
 parum admodum confido, ideo illa omnia consultò
 prætermitto. Neque hîc electuariorû & confectio-
 num multitudinem congero, noui enim quantû tur-
 ba ac multitudo remediorû confertim congesta diu-
 turnis morbis nocere solet. Et hæc si rectè obserua-
 uerit, spero Illustrissimâ S. D. bene habituram, cum
 Dei optimi auxilio, cuius nomè semper sit benedictû.
*Consult. LXXVII. De urinæ difficultate cum pru-
 ritu, & de dolore dorsi ac renum, & de gra-
 uitate in inguine, & de lue Gallica.*



Vpposita historia fideliter recitata, con-
 siderâda sunt præcipuè symptomata, eò,
 quia vt hæc tollamus, à nobis consilium
 petitur. Symptomata autem sunt hæc.
 Primò quidè conqueritur de difficultate urinæ cum
 quodam pruritu: hic enim Magnificus vir cum vult
 urinam emittere, id liberè prius efficere non potest,
 imò dolore afficitur circa partes illas, & quodam (vt
 diximus) pruritu, ita quòd nò potest liberè mingere,
 donec prius exierit materia quædâ crassa, qua egres-
 sa facilis postea est exitus urinæ. Deinde conqueri-
 tur de dolore circa renes & dorsum. Præterea est a-
 liud symptoma: nam videmus eius urinam colore
 glaucam admodû, & est talis color tendens & pro-
 pinquans albedini, & appellatur rufus à Galeno, se-
 cundo de temperaturis. Talis igitur est color urine.
 Secundò, quo ad luciditatem, hæc urina subobscura
 apparet: præterea quo ad substantiâ ipsam est subti-
 lis: quo autem ad cõtenta, hæc habet hypostasim, si-
 ue potius sedimentum crassum, viscosum: in superfi-
 cie etiam urinæ plurima adest spuma. Hæc sympto-
 mata

mata in vrina, propter illud sunt consideranda, eò quia talis vir circa partes illas dicit se dolorem sentire cum pruritu, & de illis conqueritur membris, ex quibus exit vrina. Conquestus est etiã de alio, quòd in principio vrina esset fœtida, ita quòd secundùm quod nobis retulit excellētissimus medicus, qui curam huius Venetijs habuit, medici illi arguebant putredinem vlcerosam in vesica esse: hoc nos non vidimus, sed ipse sic retulit. Sunt postea alia subsequētia symptomata ad hæc, ex quibus illud vnum est, quòd percipit pondus in inguine. ac etiam narrat, quòd si incòmodè pedem in terra figat, aut pedi insistat, sentit dolorē in illis partibus, scilicet in partibus ipsius vesicæ. Habuit & alia annexa symptomata, scilicet morbum Gallicū: vnde fuit perunctus vnctione illa maledicta argenti viui, propter quam dentes ad vnū ex ore decidere, licet visum sit, ipsum ab eo sanatum tunc temporis morbo. His visis symptomatibus, ac fideliter enarratis, singulorum causas inuenire operæpretium duximus, quòd rectè curare, & tollere hæc symptomata valeamus: quoniam ab hisce causis, ex quibus sunt symptomata, curatiuæ sumuntur indicationes. Consideremus ergo singulorum symptomatum causas. Primò quo ad difficultatem vrine, quam patitur, dicimus non esse in his immorandum, scilicet in inuestiganda huius symptomatis causâ, enumerando causas omnes quæ tale symptoma causare potuerunt, cum aut imbecillitas membri sit, aut materia, aut ambo, quæ materia collum vesicæ obstruxerit, aut aliquod tuberculum: huius causâ per se patet. Prætermittis itaq; omnibus, dicemus causam suppressionis vrinæ esse materiã crassam adhærentē collo vesicæ, & obstruentē meatum illum: obstruendo enim supprimitur vrina, cuius signū evidentissimū

est hoc, eò quia cùm prius laboret vt mingat, hæc emissã materia cessat labor & dolor, & postea liberè mingit. Subsequitur postea ad vrinã emissã, & materiã crassã, illud symptoma, pruritus in collo vesicæ, propterea, quia (vt bene dictũ est à suo Doctore) hic Magnificus vir calidæ fuit temperature, nunc autem cùm sit in ætate senili, in qua dominatur frigiditas, pituita fuit reddita falsa & nitrosa, tum propter adusionẽ, cùm fuerit calor diminutus, tum propter putredinẽ humorũ in senibus, ex quibus fit falsa pituita. Vnde hæc materia falsa cùm per collum vesicæ, quæ est maximè sensibilis, permeet cum vrina, causatur ille pruritus ea in parte, id est, in collo vesicæ, in qua facilè figitur materia, cùm ibi sint multæ cavitates, quemadmodũ ex anatome potest cognosci facilè. Et sic habetis iam causas horũ prædictorũ symptomatũ duorũ, quare scilicet difficulter in principio mingat, ac etiã propter quid in ea parte patiat pruritũ, propter materiã falsã in colli vesicæ cavitatibus adhærentẽ. Cùm autem symptomata hæc tales habere causas, scilicet pituitã falsã declarauerimus, reliquũ est vt videamus, à quibũsnam membris mandantibus vesica talem recipiat materiã pituitosã, & cur sic magis ipsa, quàm alia membra fluxionem recipiat, ac etiã per quas vias demandetur: hæc enim suprã sunt declarata: quia iam declaratum est, que sit materia fluens, que est pituita falsa, crassa, deducta ad putredinem propter aliquam causã, sapore falsa, fœtida. fœtidã diximus, quia prius perceptus est fœtor, licet nunc non adsit, cùm tamen fuerit quandoque magnus, vt retulit Nobilissimus vir. Et ita crassa viscidãq; fuit hæc materia, vt in longum spatium cõtinuè traheretur, absq; hoc scilicet quòd diuideretur. Talis ergo fuit materia. Cur autem

vesica

fica potius recipiat superfluitates quàm cætera mēbra, nunc videamus: quia solet etiam talis materia ad pectus, aut ad pulmones, ad pedes, ad articulos, iuncturas, labi. Sed quid fuit in causa, quòd in hoc Nobilissimo viro materia hæc ad vesicã defluerit, non ad alium locum? In corporibus humanis aliquãdo aliqua pars alijs reddīt imbecillior, & illud non modò contingit, vt scilicet pars aliqua reliquis sit imbecillior propter aliquod accidens, sed à natiuitate etiam. Vnde à natiuitate aliqui habent pectus adeò imbecillum, vt illuc semper defluat materia.

Aliqui verò habent musculos debiles, alij iuncturas, in quibus articularis morbus non abest: alij vesicam, sicut habuit hic Magnificus vir: & sic non modò secundum accidens aliqua pars alia est imbecillior, sed, vt diximus, etiam à natiuitate. Quòd fuerit per accidens aliquod vesica facta imbecillior, omnibus manifestum est: siquidẽ hic Nobilissimus vir plurimùm equitauit, itineraque habuit, perpassusque est maxime, ex quibus agitata fuit vesica propter illos motus non parũ: vnde est eius virtus resoluta. Præterea huius etiam in causa fuit multus coitus, cui toto tempore ferè fuit deditus: ex quo fuit euacuata humiditas radicalis, exiccata sunt membra, & præcipuè quæ sicca sunt, vt est vesica. Hac autẽ reddita imbecilli, transmittunt fortiora membra excrementa ad illam, quia fortius semper demandat ad debilius quod nocet. Et sic quicquid fuerit in causa imbecillitatis virtutis vesicæ, aut victus ratio, aut id fuerit à natiuitate, satis sit scire hoc quòd propter eius imbecillitatem sit. Vesica materias defluentes recipit, quoniã, vt diximus, membrũ fortius, vt I. I. de potentijs naturalibus, & prima primi, doctrina sexta, cap. I I. dixit Auic. expellit superfluitates ad debilius, & minus

nobile. Quòd autem sit reddita imbecillis vesica, patet, quia est eius diminuta actio, quod indicatur ex frigiditye eius. Hactenus ergo habemus quendam sit materia, & qualis, & quæ fluit: & quod sit membrum recipiēs propter imbecillitatem eius, aut sit imbecillitas à natura, aut propter rationem victus malā, aut propter quid aliud quod inciderit, nihil refert, quia non impedit curationem. His visis, modò per quas vias defluat materia talis ad vesicam, exploremus. Viæ propinquæ, per quas defluat talis materia ad locum, sunt vasa vrinaria: per sola hæc deuenit ad vesicam, & non per alia membra, nisi per refudationem dixerimus. Huius signum est, quia ibi recipitur dolor in membris, quibus adhærent vasa hæc vrinaria, scilicet in vesica & renibus, vt suprâ diximus. Si enim materia defluxa est ad vesicam & defluit, certè iter erit per vasa deferentia talem materiam, & contingentia ad vesicam: sed talia sunt vasa vrinaria, scilicet pori dicti vritides, qui contangunt vesicā & renes, vnde talia incipiunt vasa: qui quidem renes recipiunt per venas illas materiam vrinalem ab hepate. Ergo per renes necessarium est quòd materia transeat per vasa vrinaria ad vesicam: per renes inquam, quia est membrum superius. Nunquid autem renes sint & ipsi membra mandantia, inquirendū est. Dico quòd nullum contingit vitiū renibus, propter quod talem mandent materiā: bene tamē crediderim ex attractione materię factos esse imbecilliores, ita q̄ malim ego dicere, renes recipere præcipuè à toto corpore, vt postea deueniat materia ad vesicā: & sic sint duo membra recipientia, tamen ad vesicam vltimò terminatur materia. Modò videndum est, quenam sint mandantia. Pro quo obseruandum, pituitam, quam dicimus esse materiam defluentem, partim in ventriculo,

culo, partim in hepate generari, licet differat pituita quæ est in hepate, ab illa quæ est in vetriculo: quia illa in hepate est mixta sanguini, hæc autem non, vt I. de facult. natur. Est quasi purè æquiuoca pituita quæ est in vetriculo, sicut illa est quæ fluit è naribus, improprie tamen dicitur pituita: sed vera pituita est quæ generatur in hepate cum sanguine, & contradi-
 stinguitur sanguini ac alijs humoribus. Nunquid ergo sit membrum principale mandans hepar? Notandum, quòd corpus huius Nobilissimi viri fuit calidissimum, quod patet ex multis signis, & talibus, vt & mutata temperatura denūciat statum præteritum: vt venæ latæ, quæ sunt indicium, vt dicit Hippocrates, hepatis calidi: semper enim manent, etsi mutata sit temperatura. Præterea habitus corporis, habet enim multos pilos, habet corpus subnigrum, virtus vitalis adhuc fortis: quæ omnia sunt calidioris temperaturæ signa, vt & eius calciamenta adurerentur: illud autem erat propter motū, ex quo vapores multiplicabantur, ac penetrabant per cutim ad calciamenta. Fuit igitur calidioris temperaturæ. Sed aliud est fuisse, aliud est esse: modò enim cùm deuenit ad sexagesimum annum, non adest amplius caliditas illa, sed deuenit ad frigiditatem: curus indicia sunt ipsius excrementa, vt vrina: videmus enim vrinam admodum glauci coloris tendentis ad albedinē, qui quidem color attestatur frigiditatem. Si consideraris etiam vrinā quo ad luciditatē, hæc est subobscura: obscuritas autem indicat frigiditatem. Deinde si attendamus spumæ quæ est adhærēs, hoc signum est calorem esse diminutū, quod non potuit materiam illam dissoluere. Præterea sedimentum est crassum, quod denotat pituitam crassissimā, & sic frigiditatem membrorum: si enim pituita, quæ est naturalis,

frigida humida existit, & sentitur, quantò magis si hæc erit crassissima, erit frigida? cum crassities non proueniat nisi à maxima frigiditate. Et sic cõcludendum, urinã prouenire à membris frigidis, & indicare membra frigida. Et non tantũ ex ijs indicatur, sed etiam ex vno alio, scilicet ex multitudine vrinę, quę attestatur frigiditatē: cum enim sit multa materia, signum est, quòd non potest digeri à calore, & ideo euacuatur per vias has, quemadmodũ & per halitum, & per sudorē: nec huiusmodi posset euacuari, si calor dominaret. Et ideo iam patet dominari frigiditatē, maximè cum sit senex, in qua ætate semper calor diminuitur. Præterea vsus est labore superfluo, qui maximè facit ad exiccationē humoris radicalis. Fuit & coitus, fuit & pestis illa, scilicet applicatio argēti viui, quando laborabat morbo Gallico, quòd quidem est frigidissimum, prout considerauere optimè Arabes: dico Arabes, nam Galenus non cognouit. Et notandum quòd Rasis dixit argentum viuum non tantum esse frigidissimũ, sed calidissimũ dixit esse in quarto. Sed crediderim quòd Rasis intellexerit de argento sublimato: id enim calidissimum esse in quarto, verum est. At argentum viuum, de quo diximus, est frigidissimũ, ita quòd & Auic. dicat hoc inducere paralyfes, stupores &c. & penetrat ad medullas ossium, ita vt calorem extinguat naturalē, & est vt venenum. Videtis ergo causas extinctionis caloris: primò est ætas fenilis, mala victus ratio in sex rebus non naturalibus, in quibus omnibus iste peccauit: præterea vnctio illa. Quantum etiam ad id adiuuet infectio Gallica nõ dixerim, quia vos scitis quantum adurat, exiccet, quæ omnia faciunt ad exiccationē caloris, & humidi radicalis, & consequenter abbreviatur vita. Cum tot ergo causæ cõcurrant, non tantum

tum erit dicere pituitam generari in hepate, & multiplicari, sed & in vetriculo, in capite, ex quo sunt catarri, qui sunt propria passio senum: & hic etiam laborat catarrho. Et cum (vt dixit suus Excellentiss. Doctor) possit catarrhus fluere ad alias partes etiam subiectas, tamen quia in hoc viro vesica est pars imbecillissima omnium, ad eam fluit: nam inuenit vias, vasa, quae diximus, per quae deferatur materia ad vesicam. Et sic iudicium meum est, quod recipientia membra sint duo, & renes, & vesica, quae tandem recipit materiam. Mandantia autem primo sunt hepar, quod generat nunc pituitam, cum sit lapsum a sua temperatura calida ad frigidum, & ratione aetatis, & aliarum supradictarum causarum. Extat & ventriculus multam generans pituitam: & hic est passus etiam dolorem colicum, patitur & catarrhum. Et sic caput etiam mandat, & omnia conspirant ad confluxum: & sic non est mirum si confluat materia multa ad locum: & hic adeo fuit catarthosus, vt cum spueret siue in templo, siue alibi, multi qui eum nouerant, facile ex viso spuito indicarent hunc Nobilissimum virum ibi fuisse: & adeo quandoque expuebat, vt multum admirarentur medici, & nunc etiam, licet a frigidis & humidis cibis & pituitam generantibus se continuo abstineat, tamen continuo multiplicatur talis materia. Colligendo ergo fragmenta, ne pereant. Iam habemus quae sint membra recipientia, quae sint viae, & vasa, per quae materia defluat ad vesicam: quae quidem viae sunt latae, & paratae ad deductionem materiae, propter duas rationes: primo propter caliditatem hepatis, quod dilatat, & sic sunt aperta viae: secundo propter ea quae ad talem viam dilatandam iuuerunt, vt fuit coitus inordinatus multus, equitatio, & huiusmodi, quae trahunt materias ad renes & ad vesicam. Habemus &

quæ sit materia, quæ sint membra hanc generantia. De causa falsædinis materiæ dictū est, illud esse propter putrefactionē pituitæ, cum sit iam fenex: ex putredine enim quæ sequuta est ad diminutū calorem naturalē, facta est pituita falsa, nitrosa, quæ falsædine sua proritat partes illas. Ex ijs subsequitur: percipit nocumētum in partibus inguinis, & cum terræ figit pedem, & cum mouetur inordinatè. Et circa hoc notandum quid dicant moderni: inquit enim, huiusmodi signis apparētibus indicari lapidem esse in vesica, qui lapis ibi cōquassatur. Cū postea audiūt, quòd virga erigitur, huius causam assignant, esse scilicet vapores in poros illos erumpentes. Excitatur & pruritus quidam ex materia falsa, qui est cum quadam delectatione, eò, quia licet sit falsus, tamen est cum aliquali dulcedine. Hęc sunt signa calculi posita à modernis, ita quòd ijs positis ponat & calculum inesse. Verum huiusmodi signa possunt etiam inexistere ex materia crassa flatuosa: quare non concludunt de necessario, quòd sit calculus in vesica. Et semper aduertit vnum in tot colloquijs, vbi fuerunt excellentissimi viri chirurgi, quòd scilicet nullum signum calculi ex his habeat: at semper volebant ad hoc videndum an sit calculus, vt immitteretur syringa: sic & nos debemus etiam facere. Sed hęc crediderim in causa esse materiam, quam diximus crassam, viscidam, cum aliquali falsædine. Et sic habemus symptomata, & causas eorum. De prognostico autem quid dicam? Id videlicet quod Hippocrates in Aphorif. & declarat Galenus: Nephritici senes non curantur. Habemus prognosticum hoc, quòd non curabitur curatione perfecta, quæ totū auferat morbum: sed bene erit prohibere, ne tanta materia generetur: causam enim generationis pituitæ poterimus dimi-

diminuere, sed nō omnino tollere, ex ætatis dispositione, in qua nunc est: prohibebitur autem recta victus ratione. Et sic oportet hunc nobilissimū virum alijs negotijs postpositis, soli rationi victus attendere, vt sunt res optimi nutrimenti, vinum habens bonum odorem, quod declinet ad aliquā vim incidendi. Utatur cinnamomo, aniso, ante cibū, quæ possint calefacere: at non exiccetur, sed humectetur, cū sit iam senex, ex optimis alimentis. Pōst se exerceat moderatē, vt dicit Galenus in fine quinti de sanit. tuen.

Balneum autem aquæ dulcis quantū cōferat? Dico nihil conuenientius posse inueniri, & hortor vt bis in septimana temporibus debitis vtatur balneo huiusmodi, quia optimum est auxiliū, quoniam subtiliabit materiam, adiuuabit calorem innatū, & consequenter concoctionem, confortabit membra, & in illo immoretur donec voluerit: pōst vngatur oleo illo de rosis, quod moderatē calefacit, ne transpiret calor. Pōst caueat ab accidentibus animi, & se gerat bene in omnibus sex rebus nō naturalibus, recta victus ratione instituta. Pōst purgarē, materia tamen prius præparata & concocta. Tandem deuenirem ad corroboratiōem membrorum affectorū: quia alteratio fit facta euacuatione eradicatiua. Sed quoniam in principio adest aliqua materia apta ad euacuandum, vterer leniētibus ventrem, vt cassia, manna, syrupo rosato solutiuo. Hoc factō, esētne regulariter, mittere sanguinem? Sed cū sit senex, & sit materia crassa viscosa, non mitterem. Posteaquā leniissem ventrem, deinde præpararē materiam, deinde euacuarem, & procederē cum incidentibus hanc materiam crassam viscosam, vt cum syrupo de betonica, de liquiritia, melle rosaceo, oxymelite simplici & composito. Concocta materia deuenirem ad

euacuationem, & euacuarem cum pilulis aggregatiuis, aut confectione hamech, aut cochijs, aut cum pilulis agarici: & vellem quòd vteret ante prandium horas tres diaspolitico, diacalamétho. His factis deuenirem ad alterationem membrorum, vt renum, ne amplius materia per has partes ad vesicam expelleretur. Et id agerem medicamētis roborantibus & ventriculum, & alia membra: essent autem medicamenta, quæ non sint valde calida, vt aromaticū rosatum, syrupus de cichorea, diacalamentum, &c.

Consult. LXXVIII. De fluxu hæmorrhoidum, pro muliere nobili.



Arbitror Illustrissimā Dominam pati fluxum hæmorrhoidum simplicem, neque sufficiens signū est dolor quòd fluat ex mesaraicis, cum flatus quoq; possint dolo-
 re facere, vel alia materia ibi conclusa. Quòd verò fæces præcedant vel subsequantur, videmus vtrunque in hæmorrhoidum defluxu contingere. Quando verò sanguis fæcibus est permixtus, tum perpetuò à superioribus partibus emittitur. Id autem non audio hic euenire, imò præcedere vel sequi. Si à mesaraicis procederet, grumi sanguinis essent. Syncope autē est ex multa ea inanitione, vt Galenus x i i. Therapeutices. Ex fluxu autem tali ita refrigeratur hepar, vt nò solùm priuatio sanguinis & spiritus, sed etiam cachexia sequatur, deinde tandem hydrops, quod & hic fit. Habet colorem totius corporis pallidum, quod nota est cachexiæ: deinde tumorem pedum, hoc initium hydropis. Est igitur hepar insigniter refrigeratū, quod priuatur sanguine, & spiritus pauci ac mali generant: & cum calor mediantib. spiritibus toti corpori impartiat, ideo refrigerat spiritibus

tibus omnibus qualitate vel quãtitate corruptis: refrigerationẽ hĩc intelligo priuationẽ caloris innati, cum qua stat sæpe caliditas ignea, ex varia putredine humorũ. Hinc est quòd quidã hydropici quãdoque plurima bile abundãt, quamuis frigidissimi sint hepatis, & perpetuò citrina repleant aqua, nõ ob aliud quã ob obstructions, vnde putredo & calor igneus augentur: ideo & frequentissimẽ hydropici & cachectici febricula laborant, quæ neq; à medicis neque ab ægro percipi potest. Hoc genus febris tiphodes à Græcis, ab Arabibus latica appellatur. Ex hoc apparet, cur stãte frigiditate hepatis, in hac Magnifica domina appareant humores acres & erodentes. Cause verò tam copiosi fluxus nõ satis apparẽt vel constant: fortassis sanguis accedente ætate consistente ob caliditatam hepatis redditus est seipso calidior, & inde melancholicus euasit. Multiplicato autem melancholico humore, natura vt par erat per hæmorrhoidas euacuationẽ tentauit. His stantibus proculdubio difficilis curatio erit, quia fluxio induxit habitum malum: hepar & cor refrigerata non faciliẽ calefiunt, cum sint naturæ domicilia: non tamen est penitus desperandum, sed pro virili tentandum: quòd etsi perfectẽ curari non poterit, præseruanda tamen erit ne in deteriorem dispositionem incidat, vt est hydrops, &c. Quare intentiones sunt, primò vt auertatur fluxus ad oppositas partes: secundò, vt corpus ita regatur, vt generet optimum sanguinem: tertio, vt membra mandantia alterentur, ne expellant, & recipientia confortentur. hoc tamen vltimo loco cum maxima cautela agendum erit: stãte enim sanguine corrupto, si cohiberetur fluxio, sæuisima sequerẽtur accidentia. Optimẽ igitur dicebat Hippocr. Vbi hæmorrhoides adstringendæ sunt, venam

semper apertam relinquendam esse. Vt igitur bonus sanguis generetur, id fiet victus ratione cōgrua, aëre optimo, hilaritate animi: ex his enim multiplicatur spiritus, tum quantitate, tum qualitate. Exercitium moderatū superiorum partiū, cum pilis plumbeis. Vinum bibat album, inde enim lucidior & melior sanguis generatur: sed ita præparatum, vt vinde miæ tempore accipiat vnam partem vuae expressæ, & duas partes aquæ limpidissimæ, in qua prius decoquantur, polypodij lib. iij. betonicæ lib. x. rosarum siccarum lib. vij. baccarum myrti lib. v. Post bullitionem fiat expressio, & his addatur vuae expressæ succus, atque ita ferueat secundum consuetudinem. Hoc vinum optimè nutriet, sanguinem lucidissimum generabit, atq; membra roborabit. In reliquo victus genere non delinquat: nam in corpore priuato sanguine & spiritu, vel parū proficiunt medicamenta, vel etiam lædunt. Vitet acetaria, salita, item aromata. Pro auersione, ad partes oppositas fiant frictiones assiduæ matutinæ, in spatulis & brachijs, suaves, & lenes, longiores tamen, donec rubeat cutis. Vbi nimis molestus fuerit fluxus, ventosa sinistro lateri in splenis regione applicetur: possit idem in dextro hypochondrio fieri. Item liganda sunt brachia. Omnino longè tutius est diuertere, quàm constringere. Quòd si sanguis, qui exit, sit corrodens, manè singulis diebus ius pulli pinguis bibat tribus horis ante prandium: hoc enim maximè acrimoniam sanguinis corrigit, testariq; possum me plurimos fluxum hæmorrhoidum patientes hoc solo remedio curasse: sed vsus huius sit per plurimos dies. Talibus auersionibus leuioribus non iuuantibus, conueniunt fortiora, videlicet cauteria in spatulis vel brachijs. Hæc de diuersionibus. Pro membrorum

brorum verò mandantium roboratione, applicetur
exterius hepatis hoc linimentum:

℞. Olei de spica boni	ʒ. j.
De rosifis	ʒ. j. s.
Mastiche	ʒ. iiij.
Sandal. citrinorum	ʒ. ij.
Ambrae	
Musci	ana gr. iij.

Misce, & cum modico ceræ fiat linimentum pro he-
pate. Pro ventriculo paretur sacculus ex sindone
cum istis pulueribus:

℞. Garyophyllorum	
Nucis muscatæ	ana ʒ. ij.
Macis	ʒ. s.
Laudani electi	ʒ. iiij.
Sandali citrini	
Rosarum rubearum	ana ʒ. j.
Ambrae	
Musci	ana gr. iiij.
Masticis	ʒ. vj.

Fiat sacculus pro stomacho.

Interius verò laudarem vsum myrobalanorum che-
bulorum, vt manè vnum assumeret tribus horis ante
prandiū: vel accipiat optimi Mithridati ℥. ij. cum
zucchari rosati semuncia: ista enim maximè faciunt
ad membra naturalia corroboranda. Sume postea a-
quas in agro Regij Longobardiæ, quas non tantum
bibat, sed se in illis lauet. Locum recipientem non
consulo adstringi. Et caueat ne sedeat super frigida
& humida, dura & aspera, motumq; maximè euitet.
Suffumigio infra scripto vtatur, cōfortat enim ea lo-
ca sine manifesta adstrictione:

℞. Laudani electi	ʒ. iiij.
Thuris optimi	ʒ. ij.
	Cc

Sandarachæ 3 j.

Bdellij 3 iij.

Cum mucilagine dragaganti fiant trochisci, de quibus fiat suffumigium. Abluantur etiam loca illa decocto rosarum, absinthij, & betonicæ. Et semel in septimana consulo accipere rhabarbari electi semidrachmâ, quia maximè corpus mundificat, & vasâ corroboret. His remedijs conualituram suam Dominatio nem non dubitamus, cum auxilio Dei opt. cuius nomen sit benedictum in secula. Patauij. M. D. XLVI.

*Consult. LXXIX. De calculo renali,
pro nobili Germano.*



Ermanus vir nobilissimus, qui calculi affectu laborare cōsuevit, tria nobis proposuit discutienda, quæ à rei euentu orta sunt. Primum, cur in eo tam citò tam multi tamq; magni calculi generarentur, non apparentibus neq; in vrina arenulis, neq; in renum regione doloribus, neq; aliquo horù vestigio. Secundò, quæ sit præseruatio, ne amplius generètur. Et quia timet ne adhuc sint generati, querit tertio si geniti essent, & signa apparerent, quana arte esset curandus. Quorum omnium facilis apparebit responsio, si morbi naturâ, & ea quæ consequuntur, considerabimus. Voluissem autem naturam ipsius corporis cognoscere, siquidem magna ab eo indicationis pars sumenda erat: verùm quia nihil de naturali tēperie ad nos scriptum est, morbi naturam, relicta hac, contemplabimur. Calculus itaq; cùm eandem, quam reliquæ fluxiones omnes, naturam habeat, etsi res solida sit, tamen de vna parte ad aliam fluit: nihil enim refert, siue id quod fluit sit tenue, vel crassum, & terreū: neque prohibet quo minus sit fluxio appellanda, & sub fluxionum

fluxionum genere collocabitur, eosdemque scopos habebit, quos & ipsa fluxio. Natura autem fluxionum in quatuor consistit: in consideratione membri mandantis, recipientis, viarum per quas fit fluxio, & materię quę mandatur. Inquiremus igitur primò, quis sit locus generans & mandans huiusmodi calculos: secundò, materiã istorum, & à quibus causis efficientibus proueniant: tertio, vasa per quę defluunt: vltimò loci recipientis naturam contemplabimur. Locum itaq; in quo calculi generantur, vel renes vel vesicam esse ostendit primò ipse Hippocrates, deinde Galenus sexto Epidem. cõm. j. tex. sexto, in quo de calculi natura pulcherrimè differit Galenus: præterea autor ille de renũ affectibus, quisquis fuerit, mentem Hippocratis & Galeni optimè assecutus, idem testatur. Verùm de calculo vesicę nihil dicturi sumus (nam in hoc viro nõ in vesica, sed in renibus generatur) si de his quę nobis indicata sunt iudicare volumus: quare de renum calculis agemus. Sed quoniam renes diuersa habent loca in quibus generari potest, substantiam scilicet & concauitatem, distinguemus in quo hos generatos credimus. In substantia autem seu carne ipsorum renum ita possunt generari (inquit Galenus) sicut in carne & musculis membrorum contingit generari tophos vel poros lapideos. Quę verò sit calculi propria materia & causã efficiens, ex natura rei scire debemus, item ab Hippocrate & Galeno, ex quatuor scilicet humoribus posse generari calculos: vel enim dominabitur pituita, vel bilis, vel melancholia, vel sanguis, qui concreuit, & in lapidem vertitur: crebrius tamen & frequētius ex bile mixta cum pituita: ideo vt plurimũ apparent rubei & subcitrini cum aliquali albedine, qui colores bilem pituitamq; dominari attestantur. Vbi hæc mate-

riæ, & maximè vbi bilis abundauerit, præcedunt arenulæ fuluæ, asperæ, quæ ex se vniri non possunt, nisi aliquod viscidum, quod ipsos conglutinet, accedat: bilis enim cùm de se sit calida & sicca, fiatq; calidior ob renum caliditatè, quicquid in ea humidi est absumitur, partes terræ veluti arenulæ remanent. Atq; ita fit vt qui calculum patiuntur, plurimas habeant arenulas: qui verò arenulas habent, tandiu subiecti sunt calculis, quandiu arenulæ fluunt, quæ si in multa copia fluunt, tuti omnino sunt: virtutis enim expulsiuæ fortitudinem ostendunt. Si verò retinentur, periculum est ne statim generentur calculi. Vbi verò pituita bili dominatur, quæ in ipso calculo veluti gluten est, leuiores sunt, nõ ita duri, neq; asperi, neque inæquales aut friabiles, suntq; ex ea calculi minimè periculosi. Inter hæc duo extrema multa contingunt media, secundùm variam humorum inter se mixtionem & proportionè, quæ ex colore inter se facillè cognoscuntur, suntq; hi calculi magis minúsue periculosi, prout ad alterum magis & propius accedunt. Causa efficiens est calor accidentalis vel naturalis existens in renibus: nam siue sint naturaliter calidi, siue accidentaliter, sicut cõtingit propter affectum extrinsecum, vt propter laborem plurimum, coitum plurimũ, cibaria calida, hepatis & venarum caliditatem, coquitur huiusmodi materia, non aliter quàm lapides in fornace. Hæc verò materia causas habere potest procatarticas, quæ sunt mala vitæ ratio nõ tantum qualitate, sed & quãtitate peccans, ex qua multæ cruditates generantur. Addebat Auicenna debilitatem virtutis expulsiuæ, quæ si fortis esset, priusquàm materia ea excoqueretur, expelleret, atque ita ipsorum generationem prohiberet. Si igitur segnis est, & calor fortis, & materia præparata,

rata, facillimè calculi generabuntur. At vbi calor ille est factus idoneus ad calculi procreationem, difficillimum erit ipsum ab hoc vitio retrahere: nihil enim, etsi diligenter aduerterimus, quod magis sit reciduum, quàm ipse calculus, quippe qui bis, ter, aut quater in anno generetur. Viæ, per quas hi calculi transeunt, sunt vasa vrinaria, quæ renibus coniunguntur, per quæ & vrina & materia hæc expellitur. Possunt autem hæc esse vel angustæ vel amplæ: si angustæ, difficilis erit meatus cum dolore, ita vt nonnunquam in transitu in syncopen incidant, & aliquando moriantur: si sunt amplæ, ita vt sine dolore calculi decidant, sintq; hi lenes ob pituitæ dominium (sunt enim hi quàm qui à bile flaua proueniunt multò benigniores) his defluxus erit facilior, & sine ægri molestia. Membrum recipiens calculum est vesica. Nonnunquam autem cõtingit, quòd lapis in renibus genitus mandetur ad vesicam, in qua si moram traxerit ob materiam continuè defluentem augetur: adhæret enim illa lapidi ob viscositatem, vt tandem propter longam moram in vesica insignis lapis procreetur. Accidit autem id ob virtutis expulsiuæ in vesica imbecillitatē, quæ si fortis fuerit, illicò vbi transfusus est ad ipsum calculus, expellit ad virgam, quæ si amplum habet meatum, facillè & sine dolore expellit: si verò angustum, cum summo dolore. His omnibus consideratis, totam calculi naturam quo ad suas causas inuenimus, ex quibus facillè possumus respondere. Primum est, cur tam citò, tam multi, & tam magni generentur, & sine dolore expellantur, & non præcedant arenulæ. Si modò huius nobilis viri temperatura & propria natura nobis esset cognita, melius iudicaremus: vt ex calculis tamè cõiectare possumus, quos flauos & albicantes intelleximus, pituitam

bili commixtam dominari colligimus : habere enim
 debet hepar & renes calidos , nutritus multis ciba-
 rijs calidis & optimis vinis , ex quibus aggregantur
 multæ superfluitates : & licet cibis (vt scribit) exqui-
 sitissimis vsus fuerit, nihilominus tamen eos quanti-
 tate ea sumere potuit, vt cōficere eos minimè potue-
 rit, indeq; plurimæ creatæ fuerint cruditates. In ac-
 re præterea frigidus degit, vbi pori adstringuntur, ex-
 crementa q; plurima redundat. Habet præterea via-
 rum amplitudinem, quam hepatis caliditas indicat.
 Cùm igitur plurima abundet materia in hoc corpo-
 re, & renes sint naturaliter calidi, ideo plurimi calcu-
 li generantur. Et quia caliditas renum est causâ effi-
 ciens, eaq; est valida, ideo citò generatur: fortitudo
 enim causæ efficientis, & multitudo materiæ, causâ
 est quare plurimi crebrò & citò generentur. Quòd
 autem non sentiat dolorem nisi quando per virgam
 egreditur, & non in transitu à renibus ad vesicâ, cau-
 sa est, quòd calculus ille generatus est in cavitare re-
 num: & quia vrinalia vasa habet ampla, ideo in tran-
 situ non sentit dolorem. Dolor enim à duplici cau-
 sa prouenit, vel ab intemperie, vel à solutione conti-
 nui. Hic verò nõ potest esse dolor ob intemperiem,
 quia in lapide nulla insignis aliqua qualitas reperit-
 tur. Fit igitur solutionis continui ratione. Sed cùm
 viæ sunt amplæ, non soluitur continuum, ideo nec
 dolor fit. Atq; ita cùm sit calculus albicans propter
 dominium pituitæ, & non friabilis, sitq; genitus in
 concauitate renum, qui ex se nullius sensus sunt, nec
 premendo, neq; incidendo, neque extendendo po-
 tuit soluere continuum, accidit vt sine dolore trans-
 mitteret. Quòd verò dum secundo Nobilissimus
 vir hunc pateretur affectû, circa lumbos senserit do-
 lorem, contingit, quòd hi calculi nõ in cavitare, sed
 in sub-

in substantia renum essent geniti: & licet rarò ob fibras sit aliquis sensus, tamè quoniam intumescēbat & extendebat membrana quæ validissimè est sensus, ideo percepit dolorem, quem sensit quousq; in carne permanfit calculus: cum verò ad cavitatem pertransiisset, neq; amplius compressiōnem extensiōnemq; faceret, dolorè amplius non percepit, donec ad virgæ meatum peruenissent: & quia parui calculi erant, minimè dolorè excitabant: tres autem illi maiores, qui ad fabæ magnitudinem excreuerant, dum ad virgam protrusi essent, ob eorum magnitudinem grauisimum dolorem excitauerunt: hærebant enim impacti ibi ob meatū virgæ non capacè, & anfractuosum, ita vt meatum obstruerent, & vrinam patiens reddere non posset, tum aquæ illius diuretici auxilio, vrinā prouocatis, expulsi sunt. Quare autè ipsos calculos non præcesserint arenulæ, vt in pluribus contingit, hoc ideo euenisse credo: licet enim sit latarum viarum, & virtus expultrix validissima, tamen renes adeò sunt calidi, vt concoctio à validiori calore & maturatio, expulsiōnem arenarum præuenirit: nam vbi materia illa est in renibus, statim à pituita corripitur compingiturq; atque ita subito calculus fit, qui concretus sine alicuius arenæ præmissione eijcitur. Ad secundum igitur nobis propositum accedimus, in quo præseruationem nobilis hic vir à calculi generatione quærit. Sed quoniam indicationes præseruandi, à curandi rationibus non multum variant (quæ enim præseruant, eadem valent ad curationem) ideo simul & de præseruandi, & de curandi ratione dicemus. Aëris itaq; excessus omnes pro viribus sunt euitandi, frigus tamen præcipuè fugiendum. Circa renum regionē nihil applicet, à quo vel caloris vel frigoris redundantiam percipiant, pro-

susq; studeat vt omnia temperata in caliditate & frigiditate tam per os, quàm per exterius corpori admittat: hic enim morbus hoc habet propriũ, vt vtroque tam caloris, quàm frigoris excessũ lædatur. Animi omnes ingentes motus quantũ humana fragilitate fieri potest euitet, præcipuè iram & mœrorẽ. Somnos longiores effugiat præsertim meridianos, & nisi noctu occasione aliqua impeditus fuerit, tempestiuè surgat, eoq; tempore exercitio tam animi quàm corporis commodissimè vtatur: vtrunq; enim alternatim admitti potest, præcipuè corporeũ vsq; ad sudorem & anhelitus frequetiam, magnitudinemq; expetendum, ita tamẽ vt peracto eo aërem frigidum fugiat, & si sudauerit, sudor exquisitè abstergat, quiescatq; vt inter prandium & exercitiũ saltem vna hora intercedat. Procuret omni conatu quotidianas alui excretiones. At si aliquando defecerint, hoc familiari vtatur præsidio. Manè hora vna aut altera ante prandium gallinacei iuris heminam amplam bibat, in quo decoctus sit manipulus maluæ & mercurialis, addita in fine portiuncula zucchari. Eundem vsũ optimè præstabũt caricæ pingues, hoc est, ficus aridæ, si decem aut quindecim iugiter in prandio sumantur: præterquàm enim quòd aluum mollem efficiant, renes etiam non mediocriter purgabunt. Bis tantũ singulis diebus, prandio inquam & cœna, cibum moderatè & citra saturitatem assumat, neq; in medijs intervallis potet, quandò & intra comedendum parcè admodũ bibendũ censeo. Sit autem vno cibi genere cõtentus, & præcipuè euitet carnes, lac, & butyrum, lacticiniorumq; genus omne piscibus commiscere. Ad secundum cibum non accedat, nisi priorem se exactè concoxisse cognouerit: & quomodo scribit se exquisitissimo cibo & potu vt, velim
 in eo

in eo perseveraret: verum quãtitatem & varietatem eodem tempore euitet: velim tamẽ vt à piscibus omnibus abstineret. Carnes eligat vitulinas, hædinas, pullaceas, aues omnes quẽ in montibus & locis campestribus minimeq; palustribus degunt, lepores quoque & cuniculos iuniores. Utatur ferculis bene elixatis, qualia sunt far, oryza, spelta. Sumat iura omnia, in quibus laudatæ carnes concoquantur. Oua forbilia vel simplici aqua elixata summo opere laudo. Pro acetarijs & condimentis cappares, intyba, oliuas concesserim, nonnunquã æstatis tempore lactucas: in secunda mēsa pyra aut poma cocta, & zuccharo vel fœniculo aut aniso aspersa. Aromata summo opere euitet, & iusculorum illa genera feruentissima, quæ non minus comedunt viscera, quàm ipsa comedant, quorũ in Germania & in Polonia est frequentissimus vsus. Vinum eligat tenue, lucidum, maturum, quod nec dulce, nec acerbum est, in quo nullus eminet sapor, nec tamen insipidum, sed potius sapidissimum sentiat, optarimq; id colore prorsus album. Ceruisiam autem cum flatuosa sit, nisi necessitas cogat, omnẽ dimittendam censeo: si tamen illam bibendo assuetus fuerit, neq; inde nocentũ percipiat, poterit interdum ea vti, vbi vini probabilis copia defuerit. Hæc omnia si diligenter obseruarentur, satis sufficere possent tum ad tuendã sanitatem, tum ad remouendos fomites futuræ ægritudinis. Sed quoniam ea est humana imbecillitas, vt neq; in propria vita seruãda semper ratio adamussim seruetur, imò frequentissimẽ homines delinquant delirantq; ideo adminicula quoq; adscribent, quibus errores corrigi possint, & sanitas casura fulciri. Primũ itaque comodissimum iudico, vt semel aut bis singulis annis totũ corpus exquisitẽ purgetur circa idus Aprilis

lis & Septembris, effctq; purgatio huiusmodi. Primò fumat hora vna ante prandium optimi floris cassiæ & recentis drach. decem, cum zuccharo ad bolum redactas. Syrupum die sequenti in aurora calidum bibat, quem vsq; ad nonum eundem repetet.

℞. Syrupi acetosi

Mellis rosati

ana ʒ j.

Decoctionis infra scripte

ʒ iiij.

℞. Radicum althææ

num. iiij.

Seminum melonum

Maluæ

Anguriæ

Cucurbitæ

ana ʒ ij.

Capillorum Veneris

Comarum viridium fœniculi ana man. j.

Bulliant omnia simul in libris duabus aquæ endiuicæ vsq; ad consumptionem medietatis, deinde coletur & exprimat, pro tribus vicibus. Sumptis noue syrupis ita deinde purgetur:

℞. Floris cassiæ

ʒ vj.

Electuarij de succo rosarum

ʒ ij.

Syrupi rosati solutiui

ʒ iiij.

Cum aqua capillorū Veneris fiat potio, sumenda in aurora cum custodia. Laudo etiā quòd frequentissimè ante cibum optimi zucchari rosati vnciā deglutiat: summopere enim confert ad stomachi, hepatis, renum corroborationem. His ita hoc anno integro peractis, spero salutem nō renum tantum, sed totius quoq; corporis assecuturum. Quòd si reliquiæ quædam permanserint, longa experientia compertū habeo ad hoc genus morbi potum aquæ thermarū ferrearum, quales sunt in Italia in agro Veronensi Calderianæ, in Lucensi Villanæ, desperatos etiā renum dolores, & aptitudinem ad calculos generandos,

hoc

hoc solo præsidio sæpe profus sanari. Sunt autem potandæ in diebus Canicularib. cælo sereno & feruentissimo, præmissis exquisitis totius corporis purgationibus. Vbi verò dolores iam in actu infestauerint, primò vomitū prouocabit, deinde clysteribus per inferius educet materiam intestinis impactam, hoc modo:

℞. Camomillæ

Anethi ana man. j.

Fœnuigræci

Seminis lini ana ^{mano} j.

Cumini s.

Decoquantur in aqua fontis sufficiēti ad dimidium. Sumatur huius coctionis libra, & misceatur cum vinijs sex olei camomelini, & imponatur. præstantissimum est remedium ad excutiendos flatus, & sedandos dolores. Quòd si adhuc dolor perstiterit, addantur libræ eiusdē decocti, hieræ picræ drach. sex, diaphœniconis drach. quatuor, olei anethini vncia. Exterius verò cum lana succida applicet oleū de scorpionibus, cum oleo amygdalarum amararum confectum, vel oleum liliorum alborum, aut anethinum, vel camomelinū, aut quæ ex his componuntur. Vtaturq; eo tēpore cibo tenuissimo, sitq; illi potus ius pulli calidum cum cinnamomo aut aniso. Si neq; dolor his cessauerit, hac vtatur statim medicina:

℞. Floris cassiæ 3 vj.

Specierum hieræ simpl. 3 ij.

Misce, fiat bolus cum zuccharo, & statim vbi hunc bolum sumpserit, sumat heminā vnā iuris, in quo decocta sint folia maluæ & hordeum. Velim singulis mensibus pro præseruatione sumeret pilulas tres:

℞. Rheubarbari electi

Aloës optimæ

Agarici	ana 3 ij.
Rofarum	
Myrobalanorum citrinorum	ana 3 j.
Spicæ	
Seminis fœniculi	3 s.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & cum mucilagine radicum althææ condita cum zucchero fiat magdaleon, de quo singulis vicibus fiant pilulæ tres pondere drachmæ vnus, quas sumat hora vna ante cœnam. Hæc sunt quæ pro viri huius nobilissimi salute in medium attulimus. Vellemus tamen priusquam his vtatur prudentissimū medicum consulat, qui pro ægri natura nobis incognita poterit illa moderari: consulatq; de missione sanguinis eo tempore quo bis in anno vniuersales fiunt purgationes, quæ summopere nobis placeret post primos duos syrupos exhibitos. His omnibus diligēter obseruatis, speramus Dei optimi maximi nutu à summis cruciatibus fore liberum.

VALENTINVS LVBLINVS.

Locus hic postulare videtur, vt ea annectamus, de quibus est Montanus in eodē casu interrogatus, vt tibi omnia candidè cōmunicem, quod quidem fecisse me in reliquis intellexisti. Nam quæsitum est à Montano, sanguisne mitti possit nato quinquagintaseptem annos, & laboranti calculo? ita respondit. Dicimus, quoniam bonæ habitudinis est, venas amplas habet, & multum sanguinis, bene potest etiam in hac ætate respectu huius morbi sanguinē mittere. Porrò hæc missio in vere fieri debet, & ex basilica dextri lateris. Quantitas sanguinis mittenda est secundum considerationē temperaturæ & substantiæ sanguinis, obseruando diligēter qualitatem regionis, naturamq; eius & proprietatē, ac etiam rationem latitudinis

titudinis & eleuationis poli. Vfus erat antè vino
 sublimato cum hedera fylueftri, & calculos excreue
 rat ea medicina: cur fibi nunc interdicaſt quæritur,
 cùm ipſe iuuamentum ſenſerit? Poſſet iam quæri, v-
 trum vinum ſublimatū illud cum hedera prodeſſet
 ad calculum renum. Sed quia illud non quæſitū eſt,
 ad id quod quæritur reſpondemus. Quod à calore
 & ſiccitate concretū eſt, non poteſt niſi per contra-
 rias qualitates diſſolui & liqueſeri: ita & de calculo
 rum diſſolutione ſentiendum. Calculus renum ab i-
 gneo calore concoctus, non poteſt vino ſublimato
 aut rebus calidis & ſiccis diſſolui, imò ab his magis
 induratur. Quòd autem ad diſſipationem & diſſe-
 ctionem calculorum attinet, ſciendum, quòd illi qui
 ex calore cocti & concreti ſunt, non diſſiciuntur, ni-
 ſi per ſubſtantiam ſubtilem & penetrantem ad fun-
 dum uſque, ſiue ea ſubſtantia ſit frigida, ut eſt ſuccus
 limonum vel acetum, ſiue calida, ut vinum ſublima-
 tum, & aqua deſtillatae aliae calidiores etiam in ter-
 tio gradu: de quibus aquis diſſicietibus calculos om-
 nes medicorum libri ſunt repleti. Quare vinum adu-
 ſtum ratione ſubſtantiae ſubtilis & penetrantis diſſi-
 cit lapides, ſicut in hiſtorijs de aceto Annibalis legi-
 mus, quo ipſe rupes & moles lapideas fregit & diſſe-
 cit. Quo ad præſeruationem, ne congregentur are-
 nulae, & fiat calculus, ſuperfluū exiſtimo aliquid ad-
 dere, cùm illud in cõſilio noſtro, quod ante meſes
 aliquot Dominationi ſuae miſimus, ſatis clarè oſten-
 derimus. Caueat ab eo quod ab aliquo ei (quantum
 intelligo) perſuaſum eſt, quod mihi diſplicet, nempe
 ut quotidie utatur cibus illis qui vrinam prouocant,
 ut petroſelino, quod omnib. cibus immiſcet, & cum
 ijs utitur: quo petroſelino tanquã cum medicamen-
 to incõuenienti ipſe omnem materiam trahit ad lo-

ca imbecilliora, vt ad renes & vesicam, quo meatus ampliatur & maiores fiunt, & ita ipse multos fluxus eo petroselino prouocat, qui solet esse error non minus communis medicis illis vulgaribus & imperitis (vt aliqui inepti pharmacopœi sibi medendi prouinciam vsurpant) in quos plerunq; impingunt. Quòd calculi tam graues in renibus nò excreuerint in tantam quantitatem, facile cōcedo. Non enim video quo modo tam grandes lapides per tantam angustiam mitti queant sine maximis doloribus & vitæ periculo. Sed veritati videtur admodum consentaneum, quòd in renibus cœperunt fieri, & cum ad vesicam postea venerunt, creuerunt paulatim & aucti sunt, donec vltimè sunt expulsi. Quomodo euitari possit fluxus catarrhalis, quo sub finem hyemis laborat quotannis? Ad euitandum catarrhum, necesse est vt regimen victus in nostro consilio descriptum diligenter obseruet, si quidem suam sanitatem conseruare velit. Præterea ibi memoratis ter vel quater in mense vti poterit pilulis infrascriptis vesperi hora vna ante cœnam:

℞. Agarici electi

3 vj.

Aloës optimæ

Garyophyllorum

Nucis muscæ

ana ʒ j.

Puluerizentur omnia per se, postea misceantur, dein de infundantur in succo rosarum puro, & permittantur exiccari subtile, & ita iterum septies. Postea cum syrupo de stœchade fiat magdaleon, de quo formetur pilulæ tres pro singulis vicibus. Est etiam maxima & optima medicina pro euitando catarrho, confortare ventriculum, hepar, renes, & vesicam, quod

fiet si singulis diebus ante prandium & cœ-

nam sumat zucchari rosati vnciam,

vel semunciam.

CON-

Consult. LXXX. De calculi præseruatione, pro
Reuerendiſſ. Cardinali Petro Bembo.



Voniam arenæ quæ in vrinis subsistunt, calculum fieri vel in renibus, vel in vesica indicant, vt quarto Aphor. Galenus testatur, dolor autem affectû distinguit, vt secundo de locis affectis ostenditur, certû est perferuerate dolore in renibus, ac simul arenulis in vrina subsistentibus, renes ipsos à calculi suspitione minime liberandos. Ergo Reuerendissimus Dominus meus, cui omnia debeo, cum in hoc ipso discrimine sit, summa ope adiuuandus est, ne incidat in deterius: quod spero facillimum fore, tum quia sua Dominatio prudentissima, & tuendæ sanitatis studiofissima semper fuit, ac præceptis exquisitissimè parens, quæ saluti profutura cognouerit, tum quia me plurimû amat, mihiq; consulenti maximè cõfedit: quod quantum momenti afferat, vt medici remedia proficiant, indicat Auicenna sexto naturalium, qui fiduciam ægri, quam de medico concipit, & arti & consilio, & omnibus medicinæ instrumentis præferendam opinatur. Circa præseruationem igitur totum cõsiliu vertemus, non enim iam factum, sed futurum in modum curamus, atq; ita rem moderabimur, vt ratione quoq; podagræ habeamus: nam audimus suam D. in eam proximè incidisse. Alioqui duo isti affectus, renum inquam calculus, & podagra, talem inter se consensum perpetuò seruant, vt peritus medicus, dum alterû curat, non minori studio debeat alterû curare, ita eueniet vt cum duobus simul sit dimicandû. Proponemus ergo duo instrumenta præsentis negotio maximè necessaria, alterû in ratione victus, alterû in medicamentorû quorundâ auxilio cõsistēs.

Quantum ad rationem victus attinet, primò D. S. quàm maximè fieri poterit, omnem aëris excessum euitabit, frigus inquam, solis ardorem, vêtos præcipuè meridionales, & ex opposito septentrionales, pluuias, nebulas, & reliqua huiusmodi quæ cæli temperiem ad immodicos flatus trahunt. Propterea & cubicula, porticus, stationesq; eligat temperatas, atq; ab huiusmodi prorsus incommodis munit caput, & capitis operimenta ita moderabitur, vt neq; aggruari caput, neq; refrigerari sentiat. Catarrhos enim & destillationes summopere cauere debet, tanquam quæ ad calculos generandos non paruâ afferant occasionem. Reliquas etiam corporis partes indumentis, siue noctu, siue interdiu, talibus munit, quæ nec nimis calefaciant, nec parum à frigoris iniuria tueantur: renesq; præcipuè tueri debebit, vt nullo qualitate excessu laborent. Omnino enim huius affectus propriû est, vt pariter tam ab immoderato frigore, quàm calore excitetur: ergo vtrunq; vitare oportet. Exercitijs vtetur temperatis, videlicet vsq; ad anhelitus mutationem, cauebitq; præcipuè à pomeridianis. Horum cõmodissimum tempus erit, matutinis horis, vbi prius corpus rectè fuerit procuratum, alui, vrinæ, scretusq; educationibus, capitis congruis pectinationibus, faciei, manusq; lotionibus. Ab exercitio quiescat: nec citius ad prandium accedat, quàm anima spirituq; exquisitè sedato, & calore ad pristinum gradum remisso. Animi verò molestias, sed præcipuè iracundiam & mœstitiã tanquam pestes euitet: inde enim & concoctiones deteriores fiunt, & feruor sanguinis præter naturã augetur: nam in mœstitiã quoq; interius augetur, nisi cum immodica fuerit & diutissimè perseuerans. Ab his autem causis calculi potissimè generantur, si corpora fuerint

fuerint preparata, vt perito medico facile patet. Studebit etiam diligenter, ne post cenā prius cubitum accedat, quā duæ horæ excesserint: nec supinus omnino cubabit. Somni tempus septem horas non excedere optauerit, nisi fortè longa consuetudo secus faciendū persuadeat. Manè circa Solis ortum surgere enitetur: si tamen ea hora dormire cōsueuerit, saltem moderabitur, eniteturque vt quambreuissimus somnus sit: tuncq; magis laudarem, vt sedens potius dormiret, quā decumbens. Postea D. S. exquisitissime procurabit, & huic etiam præsidio tanquam saluberrimo maximè fidet, vt singulis diebus semel tantum aluus cōmodè ducatur. Et si fortè vomere cōsueuisset, aut certè facile ad vomendū accederet, laudarem summopere vt singulis mensibus euomeret, inde enim & euacuaretur corpus, & humor auerteret. Præterea ad cibum non accedat D. S. cruditate existente in ventriculo, sed expectabit sensum appetitus manifestum: & in ipso comedendi initio semper aliquod iusculum, vel liquidum assumet edulium, deinde ad solidiora vertetur, ita tamen vt nec varia, nec multa offerantur. A varietate cauebit, verbi gratia, carnes cum piscibus admiscere, aut cum vtroque fructus, aut lactinia: nec minus oua piscibus malè adhaerent. In stomacho diuersarum naturarum cibi admiscendi non sunt, & præcipuè si qui facile putrescant, solidioribus succedant, vt lac aut fructus horarij carnibus. Virabit etiam cibaria ex diuersis generibus cōfecta, sicut est omne placentarum genus, quod vulgò tortas & rossiolos appellāt. à frixis præcipuè abstinebit, sunt enim inquinata potius, quā cocta. Hæc autem omnia licet ad reliquū vsum sanitatis maximè euitare conueniat, præcipuè tamen ad præseruationem à calculo, in quo cruditates om-

nes prorsus sunt fugiēde. Cibo assumpto, sensim qui dem deambulet, vt facilius ad ventriculi fundū descendat, à valido tamen exercitio & equitatu cauebit. E ferculis comedet ptisanam hordeaceam, far, oryzam cum lacte amygdalarum, & zuccharo, ac modico cinnamomo. Iusculum paretur cum petroselinno, & omphacino liquore, quem vulgò agreftam vocant: rarò boraginē, betam & sceniculum comedat: nonnunquam tamen cucurbitam, ac caules hyemis tempore, nō omnino vituperamus. Pro acetarijs vte tur cappare, cichorio, lactuca, boragine, endiuiā, asparago etiam & dauci specie quam carotam appellant, præcipuè corpore puro existente. Quòd si talem sibi viuendi rationē præscribet, multum illi auxiliij allatura est. E fructibus horarijs ante cibū interdum assumet, sed parcè, pruna bene matura, præcocia, armeniaca, persica, magis tamē melopepones & optimas ficus eligimus, omnia tamen parcè sumenda, sunt enim potius humectādo & refrigerando corpori, & aluo leniendæ, quàm nutritioni expetenda. Ex autumnalibus verò post cibum comedet pyrum decoctum vel cotoneū cum zuccharo, tamē neque admiscebit anisum, vel sceniculum, vt nonnulli perperam faciunt. Carnes comedat, ex agreftibus lepores, si iuniores fuerint, sin secus, omittendi: idemq; de ceruis asserimus. Nec omnino malum pronunciamus, si quandoq; apri modicū ingesserit, est enim optimi alimenti, & si modò parcè sumat, non ita difficulter cōcoquit. Aues item comedet, quales perdicæ, francolini, phasiani, turtures, turdi, & reliqua id genus montana omnia: nam notissimū est ab omnibus palustribus abstinendum. Ex domesticis verò animalibus, hcedi annales, castrati, vituli lactentes, pulli gallinacæ & columborum: à reliquis abstin-

bit,

bit, præfertim à carne bubula. In vino autem eligendo, non modicum studium adhiberi oportet: habet enim vinum præ cæteris alimentis quòd corpus humanum maximè afficiat & mutet, tum quòd citissimè & plurimùm nutriat, tum quòd copiose ingeratur, tum quòd sit eius vsus assiduus, quæ pane excepto, nulli præterea alimento contingunt. Vinum igitur eligetur quod quàm maximè fieri potest, nullum qualitatum excessum habeat: neq; enim nouum esse debet, neque peruetustum, sed medium: nec album, nec atrum, sed subrubrum: nec potens, neque adeò pauciferum vt ventriculo noceat, sed moderatum. Duo tamen suprema in vino desideramus, vnum vt quatenusimùm limpidissimùmq; sit, atq; permaturum, nullius aciditatis vel dulcedinis particeps, sed eum maximè saporè præ se ferat, quem vinosum vocant: talia ego sæpe bibi Romæ Salernitana. Hęc sunt que circa omnè victus rationè optauerim Dominum meum semper obseruandissimum obseruare, qua obseruatione spero affecuturum, vt nõ tantum à calculo, & molesta podagra præseruet, sed à reliquis quoq; innumeris morbis diutissimè immunis persistat. Quantum verò attinet ad medicameta, ea quidè pauca admodum & leuissima proponemus. Si enim talem viuendi rationè sibi cõstituerit, qualem præscripsimus, nõ erunt medicamentorum auxilia multum necessaria. Quia tamen non semper lineam ita exquisitè attingere possumus (homines enim sumus) propterea laudo, præcipuè si fuerit assuetus, vt bis in anno, principio in quauersis & medio autumno, scilicet mense Octobri, suauiter purgetur, vt nobilia & delicata corpora solent. Deinde vt toto anno rhabarbari vsum familiarem sibi proponat, ita vt saltem ter in mense assumat ex eo, quantum sunt duo scrupuli vel integra drachma,

sive mandendo & deglutiendo absq; alterius uel cōmixtione, sive permiscendo vel cum zuccharo rosato, vel cum passulis, prout Dominationi suæ cōmodius esse videbitur. Studebit autem ut habeat myrobalanos chebulos optimè conditos, qui ex Alexandria deferuntur, quorū vnum manè tribus horis ante prandiū assumer: est enim optimū & singulare remediū non tantū stomacho, & membris omnib. naturalibus corroborandis, inter quos renes cōnumerant, sed cerebro quoq; ut etiā sensus omnes tam interiores quàm exteriores exacuat, ac præterea gustui satis iucundū sit, & humanæ naturæ familiarissimū.

*Consult. LXXXI. De arenulis & metu
futuri calculi, pro iuvene Siculo.*



VM hepatis ac renum caliditas, efficiēs causa fit ut arenæ & calculi generentur: materia autē sint humores, partim biliosi, partim pituitosi, qui ex praua victus ratione suam originē ducūt: ideo in legitima eius morbi curatione, vtraq; causa necessariò est submouenda, ita sanè ut nimia eorum viscerum caliditas mitigetur, dictorū autem humorū copia inhibeatur. Ad ea verò præstanda, duo potissimū sunt instrumenta, quorū alterū est optima victus ratio, quæ etiā magis necessaria mihi videt: alterū verò est illud, quod ex medicamentis peti solet auxilium. De priori itaque in primis, de posteriori autem deinceps dicemus.

Communis viuendi ratio non tantū ex cibo & potu, verum etiam ab aëre, animi affectibus, somno & vigilia, inanitione & repletionem, motu & quiete, solet immutari: quinimò hæc posteriora, nō minorē quàm cibus & potus, vim habet corporis immutadi. Propterea in ea præseruatione quam in Nobili hoc viro mo
liri

liri tentamus, omnia ex æquo sunt cōsideranda. Igitur ab omni aëris tam calidi quàm frigidi excessu: à deambulatione ac labore omni qui fit in aëre aut ob solem æstuatē, aut à vêtis agitato, potissimū verò ab Euroaustro & Austro, quoad per ipsum fieri potest, abstinēbit. Minimē autē in cubiculis quæ aut in plana humo sint, aut humida, sed ne sub dio quidē, aut sine stragulis, aut nudus, vt in magnis æstibus fieri solet, dormiet aut cubabit. Ab ira, tristitia, omniq; animi grauiori molestia ac perturbatione, pro viribus sibi tēperabit. Corpus manē exercebit, aut vesperi per horā vnā ante cœnam. Nec tamen statim ab exercitio cibum sumet, sed per spatiū mediæ horæ ad minus quiescat. Neq; ab exercitio adhuc calidus vestes deponet, nec vento, aëri ue frigidiori se exponet. A cibo, longiori quoad fieri potest temporis spatio, ab omni corporis atque animi labore abstinēbit. Igitur neq; scribendum, neq; legendum illi est aliquid, nisi id cum voluptate aliqua coniunctū sit, & minimē fatiget. Hoc verò spatiū in horas aliquot extendi vellem: quòd si tandiu quiescere illi non licebit, saltem vt serò ad labores sese cōferat, pro viribus curabit. A cibo debet à somno abstinere, potissimū à prandio: à cœna verò nisi post duas horas erit illi dormiendum. Manē autē surget è lecto tempestiuè: hoc enim renibus, oculis ac membris omnib. summopere prodest. Igitur à longiori ac nimio somno sibi temperabit. Dabit etiam operā vt singulis diebus alui excrementa educant, id quod si spontē non fiet, iure inferius describendo per horā vnā ante prandiū assumpto, id fieri curabit. Huius autē iuris ea viserit, vt nō tantum aluū mollire, sed humores etiam temperare & renum caliditatem possit mitigare.

℞. Hordei mundati pugillum j.

Radicum althææ num. iij.

Mercurialis man. j.

Bulliant hæc omnia in libris duabus iuris pulli, donec dimidium absumatur: & addito sacchari tantillo, dicto iam modo, calidum bibatur. A coitu etiam potissimum abstinebit, & penitus quidem à cibo. Ille autè in coeundo perniciosus erit modus, si præter ordinè ac rationè fiat: vt si in coitu diutius immoretè, nec preparatū iam semè statim emittat: si præter naturè ordinè mulieri vir subijciatur: si stans coeat, aut alio modo qui nimium fatiget, & dorsum labore nimio afficiatur. Hæc verò omnia ab hoc iuvene in coitu sunt obseruanda, vt quæ maximi in hoc affectu sint momenti. Igitur in coitu temperantissimū illum esse oportet, & si me auscultabit, in duabus septimanis, aut ad summū in vna semel tantum coibit. Ea siquidem Hippoc. est sententia, Vnciam vnam seminis impotune eiecti, plus afferre detrimenti, quam sanguinis quadraginta: idq; non tantū renibus, sed capiti quoq; ac membris omnibus maximè est noxium.

Quod ad cibaria attinet, in primis abstinebit à pane nō vt decet fermétato, aut minus probè cocto, à crustulis & bellarijs quocūq; modo paratis: à pane etiā quacūq; alia ratione præterquā in furno, vt sub cineribus cocto: & si oleū aut butyrū aut liquor alius admixtus illi fuerit. Pessima etiam sunt omne genus pastilia, vt offulæ, & lagana, & fercula omnia quæ ex attenuata pasta parari solent, siue ea simplex, siue alijs rebus sit admixta: & quanquā quocūq; modo cocta noxia sint, in sartagine tamen frixa, vt in vniuersum frixa omnia, admodum sunt perniciosa, potissimum verò cū alioqui tota sua substantia aduersentur. Euitandè illi sunt antiquæ carnes omnes, vt bouū, castratorū, suum, & reliquorū huiusmodi animalium:
auium

animum præterea palustrium, vt anatū & anserum: pisces quoq; maiores, vt thunni: reliquos pisces comedet moderatè. Lactinia omnia illi sunt fugienda, quemadmodū etiam caseus tam recēs quā salitus. A cibo fructus nullos: ante cibum verò generosi peponis partem aliquam, & pruna probè matura comedere licebit, omnia tamen parcè. ova recentia sunt illi salubria, aut in cineribus cum cortice, aut in aqua sine cortice, prout illi magis arridebit, ita cocta, vt mollia sint ac tenera, non dura. A ciborum varietate in vna mensa sibi tēperabit, & vnico cibi genere contentus erit: & tota vnus diei alimonia in tres partes diuisa, vnā in prandio, duas verò in cœna sumet. olerum genus nullum probō, præcipuè crudum, vt acetaria: quanquam cappareas, asparagos, & lupulos, cū tempestiua fuerint, vt parcè comedat illi concedo. Potus erit vinū album potius quā nigrum, subtile, & quoad fieri potest, minimè potens: quod dilui etiā debet aqua nō admodum frigida, quæ non recēs sit ex puteo aut fonte hausta: nōnunquā etiam cū glycyrrhiza aut hordeo aut althæa, prout vrina magis aut minus est mitiganda, decoqui debet. Hic autem illi perpetuus mos erit, ne ingerat cibaria aut nimis calida, aut nimis frigida, sed temperata. Hæc, quod ad viuendi rationem attinet, vt à calculo præferuetur, dicta sint satis. De medicamentis autem ita à nobis est statuendū. Cū morbi paroxysmus constituta quadā periodo ad mediū Maij mensē reuertatur, & vsq; ad medium Iunij perseueret, certam ac statam euacuationē, inferius illi præscribendam, ad medium Martijum circa, moliri omnino est necessarium. Illud autem in primis mihi probaretur, vt ex basilica eius lateris in quo vehementior percipitur dolor, siue illud dextrum sit, siue sinistrum, sanguis

mitteretur. quòd si latus vtrunq; dolor infestaret, in dextro venâ secandâ esse iudicârê. Mittêdi sanguinis pondus infra octauâ ne subsistat, sed ne decimâ quidem vnciâ excedat. Particularis autê euacuandi ratio & progressus erit huiusmodi. Antequâm euacuationê auspicetur, per duos dies rectâ viuendi rationem instituet, & in cibo ac potu parcior erit, quàm antea cõsueuerit. Tertia autê die, per horâ mediam ante prandiũ, floris cassiæ drachmas decê accipiet: sequenti verò die, cùm iam cassia suam absoluerit euacuationê (alioqui per clystere in quo sit mel rosatum, alius erit excitanda) hora diei tertia, eo quo diximus modo, mittendus est sanguis. Quinta demum die inferius describendis syrupis vti incipiet.

℞. Syrupi acetosi simplicis

Mellis rosati ana ʒ j.

Decocti infrascripti ʒ iiij.

Misce pro vno syrupo.

℞. Radices althææ num. iiij.

Seminum maluæ

Melonum

Anguriæ

Cucurbitæ ana ʒ ij.

Capillorum Veneris

Comarũ virentium sceniculi ana man. j.

Bulliant omnia simul in libris duabus aquæ endiuie, vsque ad consumptionem medietatis, deinde coletur & exprimatur, pro tribus vicibus: & sic perseueret vsque ad nouem syrupos. Sequenti verò die, post syrupos accipiet purgans hoc medicamentum:

℞. Floris cassiæ ʒ vj.

Electuarij de succo rosarum ʒ ij.

Syrupi rosati solutiui recentis ʒ iiij.

Misce, & cum aqua capillorũ Veneris fiat potio, da
da

da in aurora cum custodia. Octo deinde consequen-
tibus diebus, aut etiã quindecim, id quod longè uti-
lius fuerit, manè ac vesperi, per horam vnam ante ci-
bum, accipiet sacchari rosati vnciam mediam. Atque
illi suadeo vt per totum annum sacchari rosati vsum
faciat sibi familiarem, ac horis iam dictis frequenter
illud sumat: pauca enim aut fortè nulla auxilia inue-
niet suæ affectioni magis salutaria. Dictis iam eua-
cationibus administratis, per integrũ mensẽ hoc
vnguento renes inunget:

℞. Succı rosarum
- Violarum
Plantaginis ana ʒ j.
Olei rosati completi ʒ ij.
Cerae albæ ʒ x.

Misce, & fiat linimentũ pro renibus. Illud verò præ
cæteris curabit, vt post purgationes & sobrietate &
recta victus ratione vtatur, omniaque superius præ-
scripta obseruet. Quòd si in Sicilia, quemadmodum
in Italia in agro Lucensi & Veronensi prope Calde-
rium, ferreae thermæ essent, author illi essem vt per
duos aut tres annos deinceps, in æstate, in Canicula
ribus diebus biberet eam aquam, & more etiam con-
sueto in ea lauaret. Mihi etiam maximè probaretur,
si bis saltem in mensẽ hisce pilulis vteretur:

℞. Rhabarbari electi
Aloës
Agarici præparati ana ʒ ij.
Rosarum
Myrobalanorũ citrinorũ ana ʒ j.
Spicæ
Seminum fœniculi ana ʒ s.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, &
cum mucilagine radicũ althææ condita cum zuc-

charo fiat magdaleon, de quo singulis vicibus fiat pilula tres, pondere drachmæ vnius, quæ per horam vnam ante cœnâ fumantur. Et hæc, quod ad præseruatione attinet, dicta sint satis. Cùm autè paroxysmus infestabit, si fortè (quod Deus auertat) reuerte retur, illud primùm curabit, vt si ille facilis est ac paratus ad vomitū, omnem cibum qui tum in ventriculo continetur, statim vomat: quòd si quid præter cibum, euomere etiam posset, vtilissimū fuerit, & adhibita dexteritate debet adiuuare. Post vomitum vnus aut alter, aliquando etiã tertius & quartus clyster erit iniiciendus: spatiū autem inter vnum & alterum interponetur, quantum doloris acerbitas concedet. Clysterium descriptiones sunt huiusmodi:

℞. Foliorum camomillæ

Florum maluarū ana man. j.

Furfuris man. ij.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionem medietatis. Deinde

℞. Cassiæ pro clysteribus ℥ j s.

Mellis violati ℥ ij.

Olei cõmunis ℥ iiij.

Misce, & cum prædicto decocto fiat clyster. In secundo clysteri seruato superiori decocto, sequentia electuaria adijcientur:

℞. Hieræ picræ ℥ vj.

Mellis violati ℥ ij.

In tertio & quarto clysteri eadem, si opus fuerit, adijcientur.

Illud autè in primis adnotandū, nisi prius aut per vomitum, aut per clysteres, aut per vtrunque, quod multò melius foret, fuerit euacuatus, loco affecto, ac dolenti, nec lintheamina calida, nec vngueta, neque alicuius generis fomenta, vt ferè fieri solet, aliquo modo

modo applicanda esse: hoc enim dolorem auget, malum cumulet, & miserum hominem magnis cruciatibus conflictaret. Quamprimum autem hæ factæ fuerint euacuationes, leuioribus tum fomētis vtendum erit, vt vitreolo in oleo seminis lini mortificato. Sequens etiam est vtilissimum:

℞. Farinæ ex qua conficitur panis, duos plus minus pugillos.

Sapæ

Olei dulcissimi

Vini dulcis optimi, ana cyathū vnum magnū.

Omnia simul misceantur, & lentè bulliant, ac interim permisceantur, donec acquirant formam emplastri, non quidem solidioris, sed potius mollis: illud deinde inuoluatur in lineo panno, & loco dolenti applicetur, ad dolorem enim sedandum est efficacissimum.

Iniectis clysteribus & vomitu etiā excitato, si dolor adhuc perseveraret, hoc illi medicamentum purgans exhibebitur aut manè aut vesperi, prout magis videbitur expedire: sed in media etiam die aut nocte exhiberi potest, in huiusmodi enim affectibus nulla interponenda est mora.

℞. Floris casisæ ʒ vj.

Specierum hieræ simplicis ʒ ij.

Misce, & fiat bolus cum zuccharo.

Diuidatur in parua frusta, & sumatur: deinde iuris in quo oleum, malua & hordeū sint decocta, libram vnam statim bibat. Quòd si post medicamentū perseveraret adhuc dolor, accipiat olei amygdalarum dulcium, olei amygdalarū amararum ana ʒ iiij. aut v. quo accepto, per septem horas ab omni cibo ac potu abstinebit. Hisce omnibus administratis, si pertinax adhuc esset dolor, manè ac vesperi tribus horis

ante cibum, hoc decoctum sumet:

Accipe iuris in quo decoctus est pullus	lib. ij.
Radices althææ	num. ij.
Foliorum maluæ	pug. j.
Crana alchechengi	num. x.
Cicerum rubrorum	gr. xx.
Cinnamomi crassè contusi	ʒ s.

Misce, & bulliant ad dimidium, & colentur: deinde in eo decocto imponatur butyri recentis, aut si ille abhorret à butyro, olei amygdalarû dulcium recentissimi vncia vna, & sacchari optimi tantundè. Hoc totum bibatur calidum temperatè. Quandiu dolor perseuerat, sobrietas mihi maximè probatur. Igitur elixus panis, & succus hordei ex iure pulli, illi erit cibus: aqua autem in quo hordeum & saccharû sint decocta, erit potus. Interim etiam frigidum nihil bibet. Singulis etiam diebus clysteribus vtatur, non quidem quales superius sunt descripti, sed è solo eo decocto, cui olei chamæmelini ʒ. ij. olei rosati completi ʒ. ij. vitelli ouorum num. ij. adijciantur. Atq; hæc quidè præsentè paroxysmo administrari debèt.

*Consult. LXXXII. De eiectione materie crassæ
& fætide per urinam, cum dolore renum.*



Ifficillimû est iudicare in huiusmodi Magnifici Domini casu, vtrum expediat illi Calderianâ aquam potare: hoc enim præcipuè videtur exquiri. Difficultatis causæ oriuntur tum ex parte corporis patientis, tum ex ipsis dispositionibus præter naturâ. Audio primùm, corpus hoc redditum esse admodû imbecillum, cum maxima appetendi deiectione, & arescieri ac tabescere. at potus aquarum mineraliû constantes viros requirit, est enim efficacissimum potentissimumque

re-

remedium, ideo debiliori corpori oblatum, sæpe hominem potius quàm morbum tollit. Dispositiones etiam corporis ad medelam admodum sunt ambigua: nam & maxima illa sitis tandiu perseveras indicat vel magnas obstructions, vel multam putredinem, vel febrem occultam. Quicquid horum fuerit, Calderianæ aquæ suspectæ sunt. Eò autem magis vereor, quia intensissimè sitit: & cum audiã frigus inexpugnabile superadditum in exterioribus partibus modo, ut exteriora maximè frigeat, & interiora ferueat, vel febrem malignam, vel intrinsecum abscessum, aut inflammationem portendit: ideo & hic quoq; thermarum aquæ suspectissimæ sunt. Sed & illud, quòd audio materiam plurimam per urinam educi, quæ admodum crassa sit, faculenta & sordida, impedit omnino rectam Calderianarum aquarum exhibitionem. Si quis modò illarum aquarum naturam cum hac dispositione rectè & secundum artem comparauerit, facile importunè impediatur, astringeturque materia profluens ob vim aquarum astringentem, quod facillimam dabit occasionem ad suppressendam urinam, cum maximo patientis discrimine, cui suppressioni alioqui valde paratus est, & in illam perquam frequenter solet incidere. Quid quòd dolores nephriticos, vel colicos, vel fortasse etiam utrosq; iam proximis diebus non sine discrimine perpeffus est? ad hos enim affectus astrictio & frigiditas aquæ maximè infesta est. Hæc sunt, quæ me valde ancipitem reddunt, utrum Magnus iste vir aquam thermarum Calderianarum rectè sit potaturus. Nam ex alia parte potest, ad dilatationem tam amplam, sicut audio, meatuum vrinariorum, & ad corroborationem imbecillitatis partium omnium naturalium, præcipuè quæ ob redundantem humorem cõtigerit, præstantissimus

est earum vsus: ad ardorē vrinę etiam non parū conferret: sitim præterea quę ob puram intemperiem & caliditatem intrinsecorū membrorum contigit, validissimē extinguet. Cū ergo vtrinque rationes adsint quę persuadeant an accipi debeant, an non debeant, in ancipiti persisto, cū planē scire nequeam exquisitū sui corporis statū vel gradū, aut etiā naturam dispositionū. Ideo hanc deliberationē præsentibus medicis determinandā relinquo, ponderatis vtrinque rationib. tum his quas ego percurri, tum his etiā melioribus, quas ipsi excogitabūt. Interim pro præsentis dispositione, qua præcipuē videtur affligi, fluxu videlicet materiei crassę, viscosę & fortidę per vrinam, cū dolore circa partes renū, cōsulerē vt potu vteretur loco & hora syrupi, quo ego in huiusmodi affectibus efficacissimē vtī consueui, cuius descriptio talis est:

℞. Pentaphylli cum radicibus & folio man. iiij.

Granorum alchechengi $\frac{3}{4}$ j s.

Agrimonię man. iiij.

Verbenę

Rosarum siccarum ana man. ij.

Limonū minutim concisorū num. iiij. si-

mul cum corticibus suis.

Contundantur omnia grosso modo, & aspergantur cum vncijs octo infusionis rosarum. Postea destillentur per alembicum vitreum, vel per balneum Marię, deinde seruetur aqua ad vsum.

℞. Huius aquę $\frac{3}{4}$ v.

Syrupi de cichorio Nicoli sine rhabbaro

Myrtini ana $\frac{3}{4}$ j.

Sumat singulis diebus in aurora loco syrupi. Laudo præterea, quòd singulis diebus vel tribus horis ante prandiū, vel immediatē ante syrupū accipiat \mathcal{D} j.

in forma pilulæ, de infraſcriptis trochiſcis.

℞. Trochiſcorum de abſinthio

De roſis ana 3 ij.

De aniſo ʒ ij.

Succi liquiritiæ 3 j s.

Miſce, & cum ſyrupo roſato ſiant pilulæ pro ſingula drachma tres, ſumendæ vt ſuprà. Pro vnctiōe dorſi, hoc eſt, totius regionis lumborum ſecundùm longitudinem vtrinque:

℞. Pinguēdinis anferis ʒ ij.

Olei roſati completi ʒ iij.

Rofarum rubearum

Sandalorum citrinorum

Maſticis ana 3 ij.

Laudani pinguis 3 j.

Miſce cum modico ceræ albæ, fiat linimentum ſecundùm artem, ad uſum, vt dictum eſt. Vinum eliget limpium, medio cre, coloris ſubrubi. Utatur in cibo carnibus ſiccioribus, boni tamen & optimi nutrimenti, quales maximè ſunt pulli, perdicū, phaſianorum, gallinacei, leporis iuuenis: aues omnes campeſtres, præter coturnices: turtures etiam cōueniunt, & oua ſorbilia. à reliquis omnibus edulijs, quàm maximè poterit, abſtinebit. Hæc ſunt quæ abſenti in re difficili conſulenda videbantur, remittens me in omnibus ſaniori iudicio.

Conſult. LXXXIII. De ardore urinae,

cum eo ut ſæpe urinam emittat.



Ræmiſſa ratione victus, vtatur quolibet mane, quando eſt in itinere, fruſto cinnamomi optimi, & trititando in ore de glutiat ſuccū. Bis tamen in ſeptimana loco cinnamomi ſumat rhabarbari drachmā mediā die

bus interpolatis, & illud mandendo succum deglutiat. Ante cibum sumat semunciam anethi præparati, & omni die inungatur locus, qui est intra vnam & alterâ natem, oleo scorpionis facti ex oleo amygdalarum amararum. In autumno & vere purgetur infrascriptis medicamentis:

℞. Specierum hieræ simplicis ʒ ij.
Floris cassiæ ʒ j.

Misce, cum zuccharo fiat bolus, & sumat tribus horis ante prandium. Deinde sumat sequētes syrupos per septem dies continuos:

℞. Syrupi de cichorea Nicoli
De absinthio ana ʒ j.
Decoctionis infrascriptæ ʒ iiij.

Decoctio autem talis est, vt sequitur:

℞. Aquarum maluæ
Althææ ana lib. j.
Aceti albi ʒ iiij.
Foliorum pentaphylli
Betonicæ
Agrimonix ana man. j.

Bulliant ad consumptionē tertie partis, & seruet pro syrupo. Octauo die sumat sequentem medicinam:

℞. Syrupi rosati solutiui ʒ iiij.
Confectionis hamech ʒ iiij.

Cum aqua althææ fiat potio, danda in aurora cum custodia. Post hæc per tres vel quatuor dies continuos sumat vnciam zucchari rosati ante cibum manē & sero. Verum laudo quod in vere incidatur vena basilica dextri lateris, & in autumno post purgationē vtatur aqua balnei sulphurei, vel aluminosi, & pro quolibet mane accipiat xii. cyathos per dies duodecim: & si sint balnea, submergatur in eis. Loca lia nulla adhiberi velim ante mundificatum corpus,
eò

è quòd frigida astringant, calida verò adhuc magis lædant. Patauij, M. D. XLVII.

Consult. LXXXIII. De calculo vesicæ, cum stranguria urinæ, pro nobili puero Italo.



NE conteratur tempus in superfluis, prætermiffa longa præfatione, rem ipsam agrediar. Nobilis puer conqueritur de quibusdam dispositionibus præter naturam circa actiones quæ sunt in emittendo urinam: & quia non sunt vnius generis, distinguendæ sunt. Primò patitur quandam constrictionem urinæ, quandoque enim guttatim emittit, quandoque accedit pars aliqua urinæ, & tendit ad penem, & dum est in medio, regurgitat, & facit angustiam. patitur præterea grauitatem circa partes illas: cum maxima difficultate sedet, & cogitur federe erectus, diuaticatis pedibus: & dum vrina retinetur in pene, & exit, percipit dolorem & ardorem. Quærendū ergo, an symptomata hæc habeant vnam causam, an diuersas. Primò tamen constat in vesica calculum esse, quem tegerunt clarissimi chirurgi. Supposito hoc, quærendum videtur, an ista symptomata habeant pro causa coniuncta, calculum in vesica, an verò non sit causa omnium calculus. Si considero ea quæ clarissimus chirurgus cum instrumento percepit: percepit non esse in collo vesicæ, sed in fundo: ergo non potest esse calculus causa, vt fiat stranguria. Erat enim sententia Galeni, primo de locis affectis, de puero illo, in quo retinebatur penitus vrina, cum dubitaret de causa suppressionis, erexit puerum, & quæsiuit, & deprehendit quòd erat in collo vesicæ calculus obstruens, vbi cum esset remotus, incepit liberè emittere

urinā & mingere. Et ideo vbi calculus non obstruit collū vesicæ, non est causā neq; impedimentū emissionis urine. Cū iste puer non habeat hanc stranguriam tantū, sed urine retentionē omnimodam, & quod magis animaduertendū est, cū habeat ardorem, & illam angustia, meo iudicio vtile erit, vt prætermittā causā calculi, & ipso calculo, videamus causas quæ possunt facere ista symptomata, Nemini dubium est, quòd cū ipsa stranguria nō tantū proveniat, quoniam obstruatur meatus vesicæ, sed quando sunt humores erodentes, qui dum occupant vesicam, irritatur ad expulsionē, vnde guttatim exilit urina: & cū retinetur, colligitur, & cōfertim exit: & vbi acris est, vt ferè in senibus contingit, qui stranguriam patiuntur, quia egerūt nitrosa, & baurachia, propter plurimam materiam admixtā, scilicet balsam pituitam. Cū igitur nos videamus, sicut obseruavi cū D. imponeret fistulā intra collum vesicæ, & dilataret hinc inde orificium, propterea tamen non edidit aliquam copiam urine, sicut solet fieri quando retinetur urina, vbi aliquid circa collū est: & ideo manifestissimū signum est, quòd circa collū vesicæ non est obstructio, ratione cuius fiat stranguria, sed erodentes urine sunt causā, vt non possit retineri urina, quia stimulat virtutē expultricem, vnde perpetuò distillat. Credo igitur quòd causā istius stranguriae, & illius angustiae, sint mordentes urine, quæ expelluntur, nec expelluntur liberè, sed pars quæ circa collum inhæret, dolorem excitat in parte sensibili, vnde per consensum spiritus omnes cōcutiuntur, & fit syncopa, quæ appellatur angustia, & videtur totus dolere, & dolor ille est lipothymia, & proxiimū syncopes. Quòd autem hoc contingat cū aliqua mordicant penem in urina, notat Arist. vnde qui aliquid

quid mingunt tale, horrescunt propter acrimoniam
 vrinæ. Vbi igitur vrina efficitur mordacissima, non
 est mirum si loco horripilationis, quæ fit in sanis, in
 ægris faciat angustias: sicut enim magis ad magis, ita
 simpliciter ad simpliciter, vt est regula topica. Cre-
 do ergo has causas esse horum duorū symptomatū,
 stranguriæ inquā, & lipothymia: erat enim ista mate-
 ria acris in capite, & omnibus membris. Crediderim
 lapidē non esse in causa, cur ita sit vrina acris. Causæ
 sunt dispositiones in vesica: est tēperatura calida &
 sicca, hepatis præcipuè & cordis. Audiuitis etiā hūc
 puerum habuisse pessimā rationē victus, & dum es-
 set sub præceptore, ingessisse crassa cibaria præter
 omnem consuetudinē suam, fabas, pisa, legumina, &
 reliqua, quæ aggregāt humores pituitosos, nam exer-
 cebat satis se, animo vexabatur strenuitate sui præ-
 ceptoris, vnde erat materia aggesta. Et cū copia
 humoris crudi multiplicaretur, quæ non fuit in to-
 tius ambitu, sed in hepate, & venis mesaraicis, & cū
 inueniat hepar calidum, & cor calidum, non est mi-
 rum si ille humor pituitosus in locis calidis aggrega-
 tus, fiat falsus modo adustionis. Vnde existente tali
 temperatura, aggregati humores crudi facti sunt fal-
 si: qui dum fuerint paulatim aggregati, & per calorē
 hepatis vltius adusti, sunt duo consecuta: primò
 lapis generatus est in vesica. quare generatur? habet
 materiā pituitosam, calidam postea. summa erat, ma-
 teria erat idonea exterius acquisita. Erat secundò a-
 gens præsens calida tēperatura, vnde necessariò con-
 secutus est effectus conueniens, calculus, ex materia
 pituitosa lapideata, sicut lateres induresunt, quoniā
 primò per calorem excoquantur, deinde per frigus
 condensantur, vnde neq; per calidum, neque per fri-
 gidū possunt dissolui. Ita redditur calculus sicut la-

teres penitus indissolubilis à calido vel frigido, sed bene potest incidi. Cur magis in vesica generatur, quàm in renibus? Gal. affert causam, & dicit, quòd hoc est in pueris propter validam virtutem expulsiuam: nam quæ in imbecillioribus & senibus retinètur in renibus, expelluntur in pueris ad vesicam, quæ materia ibi retinetur, & cum prius excocta fuerit à calore, refrigerat, & à caliditate vesicæ magis & magis excoquitur. Iste calculus in vesica primò percipitur tactu: deinde in syncopis percipit grauitatem insignem circa partes pectoris. Non potest sedere, nam collum vesicæ vergit circa terram, quod dum constringitur, constringitur vesica: igitur & non potest sedere, & fit impedimentum in varijs sitibus. Adest pruritus circa partes illas: sed longè certius est dictum iam signum. Adest etiam illa eadem causa stranguriæ, multitudo materiæ pituitosæ, quæ continuè trãsmittitur à partibus superioribus, quæ sua mordacitate facit symptomata illa. Credo vniuersalè causam esse referendam ad materiam antecedentem horum symptomatum pituitosam, quæ fouet & tegit calculum, & facit ardorem vrinæ, & stillicidium. Quærendum modò videtur, an calculus sit morbus in cõpositione, vel in complexione. Certum est, quòd in compositione, & quòd ille morbus generatus fuit propter affluxum materiæ. Et etiam credendum, imò ferè necessarium, quòd sit intemperies frigida in vesica, non absolutè tamen, cum adsit pituita salsa, à cuius falsedine caliditatem acquisiuit: ergo potest esse intemperies in vesica frigida sine defluxu materiæ. Hęc est tota ratio huius ægritudinis, & consequenter apparet prognosticum. Si volumus iudicare de futuro, dico quòd stranguria, & ardor vrinæ, poterunt tardè curari. Vbi exquisitè ipsum euacuabimus, & alterabimus

bimus illam intemperie superacquitam propter acrimonia, curabitur excoaratio, & vlceraio in epidermide, quæ leuis est: credo quod ista facile poterunt curari: in senibus non curarentur. Nephritici &c. dicit Hippocrates. Sed quantum ad calculum, dico quod non curabitur sine incisione: nam nullus, licet plurimi tentarint dissolutionem, nemo tamen eam est affectus: tamen exhibuerunt primo ea quæ abstergunt & incidunt visciditatem, dum esset appensus lapis corpori vesicæ, vnde facilius postea extraheretur: præterea illa quæ cominuerent superficiem lapidis, & eam partem lapidis quæ mollior est: continuè enim lapidis pars post partem augetur, licet non sit vera actio, sed iuxta positio. Cura igitur ita exordienda: primo exquisitissimè euacuandum corpus, vt omnino tollamus materiam istam falsam, & diuertatur per euacuationem. Facta euacuatione haberem non diuretica tantum, sed potius incidentia & abstergentia: bene diuretica admiscerem his, quæ eorum penetrationem adiuuarent. Primo igitur purgaretur leniendo ventrem, exhibere cassiam, quia lenit humorem falsum, diuertit per intestina, euacuat humores crassos, vt testatur primo Actuarius, & postea Mesue. Hiera est diuretica: darem electuarium de sebesten simplex, deinde exhiberem quæ incidunt humores crassos. Haberem primo intentionem incisionis, & attenuationis, postea confortarem. Vterer syrupis, vt melle rosaceo, syrupo de betonica, de stœchade: illi enim sine mordicatione incidunt. Nolo oxymel simplex, vel squilliticum, vel ex acetosis aliquem syrupum, ne adderetur acrimonia propter acetum: & ideo isti syrupi essent conuenientes, etiam bysantinus sine aceto. Haberem postea aquas distillatas, quæ facerent penetrare syrupos ad partes, ad quas alioqui

non penetrarent. Facta concoctione purgarẽ ipsum cum agarico: non abhorrerẽ à confectione hamech, nam licet sit solutiua, tamen euacuat diuertendo, dum trahit à circumferentia ad centrũ. Ideo trahendo ad ventriculum, diuenteret illam materiam, quæ causam antecedentem habet ab ipsis renibus. Respicendo ætatem pueri, si excederet decimum quartum annum, mitterem sanguinẽ, quæ missio sanguinis esset opportuna ad euacuationẽ & euentationẽ, & remouendã malam qualitã humorum. Fortasse si aliqua adest redundantia sanguinis, quia habet venas latas, possent etiã ventosæ applicari non sine ratione. Vbi ista pituita esset euacuata, & factæ euacuationes, quærendum, an aquæ calidæ thermarũ conueniant. Oh sunt calidæ, augent falsedinem, non habemus intentionem: amplius, iam præterijt occasio. Postea exhiberem quæ cõminuerent & incideret lapidem: vellem distillare limones non in alembico plumbeo, quoniam cum vapor limonis sit acutissimus, generaret cerussam, & faceret venenum: & hæc aqua est magis penetrabilis, quàm acetum. Ergo facerem alembicum vitreum, & distillarem limones, & chelidoniã, in quibus duabus aquis considerem: postea in destillatione ponerem raphanum, ex quibus facerem destillatam aquam efficacem ad cõminuendũ lapidem, & gratam gustui. Quod si postea cum illa aqua aliquid illis admisceretur, si cessaret ardor vrinæ, optima esset: si non cessasset, serum caprinum adderem. Et ita puerum istum regerem, ad hoc vt conuenienti tempore (credo enim in æstate hoc esse importunum) incidatur, & extrahatur lapis: & fiet faciliter inciso. Vtatur attenuante victus ratione omnino. Et vt semper lenem habeat aluum, frequentissimẽ vtatur cassia pro diuersione & euacuatione

tione humorum crassorum. Vt corrigatur sanguis in venis, assumat bis in septima cassiam, cum portiuncula rhabarbari. Cum isto progressu tenerem istum puerum toto hoc tempore. Pro stranguria & angustijs, apponeré decocta althææ, maluarum, camomillæ, scœnugræci, sandalorum citrinorum: facerem fomentum, & olea linirem conuenientia circa pectinem. Quòd si magis vrgeret, tunc peritus chirurgus, & bene exercitatus, lac instillaret.

Consult. LXXXV. De passionibus pudendi, ardore urinæ, difficultate mingendi, gonorrhœa, & febre erratica, pro nobili Veneto.



Quatuor sunt ea, quæ in hoc Nobiliss. atque Magnifico viro sunt præter naturam, de quibus conqueritur, & quorum ratione ad nos accessit, quæ considerare debeo. Primum est ardor urinæ: secundum, impedimentum ipsius, quod tale est, quòd non liberè mingit, sicut prius: & vrina tenuius exit quàm solebat. tertium est fluxus quidam præter naturam, & inuoluntariè exiens ab ipso veretro, quem gonorrhœam (si libet) nunc appellemus: quartum est febris erratica. Istæ sunt dispositiones præter naturam, quæ molestant hunc nobilem virum, & de quibus conqueritur, quæ sunt cõsiderandæ à me. Et vt ordinatè procedam, primò recensendæ sunt dispositiones eius naturales, naturalisq; temperies ipsius: quia vos scitis quantum referat cognoscere cuiuslibet naturalè temperiè, & ad morbos cognoscendos, & curandos, & ad modum rectè operandi, & ad tẽpus curandi, & ad loca quibus debent applicari. Sed re vera difficillimum admodum est tẽperaturam cuiuslibet cognoscere. Et tantum tria sunt principalia, quibus singulorũ tẽpera-

turam dignoscere possumus. Primum sunt actiones omnium virtutum : oportet enim videre quomodo se habeant : secundum, excrementa omnia : tertium, quæ exterius apparent, quæ cõmuniter accidentia dici solent. Ex actionibus enim cognoscimus membrorũ temperaturas, quia qualis temperatura membri, talis est actio ipsius : sed vbi corpus est affectum, non vna tantũ actio est vel ablata, vel diminuta, vel corrupta, sed plures : ideo dispositiones naturales in singulis cognoscere difficillimum est. Et dicebat Galenus in proœmio libri primi ad Glauc. & in tertio Methodi : Opus est si volumus aliquem rectè curare, cognouisse ipsum in sanitate, & singulorum membrorum temperaturã, colorem, habitudinem, natiuum calorem, arteriarũ pulsum, quisnam fuerit à natura. Quæ si sciremus, magnitudinem morbi factis aliquando iudicare possemus : & sic exeuntia, & accidentia. In casu nostro habemus omnes difficultates istas : siquidẽ prius non nouimus. Tamen si discurramus per singulas actiones tam animales quàm vitales, & naturales, percipimus naturales si non corruptas, saltem diminutas, propter multa accidentia, quæ in hoc corpore contigerunt : siquidem actiones quæ cerebrũ & cor ipsum consequuntur, non bene nisi ex conuersatione assidua cognosci possunt. Ideo considerabo tantũ vnum in hoc Nobilissimo viro, scilicet actiones naturales, quod nostro proposito attinet, quia neque circa cerebrum, neque circa cor videtur aliquis excessus manifestus : sed bene circa naturalium membrorum temperiem, quia ipsa sunt, quæ verè læsa sunt. Si ergo exactè considerauerimus ipsorum lapsum, habebimus quod à nobis intenditur. Reliquis igitur omisis, ad inquirendũ naturalium membrorum dispositionem, & hepatis præcipuè, accede-

cedemus. Primò ergo consideremus, quàm fuerit naturalis istius viri temperies hepatis, antequàm ad accidentia deueniamus. Sed non habemus actiones aliquas nec à sanguine, nec ab excrementis, nec ab extrinsecis accidentibus. videlicet à colore, calore, &c. ex quibus in cognitione naturalis istius temperiei deuenire valeamus. Sunt tamen quædam, in quibus circa hoc iudiciũ nostrum firmare possumus: est enim amplitudo venarum, atque musculorũ, sunt & pili, & structura corporis, quæ omnia etiam indicant præteritam temperiẽ. Sed hæc in hoc viro non sunt talia, vt intensam caliditatem vel frigiditatem indicent: attestantur tamen magis supra caliditatem, quia venæ sunt satis amplæ, & structura corporis satis magna, & pili non sunt adusti, nec crispĩ, nec subalbidi, sed potius subruffi, tendentes ad nigredinẽ. In passivis verò qualitatibus nullum video signum, ex quo possim iudicare vel multam siccitatem, vel multam humiditatem. Quòd autem calida temperatura sit, indicatur etiam ex eo, quòd maximè fuit & est pronus in Venerem, & caliditas hepatis immediata causa est salacitatis. Ideo bene Plato concupiscentiã in hepate, irascentiam in corde, animalem virtutem in cerebro posuit. Quòd autem caliditas renum faciat ad salacitatem, dico quòd non per se, sed per consensum solũ, quia facit vt vasa illa seminaria sint ampla, & lata, & sic per consensum. Sed hepar præbet caliditatem, & materiam ipsius salacitatis, & immediata causa ipsius est, vt inferius patebit. Arguitur igitur ex ijs quæ apparèt, vt ex moribus præteritis, quòd sit calidæ temperaturæ hepar huius Nobilissimi viri, in quo est vis sanguificandi. De ventriculo, nec ex præteritis, nec ex præsentibus, audio aliquem excessum, neq; in caliditate, neque in frigiditate, nec de ipsius

dispositione nunc multū curandū, maximè cū non cōqueratur de ipso. His igitur ita se habentibus, cre dīsne tu, quòd talē nunc seruet temperaturā hepar istud, qualem habuit antea? Minimè: imò dico quòd ipsa tēperatura hepatis longè diuersa est ab eo quòd prius erat, & essentialiter firmata iam in hepate per plurimos annos. Sed quānā est intemperies ista? Dico, quòd cū prius calida esset respectu proprii temperamenti illius, non respectu tēperati, sed respectu sui ipsius, erat à p̄dominio calida, nūc lapsa est ad frigiditatē respectu ipsius, non absolute, & habet diminutas hepatis operationes, & non solitas, propter additā frigiditatē. Hoc autem indicat color apparēs in toto hoc corpore: quia scitis ex quarto de tuenda valetudine, non longè à principio, quòd humorū in corpore existentiū dominium cognoscitur ex colore cutis, nisi humores illi in altum sese receperint. Et ibi dat signa, & causas, quando in altum & profundum recedunt, scilicet vel propter frigora, rigores, animi affectus, vt timorē, tristitiam ingentem, & incipientē verecundiā, &c. In isto autem est color plumbeus, liuidus, exanguis cum fuscēdine quadā, & non habet colorē suum naturalē, floridum & viuidū, sicuti apparet, vbi est hepatis caliditas iuncta siccitati: & talis color iam per plures annos perseuerauit. Præterea abundat plurima pituita, quòd indicat ex vrina, quæ immediatē profluit à sanguine: ideo indicat temperamentum sanguinis, sanguis verò temperamentum hepatis, siquidē in eo generatur. Vrina autem quo ad colorē cū sit subalbida, quo ad substantiam crassa redundans plurima pituita, ideo signum est, quòd sanguis est pituitosus: si sanguis est pituitosus, ergo hepar labitur ad frigidū: si sic, & tamen præcessit caliditas hepatis, ideo redūdat adustionibus,

sicut

sicut dixit Gal. 2. artis medicę. Qui sunt calidi & sicci hepatis, procedente tempore fiunt frigidi & sicci. Hepar igitur istius Nobilissimi viri tum propter plurimos labores, tum propter plurimas resolutiones, quę accesserunt propter delicta, ad frigidum declinauit: & quoniã diu perseueravit ista intemperies, credendũ est quòd iam sit cõfirmata. Accedit aliud insuper cõsiderandũ, quod non modicã de hac re fidem faciet, an scilicet perpeffus sit morbũ Gallicum: & sicut scitis, morbus Gallicus sedẽ habet suã in hepate, & vt alias dixi, est intemperies ipsius hepatis. Quòd si adesset in hoc nobili huiusmodi morbus, magis esset læsum, & generaret humores magis adustos, quàm prius, sicut apparet. Et sic hepar licet ad frigidum labatur, & per consequens pituitã generet, illã tamen adurit: & sic si bilem generat, ita etiam dicendum est de melancholia. Ideo multũ refert ad dispositiones eius cognoscendas, scire an sit perpeffus morbũ gallicũ. Ideo dicã liberẽ id quod sentio, videlicet quòd credo, quòd perpeffus sit morbũ Gallicũ, & nunc etiam patiatur. Et adsunt præter communia illa signa, quę maximã faciunt coniecturã, quòd scilicet cõcubuerit cũ infectis huiusmodi morbo mulieribus: tamẽ ista coniectura potius legislatorũ, quàm medicorũ est. Habuit etiã pustulas, & bubones: & licet disunctiue non valeat, hic est bubo, hic sunt pustulę, ergo adest morbus Gallicus: cõiunctim tamẽ valet, hic est bubo & pustulę in veretro, ergo adest morbus gallicus: & cum habuerit rem cùm inquinatis, hæc non sunt leues coniecturę ad suspicandum hic adesse morbũ Gallicũ. licet quælibet harũ per se sumpta leuem faceret coniecturã, omnes tamen simul sumptę non solum persuasionem, sed etiam fidẽ certam & firmã faciunt. Sed dicetis vos, præter pustulas & bubones in

pudendis in morbo Gallico laborantibus, solent etiam cōsequi pustulæ in capite, & dolores inter iuncturam & iuncturâ in periostijs illis: sed hæc in hoc non fuere, ergo non laborat morbo Gallico. Respōdeo quòd non valet: quia licet non habuerit dolores, & in capite pustulas, hoc ideo fuit, quia perpetuam ex renibus euacuationē habuit, & materia quæ debebat facere dolores illos, & illas pustulas, euacuata est per penem, & diuersa est aliò, ideo non fecit illa accidentia. Cuius signum est, quòd quando erat in naui, & quidam medicus repressit huiusmodi fluore, statim sensit dolores in omnibus membris ex retentione illius materiæ: & si nunc eam retineret, eadem accidentia causaret. Sed dicet quis vestrum: Tu ex colore ipsius arguis supra morbum istum, sed huiusmodi color pallidus sequitur huiusmodi fluorem. Dico, quòd si tantum iste color esset propter refrigerationem hepatis, & propter exitum illarum materierum, esset subalbidus, & cachecticus, & non plumbeus, & fuscus: fuscudo autem cum palliditate indicat adustionem humorum, quam solet huiusmodi morbus generare. Ideo suspicor hunc virum affectum esse morbo Gallico. Præter intemperiam hepatis, quæ frigida est, credo etiam adesse frigiditatem respectu morbi Gallici. Et hæc quo ad temperiam morborum naturalium. Accedamus modò ad ad eas dispositiones præter naturam, quibus affligitur Nobilis iste. Est primò ardor vrinæ: hoc autem cōtingit, vel ratione ipsius vrinæ, vel ratione instrumenti. ratione verò vrinæ dupliciter, vel quia vrina mordax, salsa, acris, & calidior in se, vel quia addita sit ei aliqua substantia salsa, vel acris. Quid credis tu, quæ sit causa istius ardoris? Dico, quòd est non ratione propriæ substantiæ ipsius vrinæ, quæ sit salsa, acris, &

mordax

mordax, præter eam quæ sibi propria est: quia color ille subalbidus, & substantia ipsius crassa, nõ indicat mordacitatẽ esse: sed iste ardor aduenit propter materiam salsam ipsi vrinæ adiunctam, & purulentam. Aut est ratione instrumẽti, & sic esset vel quia in ipso veretro esset excoariatio aliqua, vel vlcus, vel exiccatio illarum humiditatum, quæ solent esse in glandibus penis, quæ factæ sunt à natura, vt vi sua emplasti ca humectent longitudinem penis; ne vrina in transitu propter sui mordacitatem excoariet: & sic etiam intestina vestita sunt pituita illa crassa, ne mordacitas fæcum, & bilis in trãsitu corroderet ipsa: & quando intestina ipsa propter aliquam qualitatem priuantur illa humiditate, tunc contingunt abrasiones. Sic etiam contingit in pene, vbi propter excessum aliquem superflue Veneris, vel aliam ob causam consumitur huiusmodi humiditas, arefcit meatus virgæ, & mordacitas vrinæ occurrit membro immediatè, & sic causat ardorẽ. Hic credo quod sit materia mordax propter salsedinem, non propter acrimoniam. Sed siue sit nitrum, siue sal, siue ex vtraque materia tum purulenta tum nitrosa, per adustionem, nihil refert: nam vbi substantia humida iuncta est cum terrestri, & pars terrestris aduritur, tunc fit salsedo: & si vterius aduratur, fit amaritudo: licet Auicenna voluerit ex admixtione bilis & pituitæ fieri salsedinẽ. Sed aliàs ostendi, quomodo hoc fieri nequeat, & quod hoc repugnat rationi, veritati & experientiæ: quia ex amaro mixto cum insipido nunquã sit salsedo, sed bene quidem amaritudo: salsedo autem fit ex adustione partium terrestrium in ipso humido. Cum ergo iste plurima abundauerit pituita, & intemperie ad frigidum, & propter morbum Gallicum adustione, facta est salsedo propter moram ipsius pitui-

tæ in hoc corpore: & licet respectu proprii temperamenti lapsus sit hepar ad frigidum, respectu tamen temperati habet caliditatem maximam: & sic augeatur falsedo, & sic hepar generat humores adustos, quos per urinam excernit. Et quia non est perfectè concocta illa materia, licet aliquę partes adurantur, ideo in exitu causat horrorem, sicut contingit dum pus mouetur de loco ad locū. Et ista est causa, quare vrina in exitu mordicet, & horrorem faciat, propter subitū motum materiæ mordicantis partes sensibiles. Præterea credo ego quòd adsit etiam ariditas illius humiditatis, ex qua sequitur ardor, & maximus. Quòd autem sit ariditas, patet ex præcedentibus & enarratis: quia, vt audiistis, maximè Veneri deditus fuit, & ante tempus, & nunquam pepercit, ita vt dum adhuc adolescēs esset, annos circiter quindecim natus, in decem diebus quinquagesies concubuerit, ita exinanita fuit huiusmodi humiditas, quæ etiam sola cogitatione exit, quandoque etiam ex longo isto defluxu, qui decem & octo annos perseueravit, & ex intemperie incaluit locus etiam propter assiduas functiones, & propter plurimum coitum substātifica illa humiditas resoluta est: tum etiam quia pars illa non nutritur, sicut oportet, quia facta est debilis, propter ea quæ dicta sunt, etiam quia occupatus fuit perpetuò in multis laboribus in exercendo mercaturā, & in regionibus quidem calidissimis, in Oriēte, & in Aegypto, ex quibus maximè exiccatus est. Et hæc quo ad hunc ardorem urinæ. Habet præterea retentionem urinæ, ita vt vrina liberè non exeat, sicut solebat, sed subtilius. Pro quo notare debetis, quòd tria sunt apud Græcos; dysuria, stranguria, & ischuria. Dysuria est, cum vrina difficulter exit: stranguria, cum vrina guttatim
 exit:

exit: ischuria verò, cum totalis retetio vrine est. Dy-
 suria igitur vel difficultas vrinæ est, cum quis licet li-
 bere mingat, cum dolore tamen, & cum difficultate
 mingit: sicut accidit in dysenteria, illis qui sic affecti
 sunt, plurimum quidem egerunt, & plus quam opor-
 tet, sed cum difficultate. In stranguria guttatim exit,
 & non potest retineri. Ischuria vel ablata totalis emis-
 sio vrinæ est, vel diminuta. In hoc igitur est ischuria,
 non ablata actio, sed diminuta tantum: iste non min-
 git ample, liberè, sicut solebat, sed strictè. Causæ au-
 tem retetionis vrine sunt, vel quia est defectus in ex-
 pulsua virtute, quæ non expellit id quod debet, vt
 quarto & sexto de accidenti & morbo Gal. docet, vel
 vitio vrine, vel vitio instrumeti. Expulsua virtus de-
 bilitatur vel propter frigiditatè, vel propter aliquid
 aliud, vt non possit fungi proprio munere. Vitio vri-
 næ, vel quia non habet solitam & debitam mordaci-
 tatem, quæ mordicet, & insurgere faciat expulsuam
 virtutem ad expellendū, vel propter sui crassitiem,
 & in istis non est defectus. Vel in instrumento, quod
 est vel collum vesicæ, vel meatus virgæ. Et cum ista
 sit ischuria, impedimentum non potest esse in reni-
 bus, nec in vesica, nec in vasis illis quæ deferunt vri-
 nam ad ipsam vesicam: in meatu autem virgæ, vel col-
 lo vesicæ potest esse impedimentum, vel quia obstru-
 ctus sit ob calculū vel inflamationē, vel propter cal-
 lum, vel aliquem humorē ibi impactum, vt gruum
 sanguinis. Hic non est calculus, quia nullū calculi si-
 gnū adest, nec arenulæ in vrina, nec aliud quidpiam.
 Non callus, quia hoc semper ita esset, & eodē modo
 mingeret: sed nūc quādoq; liberè magis mingit, quā
 doq; minus. Nec etiā adest inflammatiō, quia nō ad-
 sunt aliqua inflamationis signa. Non vlceratio, quia
 exiret sanguis: q; si interdū exierit, illud fuit propter

immiffionem candelæ. Ideo credo quòd caufa, quare non liberè & amplè mingat ficut prius, fit materia aliqua vifcofa, quæ in illis partibus cõtinetur. Quod apparet, quia antequàm mingat, exit quid vifcofum album, quod apparet in fundo vrinæ. Et fic credo materiam aliquam effe impactam & in meatu veretri, & in collo velicæ, quæ adhæreat in illis partibus, quæ craffa eft in propria fubftantia, quod indicat craffities, & turbulencia vrinæ. Et hæc funt figna quæ vidimus, & caufæ in hac difficultate vel tenuitate vrinæ, quæ non erant prætermittenda. Quo ad gonorrhœam, vtrum huiufmodi fluor quem nunc patitur, fit appellandus gonorrhœa necne? Dico quòd credo à principio virû hunc paffum fuiffe gonorrhœa, propter omnes rationes: quia (vt fcitis ex fepto de locis affectis, & fepto de tuen. fanit. & in fepto de accidenti & morbo) gonorrhœa eft inuoluntarius exitus feminis, qui accidit vel vitio feminis, vel vitio vaforum feminalium: quoniam ifta duo funt, quæ per fe faciunt gonorrhœam, alia verò per accidens, & per confenfum: vt cùm quis ex afidua imaginatione fermen emittit, & ifte verberibus, & non medicamentis curandus eft. Quâdoq; ex caliditate renum, quia quandoque potefte effe tanta caliditas in renibus, vt dilatet & operiat vafa feminaria, & hoc faciat non quia aliquod cõmercium ifta vafa habeant cum renibus, fed folum propter vicinitatem: quia nullum vas feminarium vadit ad testes, quod affinitatem habeat cum renibus. Non in dextra parte, quia vas feminarium dextrum oritur à vena caua, quæ defcendit ad dextram partem. Nec etiam in finiftra, quia finiftrum deducitur à magno ramo venæ cõcauæ, qui ramus concavæ antequàm ad renes pertingat, emittit per longum fpatium à fe ramum, qui poftea facit
 alium

alium ramum, qui ad sinistrū testem pertingit, & ex eodem ramo, quem facit emulgentem, vasa semina-
 ria oriuntur. Nec per arteriā habet cōmercium cum renibus, sed multum distat ab his quæ ad renes per-
 tingunt. Ideo non video quomodo gonorrhœa possit fieri vitio renum, nisi per consensum, & ratione vi-
 cinitatis, & nō per se, quicquid dixerit Auic. Potest igitur propter vicinitatem renum cum vasis semina-
 rijs fieri gonorrhœa, eò quia adeò calefacti sint ipsi renes, vt ratione vicinitatis incalescant vasa illa, & sic dilatentur, & ita exeat semen inuoluntariè: & sic potest excusari Auicenna. Et potest provenire fluxio seminis ratione muscutorū, dicebat ipse: sed huiusmodi fluxio non est à musculis, sed per virtutem expulsuam: & non concurrunt muscoli, nisi quando quis velit vehementer conari. Sed dicet quis, quomodo exit sperma per conuulsionem, cū quis in epilepsiam inciderit? Dico quòd hoc contingit propter villos, qui contrahuntur, & extenduntur, & moventur motu spasmoso: & sic omnes muscoli mouentur & excitantur. Galenus tamen in v. 1. de tuen. san. reducit huiusmodi fluxus ad istas duas causas, vel ratione seminis, vel ratione ipsorum vasorum semina-
 riorum, quæ sint affecta & vitiata, & imbecillia red-
 dita, & in superioribus partibus. Et contingit de semine, sicut de lacte in mamillis: sicut enim sanguis efficit sub forma lactis in ipsis mamillis, ita sanguis in vasis seminarijs, & in illis inuolutionibus efficitur sub forma seminis. Contingit autem vt exeat semen propter imbecillitatē istorum vasorum, vel quia relaxata & aperta sunt & calefacta, ita quòd trahant, quod non deberent trahere, & cū sint debilitata, multa excrementa ad illa demandantur, & sic inuoluntariè exit: quod etiam contingit de lacte in ma-

millis existete. Quando verò fit ratione vitij existens in semine, hoc cōtingit vel ratione multitudinis, vel ratione malæ qualitatis acris, vel huiusmodi. In isto erat vera gonorrhœa ratione vasorū, & viarum dispositione, per quæ fit huiusmodi transitus, & præsentia humoris mali, & ratione imbecillitatis vasorum, quæ effecta sunt imbecilliora propter malam victus rationem, & propter excessuum & immoderatum coitum. Et sic quia dilatatae fuere illæ viæ, & aucta est materia ratione malæ victus rationis, ideo huiusmodi dispositio perseveravit. An modò etiam nunc patiatur gonorrhœam, & fluxum seminis in uoluntariū? quia materia seminis, quæ est sanguis, provenit ab hepate: spiritus verò fermentans huiusmodi semē, à cerebro & à corde emanat: sanguis autem iste cū ad vasa seminaria venerit, in illis vasis conficitur. Ideo liberè dico, quòd credo illum non pati nunc veram gonorrhœam: sed ad alborum fluxionem istū venisse opinor, qui fluxus fit à materia quadam pituitosa & corrupta, quæ cū vias paratas & apertas inuenerit, illud desluit ad vesicam. Et sic credo quòd in tota massa sanguinea sit vitium (ita vt oportet) ratione hepatis, quod lapsus sit à proprio temperamento per frigidum, & maximè cū accesserit illa infectio morbi Gallici: & quòd recipientia sunt debilitata, vt Auicenna x x i i. tertij: sunt mandantia fortia, scilicet hepar, & totus ambitus venarum, plurima superfluitas pituitosa, & adusta, & salsa: & vasa dilatata fuere, cū etiam à natura sint laeta, quia calidè fuit temperaturæ à prædominio, ideo habuit amplitudinem venarum & vasorum, quæ etiam vasa dilatata sunt propter plurimum coitum, & longum desfluxum: & sic mandantia sunt fortia, recipientia debilia, viæ latae, & multitudo materiæ.

Et sic

Et sic credo quòd ista si debet dici gonorrhœa, seu iste fluxus, sit permixtio quædam feminis, & aliorum plurimorum. Et sicut in mulieribus contingit, quòd post fluxum gonorrhœæ sequitur fluxio alborum, vel ratione hepatis, vel ratione totius, quòd acquisuerit malam temperiem, & aggregata sit cacochymia, & materia mala: & cum vias reperiat paratas, hinc fluunt huiusmodi alba, si est mulier, per vuluam, si est vir, per penem: ita credo in isto fuisse, quòd plurimæ materiæ pituitosæ ratione hepatis & totius ambitus venarum, per venas emulgentes ad vesicam de uenerunt, & minguntur ita putridæ. Sed dicetis, si sunt putridæ, ergo ibi deberet adesse vlcus. Dico quòd non valet, quia materia pituitosa potest circa venas putrescere, ita vt pus appareat, & tamen nõ sit vlcus, vt vidi superioribus diebus in quodã viro Fulginate. Quòd autẽ sit materia pituitosa, videtur ex colore: alba enim est illa materia quæ fluit, & putrefacta, nullum præ se ferens colorem. Quartum & vltimum accidens erant febres quædam erraticæ. Et multi mirantur quænam sit causa istarum, contingentium maximè post quartanã. Sed si cognoueritis causas istas, non mirabimini: & quandoque antecedunt quartanam, quandoque verò subsequuntur, quia aliquæ quartanæ habent affinitatem cum illis. Sed quænam sunt causæ istarum erraticarum, quæ nullum seruant ordinem? Nullæ aliæ certè nisi tres illæ, quas Galenus in fine secundi de diff. feb. assignauit, vbi dicit, quòd febris erratica sit, vel quia permutatur humor putrescens, vel quia variatur ratio viuendi, vel quia alius humor putrescit in aliqua parte corporis, & alius in alia. Et sic prout variæ generantur putredines propter varios humores defluentes ad varias partes, sic variæ fiunt febres & periodi, cum

humores varij sunt, qui putrescunt. Nam interdum putrescit pars subtilior sanguinis, quæ sapit naturâ bilis, ideo facit paroxysmū tertianæ: aliquando sæx sanguinis, & sic facit paroxysmum quartanæ: quando; pituita putrescit, & sic facit paroxysmum quotidianæ. Alio verò die fieri potest quòd putrescat pars crassior, & sic facere potest quartanam, quia illa adusta fuerit. Fiunt etiam ex variatione ciborum, quando viuunt modò vno modo, modò alio, modò plurima ingerunt, modò pauca, modò crassa, modò tenuia: & sic prout varij humores generantur, sic ex putredine illorum fiunt postmodum variæ periodi. Tertia causa istarum est, quando est aliquis locus, ad quem præcipitetur aliquis humor, & ibi putrescit: alius autem ad aliam partē, & ibi putrescit: & sic varij possunt fieri pro varietate humorum putrescentium. Sed quæ causa est in hoc Nobilissimo viro ista febrium? Dico quòd omnes concurrunt, quia abundat omnibus humoribus, habuit varios paroxysmos, & sic duos vel tres paroxysmos quartanæ habuit, postea secuta est transmutatio, & habuit sextanā, prout modò vnus, modò alius humor computruit, & exijt ad exteriores partes venarū: quia non æqualiter generati sunt isti humores, quia non seruat eandem rationem victus. & in vasis seminarijs, vt venis in testibus, & vesica, potest putrescere iste humor pituitosus, à quo eleuantur vapores putridi, & petunt cor: & sic ponunt ipsum cor in calefacto esse. Et sic credo quòd omnes istę tres causę concurrant ad generationem febris erraticę in hoc Nobilissimo viro. Accedamus modò ad curationem istorum accidentium, prætermissa febre, quam non habet, nec de ipsa conquerit. Et primò quo ad gonorrhœam, quia, vt dixi, credo quòd certa illa materia quæ à

quæ à veretro emanat, non sit semen, sed cum semine permixtam esse plurimam materiam pituitosam, falsam, putridam, quæ à toto ambitu venarum, & ab ipso hepate emanat, ex qua sequitur ardor urinæ, & retentio seu emissio illa urinæ diminuta. Et ideo credo, quòd si remoueat fluxio, remouebuntur etiam omnia alia. Sed cum in qualibet fluxione quatuor sint, mandantia, recipientia, viæ, & materia, ideo debetis primò providere, ne mandantia mandent: secundò, recipientia corroborare: tertio, vias astringere. principalis tamen intentio est, vt dicit Galenus sexto de tuend. sanit. interciperè materiã, quia stante materia & imbecillitate membri, semper de necessitate sequitur fluxio: materia autè intercipitur, prohibendo ne generetur. Hoc autem fit recta ratione victus adhibita circa qualitatem & quantitatem, ne tantum comedat, quantũ appetit: quia si sanguis bonus efficietur, natura auara pro se retinebit. Et hoc quo ad qualitatem & quantitatem ciborum. Ita etiam de vino: nõ sit nimis calidum, aperiens, nec nimis frigidum, sed temperatũ in calore & substantia. Quo ad exercitium, moderatè se exercent, non dormiat in meridie, & reliqua huiusmodi. Quo ad euacuationem verò humorũ qui generati sunt, plurima sunt instrumenta. Primum est euacuatio propriè dicta per propria loca, per vomitũ, per secessum, per urinam, per sudorẽ, & diuertendo per cauteria: quia natura rei indicat nobis, cum diu perseverauerit iste morbus, ideo difficillimè expellet. Cum igitur iam sint decẽ & octo anni, ex quo perseverauit morbus iste, ideo si sola euacuatione propriè dicta velimus procedere, non bene succedet. Et oportet prius corroborare membrum mandans & generans, ne noua generetur materia, & debemus auertere ipsam, an-

tequàm membrum recipiens corroboremus: quia si prius corroborarem quàm diuiteremus, posset ad aliud membrum nobilius præcipitari hæc materia: ideo à leuioribus euacuationibus incipiendum est. Et primò lenienda est aluus. De missione sanguinis, tum propter diuersionem, tum propter suspicionem illam quam habeo de morbo Gallico, & propter aduersionem quæ in hepate generatur, suaderè vt fieret à basilica lateris dextri phlebotomia. Quo verò ad præparationem materiæ cum syrups, varia sunt instrumèta. Notum est quis sit humor superfluus, & quæ intemperies, ideo cum incidentibus & abstergentibus præpararem, quæ tamen non essent diuretica: & talia essent sicut oxymel, mel rosatum, syrupus de betonica. Cum ijs vel decoctis similibus præpararem materiam, & cum solutiuis appropriatis postea educerem. Istis peractis antequam ad corroborationem mandantiũ, & ad viarum constrictionem deuenirem, facerem prius cauteria, vt diuiterem materiam. Sed cùm morbus sit infra renes, qui tamen habet originem in partibus superioribus, an magis conueniret quòd huiusmodi cauteria fierent in brachijs, an verò in tibijs? Dico breuiter quòd facerem in tibijs. Rationem nunc non assigno, quia essem nimis prolixus. Deinde ad corroborationem membrorum mandantium & recipientium, & ad constrictionem viarum deuenirem. Et quia duo proposita fuere: primũ, an decoctum ligni Guaiaci in hoc Nobilissimo viro: secundò, an balnea Apponensia vel Veronensia conuenirent, ideo modò ex his quæ supposita fuere à nobis, conueniret decoctũ ligni: in ipso enim est forma illa specifica, quæ ex toto formæ morbi Gallici aduersatur. Non enim curat quia calidum vel frigidum, humidum vel sic-

cum,

eum, sed quia tale. quo ad qualitates tamen manife-
 stas habet caliditatem vltra secundum gradum, sicci-
 tatem vsq; ad tertium. Ideo exhiberem istud deco-
 ctum ratione illius morbi Gallici: & ratione formæ
 suæ specificæ, etiã adstringit & corroborat membra.
 Quòd autem habeat vim calefaciendi, quia erat du-
 bium, quia calefactio in primo sensu nõ sentitur, sed
 à ratione sensui cõiuncta, vt Galenus in lib. de sim-
 plici medicina testatur, ideo dicebat ab aliquibus,
 primo occurfu nõ pungit linguã, ideo calidũ in pri-
 mo. Dico quòd mordicat linguam, & quòd est cali-
 dum in secundo intense etiã: & dico quòd quando
 caliditas fundata est in substãtia tenui, illicò mordi-
 cat linguam, & citò euanescit. Ideo dicit Galenus in
 IIII. de tuen. sanit. loquens de Diatriopipereon,
 licet sit medicina ignea, ita vt vètriculũ inflamet, ta-
 men quia in substantia tenui & subtili fundata est, ci-
 tò euanescit, & ad hepar nõ peruenit. Sed cùm est in
 substantia crassa terrea, huiusmodi substantia nõ per-
 mittit actionẽ caliditatis adeò facilè percipi: nam au-
 ripigmentum, quia eius caliditas fundata est in sub-
 stantia tenui & subtili, ideo si apponatis super lin-
 guam, ulcerabit. Sed in ligno, quia eius caliditas fun-
 data est in substãtia crassa & terrestri, ideo primo oc-
 cursu non percipitur eius caliditas, sed per decoctio-
 nem extrahitur, ideo in ipso percipitur amaritudo.
 Ideo calidum & adustum est, quia Galenus & Auic.
 volunt, quòd vbi est amaritudo, ibi adsit caliditas:
 sic etiam Aristoteles & Theophrastus voluere, licet
 Auer. negauerit, quia in opio est amaritudo, & ta-
 men est frigidum. In decocto hoc est amaritudo, &
 acrimonia, & maxima, ita quòd quãdoq; qui vsi sunt
 isto decocto, toti erysipelati sunt: quibus verò exhi-
 bitum fuerit cum aqua endiuic, nihil calefacti fuere.

Ideo decoctum huiusmodi habet caliditatem in secundo, quia acrimonia non stat in primo tantum caliditatis gradu, sed cum intensiori. Et quia quærebatur, an miscendum esset, & decoquendum cum aqua endiuia: & videbatur quod non, quia dicebatur, quæ operantur per specificam formam, & à proprietate occulta, si comisceatur cum ipsis aliquid, destruetur eorum forma specifica. In secundis qualitatibus hoc contingit: sed endiuia & huiusmodi, non destruunt formam huius specificam. Et quia dabatur exemplum de Magnete illito allio, quod non potest trahere ferrum, & non potest agere sua forma specifica, dico quod ideo est, quia allium habet formam specificam contrariam Magnetis actioni, & si alia illinatur re, non propter hoc amittit formam suam specificam Magnes. Et vos scitis, quod ex vno particulari non sequitur vnum vniuersale: etsi in Magnete contingeret hoc, non tamen contingit in hoc decocto cum endiuia: imò non calefacit, sed refrigerat. Cur est quod cum aqua communis sit primum frigidorum, non magis reprimat caliditatem ligni, quam aqua endiuia? De hoc diximus dum de morbo Gallico ageremus. Ideo exhiberem istud decoctum, tum quia qualitatibus manifestis proderit, quia calefaciendo & exiccando cor roborabit, & exiccabit materiam illam: & quo ad formam specificam, quia in hoc timeo de infectione Gallica. Quo verò ad aquam thermarum, licet de directo morbo Gallico infesta esse videatur, & licet multos viderim laborantes isto morbo, ex aqua balnearum laesos fuisse, tamen dare huic nobili viro, si istud decoctum non ex toto sanabit ipsum. Sed à quo est incipiendum? Ego inciperem à decocto ligni alterato cum aqua endiuia, quia hoc indicat & naturalis eius temperies, & anni tempus, quia nunc sumus in æstate,

æstate. Ideo factis exquisitissimis euacuationibus, quæ debent fieri, & factis etiam diuersionibus, exhiberem istud decoctum, ex quo desperatos etiam sanavi in maximis etiam caloribus hoc modo præparato, quia sic non timerem calefactionem. Et si ex toto nõ leuaretur & liberaretur, exhiberẽ aquam thermarum Veronensium, adhibita solita diligentia. Et sic credo quòd sanabitur, si omnia, quæ dicta sunt, exactè, & summa cum diligentia, sicut fieri debent, obseruabuntur. Et hæc fatis.

Consult. LXXXVI. De calculo, dolore renali, & iuncturarum, cum ardore urinæ, pro ciue Florentino.



Vdicamus calculos per urinam excretos, dolores circa renes, ac iuncturarum affectus, à plurima pituitosa materia generari. Urina est turbida, subalbida, sero lactis similis, cum sedimento crasso, & albo. Calculorum color calci antiquorum parietum similis, eorumque substantia crassa, & dura. Præterea victus ratio comestationibus & potui dedita, cum paucitate exercitij. Ex temperatura etiam calida, & habitu corporis, & animi moribus, appetitui & voluptati mancipati, credimus hunc in venereis plus æquo excessisse, unde calor naturalis, & concoctiones omnes diminutæ fuerunt, accedente præcipuè ætate, quæ accedit ad septimum septenarium, & consequenter ad finem primi senij, si Galeno & Hippocrati credimus. Ardorem autem urinæ fieri arbitramur partim ex priuatione humoris in glandulis vtreteris nimia venere consumptis: partim verò ex mordacitate urinæ, quæ in immensum aucta fuit ex admixtione plurimæ pituitæ falsæ. Habuit autem pituita falsædinis causas, tum

ex naturali hepatis caliditate adurente, tum ab ob-
 structione, & putredine. Et hæc quidem de causis, &
 natura affectuum: nam de vesicæ calculo nos quoq;
 dubitamus adesse, si vera sunt quæ intelleximus, ex
 equitatione impediri, ac lædi, in pectine grauitatem
 percipi, prurire præputium: quæ omnia cõiecturam
 faciunt, vesicam calculo laborare: ac nos quoq; ope
 rarijs parum confidimus. Quantum ad curam, ar-
 bitramur eam difficilem fore: etas enim maximo im-
 pedimento est, si Hippocrati fidem adhibemus: ne-
 phríticos enim, & circa vesicam dolores, asserit non
 facile curam admittere. Sed præter Hippocratis au-
 toritatem, ratio quoq; & rei natura nos ita cogit fa-
 teteri, quam tamen consultò omitto: neq; enim hic do-
 cemus, sed consulimus quid agendum. Credimus er-
 go hunc nunquã ita conualiturum, vt tutò sibi pos-
 sit confidere, quin in eosdẽ affectus incidat quacũq;
 etiam leui occasione incidente: posse tamẽ efficere,
 cura & assidua diligentia adhibita, vt vel nunquam,
 vel rarissimè molestetur actu, quãuis inclinatio per-
 seueret. Vt autem hoc cõmodissimè fiat, primò ma-
 ximè eniti debet, vt in sex rebus non naturalibus ni-
 hil, vel minimè delinquat. Ac circa aërem, cauebit
 omnes excessus, tam calidos, quàm frigidos: vento-
 rum omne genus, præcipuè tamen australes & borea-
 les, nocturnum cœlum, habitationes humidas & ter-
 reas, apertis fenestris noctu quiescere, & reliqua hu-
 iusmodi. Somnum meridianum præcipuè fugiat: no-
 cte septem vel octo horas dormire studebit: reliquo
 tempore, quantum fieri poterit, vigilabit. Exercitia
 matutina conueniunt, ac superiorũ potius partium,
 quàm inferiorũ: proinde equitationes magis lauda-
 rem, si affectus vesicæ tolerarent: sed arcu exerceri,
 aut iactu lapidum, ac similibus, tutissimum iudica-
 rem,

rem. Post cibum quiescat tam animo quàm corpore: quies tamen nõ ea sit, vt iaceat, vel aliquo modo decumbat: quin potius stet, vel molliter deambulet, sine aliquo labore. Ab omnib. animi molestijs quamlongissimè recedat, lætus cum iucundis amicis vitam degat. De reliquis, nitatur aluum habere lenem: quòd si natuta defecerit, leniet vel clysteribus, vel resina laricis quam pinguisima, quam mane sumat ad magnitudinem nucis: vel sumat carnem pinguium caricarũ ad vnciam, medullæ cnici, id est, cartami drachmæ duas, & facto bolo deuoret ante prandium, & ius pulli eadem hora bibat, in quo decocta fuerint malua, beta alba, mercurialis. Cibum ita temperet, vt bis tantũ in die comedat, neq; bibat vquam inter cœnam & prandium, abscedatq; à mensa citra saturitatem. Sit cibus simplex, atq; vnius generis: multitudinẽ epularum & vinorum, tanquam pestem euitet. Sunt autem cibi qui maximè laudantur à medicis, boni nutrimenti, & facili concoctionis, qui cum omnibus medicis sint notissimi, consultò omittantur. Vinum eligerem pauciferũ, substantia tenue, liquore purissimum, colore vel album, vel rubeum, clarum, sapore neq; acidũ, neq; austerum, sed maturũ. Hæc vbi ritè peracta fuerint, maximam partem suæ præseruationis peractam arbitror. Cũ verò vel necessitate itineris, vel societate, vel incontinentia sæpe delinquant homines, vnde humores maligni generant, qui postea ad loca imbecilla fluent morbos generant: ideo necessarium putamus ad conseruationem aliquod habere pharmacum familiare, quo ter aut quater in mense sine aliqua molestia vtatur. Tale autem esse poterit:

℞. Agarici optimi

Aloës optimæ

Rhabarbari bene maturi	ana 3 iij.
Rosarum rubearum	
Sandalorum citrinorum	ana 3 j.
Gingiberis	
Cinnamomi	ana 3 5.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, & fiant pilulæ cū melle rosaceo pro qualibet vice tres, & sumatur drachma singulis vicibus manè tribus horis ante prandium. Laudamus præterea, vt bis singulis annis purgetur, autumno inquam & vere. Purgatio talis sit:

℞. Floris cassiæ	℥ j.
Specierum hieræ	3 iij.

Misce, cum saccharo fiat bolus, sumendus tribus horis ante prandium. Item

℞. Syrupi magistralis facti ex succo betonicæ, & succo saluiæ secundum artem,	℥ j.
Decocti infrascribendi	℥ iiij.

℞. Agrimonie	
Cetrach	ana man. j.
Polypodij	
Glycyrhizæ	
Rosarum	ana ℥ iiij.
Seminum melonum	℥ iiij.

Decoquantur in libris tribus aquæ maluæ destillatæ, donec remaneant libræ duæ: deinde seruetur decoctum pro sex syrupis. Dentur autem syrupi vsque ad nonum vel duodecimum. Postea

℞. Confectionis hamech	3 iiij.
Syrupi rosacei solutiui	℥ iiij.

Cum aqua betonicæ fiat potio danda in aurora. Talis sit purgatio tam veris, quàm autūni. Vere tamen tentarem missionem sanguinis à dextro latere post duos primos syrupos faciendam. Peractis purgationibus

nibus postea per x v. saltem dies continuos probarem, vt acciperet sacchari rosacei semunciã horayna ante cibum bis in die. Ad membra verò corroboranda primò laudarem, vt crebrò caput ablueretur ante cœnam, ita vt à cubiculo postea non discederet. Lixiuuū esset è cinere salicum, aut vitis, in quo decoquerentur maiorana, chamæmelum, rosæ, betonica, & stœchas, addita etiam agarici electi semidrachma. Utendum etiam cõsulo masticatione mastiches simplicis manè, tandiu vt deglutiat granū eiusdem mastiches. Utatur etiam assiduè immediatè ante prandium seminib. melonū confectis vsq; ad semūciam: post prandiū verò comedat pistacia confecta ad numerum decem vel quindecim ad summū. Circa partes pectinis quotidie illinat oleo amygdalarū dulcium recēti, vel liliorum alborum, vel camomelino, vel mixto ex his. Vbi verò ardor vrinæ multum vrget, factis purgationib. quibusdã, vel lenitione ventris, & iniuncta tenui diætã, vtatur frequēter in die linctū confecto ex oleo amygdalarū dulciū, & penidij: ac manè loco syrupi, sumat sequens decoctum.

℞. Seminū alchechengi, vel solatri vesicarij ʒ x.

Cicerum rubeorum	gr. x.
Radicum althææ	ʒ j.
Seminum maluæ contractorum	ʒ s.
Cinnamomi	ʒ j.

Bulliant in iure pulli, & facta diligenti expressione & colatura, accipiatur scutella satis ampla huius decocti, & in ea ponatur sacchari vncia, & tantundē butyri recentis. Bibat hoc totum noctu calidum quantum sustinere potest: hæc enim potio maximè faciet ad vrinę ardorē sedandū. Sedeat etiã in decocto maluarum, anethi, althææ, chamemeli, seminū lini, scenu græci: plurimū enim confert ad hunc vsum, magisq;

si decoctum fuerit ex aqua & vino albo simul com-
mixtis. De aquis thermarum, neq; ferreæ solæ pla-
cerent, neq; sulphureæ: placeret tamen, vt si in regio-
ne ad id cōmoda esset æger, potaret calidarum ther-
marum aquas, quales sunt Apponenses, & Porrheta-
næ: postea suo tēpore biberet aquas ferreas, quales
sunt Calderianæ vel Senenses, ita tamen vt calidæ fu-
merentur vere, media autē æstatē ferreæ: neq; enim
aliter tutam putarem potionem. Non esse autem de-
ferendas aquas thermarum ad loca remota, multis
rationibus persuademur, sed bibendas credimus fer-
uato adhuc suo naturali & actuali calore.

*Consult. LXXXVII. pro Reuerendissi-
mo Cardinali Petro Bembo.*



Vamprimū R. D. V. literas, mihi profes-
ctō quam gratissimas, accepi ac legi, ma-
gnā mihi oblatā esse occasionē sensi, qua
eius summa tum humanitate, tum beni-
gnitate reuera frui possem: nō eam tamē quā ego tū
primū cognoscerē ac admirarer, illā enim iam diu an-
tea, & cognouerā, & multis etiam modis eram exper-
tus, atque ideo in animo mihi solidē inhērebat. Nec
verō cuiquam mirū videri debet, si in viro nobilissi-
mis natalib. prædito, & quē natura atq; ars certatim
ōmnivirtute ac probatissimis morib. locupletarunt,
ōmnia humanitatis lumina splendeant, & si quo ma-
gis illū fortuna in cœlū vehit, eo ipse se tum magis
benignū, tum erga omnes affabilē præbeat: cū co-
rū longē diuersa sit ratio, qui tam præclaris naturæ
atq; animi dotibus destituūtur: illi enim & insolētio-
res, & omniū contēptores esse solēt. Quā itaq; mihi
suæ erga me & benevolentia & beneficentiæ signi-
ficationē candidē admodū declarauit, eam summa
animi

animi alacritate amplector, & ingentis thesauri loco mihi cōseruabo. Deū profecto Optimū Maximū precor, eam mihi det occasione, vt ego vnā cum reliquis omnib. qui erga amplissimū R. D. V. nomē preclarē admodū sunt affecti, & benignitate & liberalitate candidissimi eius animi, frui aliquando possim. Vxor mea non sine manū osculo, reuerēter illā salutat. Mei verò liberi eam in gratiā adoleſcunt, vt illi aliquando obsequant & seruiāt. Quòd verò ad meā qualēcunq; cōsultationē attinet, ea fuit à me descripta pro ratione earū rerū quæ tū mihi fuerūt exploratæ. Cū autē V. R. D. omnia quæ ad affectus suos pertinent, distinctē ac explicatē iam scripserit, neq; hactenus aut calculū, aut eius principiū, adesse suspicemur, sed solā renū imbecillitatē, & forte etiā eorū meatuū nimīā amplitudinē: cū etiā podagra nūc primū cœperit infestare, quæ tamen admodū sera est, ac imbecilla: propterea pro exacta notitia & curatione horum symptomatū, intelligere oportet, senilis ætatis hæc esse incōmoda, quæ necessariò illā cōsequantur. Membra enim omnia nō ex morbis, sed ipso nature curriculo imbecilla reddunt, hæc quidē magis, hæc verò minus, prout in ipsis nature primordijs magis aut minus validā sortita sunt constitutionē, aut prout vnusquisq; in suis actionibus alterum altero grauius afflixit, fatigauit, aut nimio labore exhaustit. Omnia igit̃ senū mēbra ipso nature cursu sunt imbecilla. Quib. autē accidit, ob dictā iā rationē, reliquis corpus habere imbecillius, hi destillationib. vertiginib., lippitudinib., surditatib., sunt obnoxij: sæpe etiā sensib. destituunt, aut alijs huiusmodi morbis infestant. Aliqui ex pectore magis laborāt, quib. etiā tusses accidunt icurabiles: alijs verò asthmata aut rauedines. Aliqui aut̃ in vētriculo, renibus, vesica, aut articulis

conflictantur, quibus singulis morbi accidunt peculi-
 liares, vt nauseæ, vomitus, calculi, venarum ad renes
 pertingentium apertiones, dysuriæ, podagræ, arthri-
 tides, & alij ijs similes morbi. Paucissimi aut fortè
 nulli reperiuntur, qui in senectute alicui ex his affe-
 ctibus non sint obnoxij. In eo, tantùm est discrimen,
 quòd alij alijs grauius aut leuius, citius aut tardius
 affligunt. Id verò aliunde nõ prodit, quàm quòd va-
 riæ sunt in hominibus temperaturæ, variæ partium
 corporis cõpositiones, summa in vita ac viuendi ra-
 tione varietas, magnũ in astrorum aspectibus, cibo-
 rum generibus, animi affectibus, studijs ac viuendi
 institutis discrimè. Omnium tamen ex æquo vna est
 conditio, vt quicunq; sit senex, senectutis incõmo-
 da declinare nõ possit, sed aliquando, aliquo saltem
 modo dictis calamitatibus afficitur. Accidũt autem
 hæc omnia, nõ vlla vi morbi, sed vt dictum est, ipsius
 naturæ motu, quare ineuitabilis ea est necessitas: na-
 tiuus siquidem calor quotidie seipso fit imbecillior,
 & membra sicciora: cum enim calor cibũ pro ratio-
 ne concoquere ac distribuere, & vt antea consueue-
 rat, non possit, humoribus partim crudioribus, par-
 tim putrescentib. corpus repleti est necessè: qui cer-
 tè eo magis redundant, quo membra iam arefacta &
 imbecillia vtcunq; multo egeant alimento, eius ta-
 mèn exiguã quãtitatem, tum quia imbecillia sunt &
 sicca, tum etiam quia ipsum nutrimentũ à natiuo ca-
 lore non vt decet est præparatum, attrahere, ac illo
 frui non possunt. Vbi igitur humores dicto iam mo-
 do creuerint, eò quòd cum pauci essent, ad legitimã
 alimenti formam à natura minimè potuerint permu-
 tari, duorũ alterum necessè est sequi, scilicet vt à na-
 tura quadantenus maturati expellantur, aut ab vno
 membro in aliud protrudãtur: quorum certè ea iam
 est con-

est conditio, vt nec tueri seipsa, nec deperditæ substantiæ iacturam refarcire possint, quin potius illam minui, & quotidie plurimum labefactari experientia ipsa docet. Atque hinc diuinus Hippocr. permotus, nec semel, nec iisdem verbis, suis in monumentis verissima illa oracula pronunciauit: Senibus spirandi difficultates, destillationes cum tussi, vrinæ stillicidia, vrinæ difficultates, articulorum dolores, renum passiones, apoplexiæ, mali habitus, pruritus totius corporis, vigilia, alui, oculorum humiditates & narium, visus obtusus, glaucedines, auditus graues. A libi verò: Seniores iuuenibus plurimum ægrotant minus: qui verò morbi ipsis accidunt longi, magna ex parte comitantur ad mortem. Hæc omnia ideo à me fusius sunt explicata, vt Reuerendiss. V. D. intelligat, ob renum quam percipit imbecillitatem, non admodum sibi dolendum esse, cum ea & naturalis sit, & ætati suæ consentanea. Sed neq; ea qua ante x x v. annos fruebat valetudo, aut speranda est, aut expetenda. Illud potius curet, ne malum augeatur, aut renū imbecillitas progrediatur, vt aut calculum, aut alios grauiores morbos gignat: hoc enim aliquando accidere illis solet, qui cum sint intemperantes, suam valetudinem parum curant. Illud verò D. Vestræ Reuer. minimè est metuendum, cum non recēs, sed multorum annorum consuetudine temperanter viuendi habitum sibi compararit. Primùm igitur dicam, quæ tuendis renibus conueniat, tum viuendium curandi ratio. Deinde ad particularia quædam postulata, de quibus illa me interrogauit, distinctè respondebo. Cum recta viuendi ratio duplex habeatur, vniuersalis scilicet & particularis: in hoc affectu, quemadmodum in alijs quoq; non huius tantum, sed illius etiam est vsus. Vniuersalem eam voco,

quæ etsi valetudini cōseruandæ in vniuersum est ac-
 cōmodata, vni tamē affectui magis quàm alteri vide-
 tur cōuenire. Particularis autem est illa, quæ præter
 cōmunē obseruationē, certis limitibus ita est circū-
 scripta, vt vnicū morbi genus respicere, illiq; soli ad
 uersari videatur. In cōmuni illa ratione explicanda,
 diutius mihi non est immorandum: certum enim est
 mihi R. D. V. illam ita instituere, vt in ea parum desi-
 derari possit. Iam enim omnibus notissimum est &
 vulgatissimū, optima cibaria esse ingerēda, & à cras-
 sioribus abstinendum. Particularem igitur viuendi
 rationem tractabo, cū vniuersalem illam à R. D. V.
 exactè obseruari non dubitem. In particulari igitur
 hac renum curatione illud in primis est animaduert-
 endum, immoderatum & calorem & frigus, illis esse
 infestissimum: cū enim caloris propriū sit mea-
 tus amplificare, eadem opera plures quàm oportet
 humores etiam trahit, & eos qui in loco retinen-
 di erant, expellit. Frigiditatis autem contraria peni-
 tus est ratio: ea enim nec sanguinis serū trahit, quod
 quidem proprium est renum officium, neq; illud vt
 decet ad vesicam pellit: quo fit vt contrarij hi affe-
 ctus sæpe in senibus conspiciantur: nam prout aut
 ex frigore, aut ex calore fuerunt affecti, fit vt aut exi-
 guum quid, & non nisi ægrè & guttatim mingāt, aut
 sanguinolentum quendam humorē copiose profun-
 dant. Igitur vtrunque extremum à renibus diligen-
 tissimè est arcendum. Solent autem renes nimis in-
 calefcere, cū quis laborat nimis, aut calidiori cœ-
 lo se exponit, siue illud à sole æstiuo, siue à copio-
 so igne in calidioribus cubiculis incaluerit: præte-
 rea cū quis calidioribus cibus, vt aromatis, ac vinis
 potentioribus vtitur. Idem facit etiā Venus, quæ in
 senibus nullum vnquā locum habet. Cū autem la-
 bore

borem nimium, aut nimiam aëris caliditate dico, ad corporis affecti, ac renum imbecillitatem, comparatione fieri debere semper intelligo, quæ à leui quocunque excessu, ob exiguam resistendi vim, haud mediocriter alterantur. Refrigeratio autem immoderata fit aut à loco in quo quis degit, aut ab aëre, aut à frigidioribus cibis, quales sunt fructus, cucumeres, cucurbita, lactuca, endiuiia, omphacium, & reliqua his similia: præ cæteris autem frigida aqua, & vina refrigerata. Nimia igitur caliditas & frigiditas renibus præcipue aduersantur. Verum non hæc sola infecta sunt, sed reliquarum rerum omnium excessus: quam non æquè ac rerum illarum quæ nimium aperiant, vsus, à medicis eò quòd vrinam permoueant, diuretica sunt appellata: huiusmodi sunt, asparagi, pastinacæ, apium, petroselinum, fœniculum, ficus, pepones, melopepones, vinum album subtile, & reliqua his similia. Hæc verò multò magis noxia sunt à cibo: nam præterquam quòd plus iusto vrinarios meatus aperiant, crudioris etiam cibi partem aliquam, & minimè concocta excrementa eò deducunt, quæ multorum malorum autores esse possunt. Quæ igitur plus æ quo aperiant, in renum valetudine cõseruanda semper noxia sunt: eadem autè à cibo sumpta, valde sunt perniciofa. Hoc autem à me in quadam tractatione, in gratia clarissimi viri Marciantonij Contareni philosophi, aduersus aliquot medicos qui contrarium sentiebant, fusius ac diligentius est explicatũ. Cùm verò aperientium vsus reprehendimus, non ita est accipiendum, quasi verò ea quæ nimium adstringunt, renibus sint vtilia: ea enim aliquando, potissimum verò cùm tum ipsi, tum meatus ad ipsos pertinètes excrementis sunt referti, multò magis sunt noxia. Adstringunt autem vina austera, pyra, cidonia, palmu-

læ, & huiusmodi reliqua. Ex cibis etiã euitandi sunt illi qui crassum ac viscidum nutrimentum præbent, & quæ pinguia sunt & adiposa. Crassum alimentum gignunt legumina omnia, pisces maiores, vt thunni, sturiones, ombri, anguillæ quoq; , tenchæ, ostrea, limaces, fungi, terræ tubera: quadrupedum maiorum carnes, vt bouis, cerui, apri: aues quæ in paludibus degunt, vina dulcia, aut nigra: quòd si vtraque præditi sint qualitate, tum planè sunt perniciosà. Viscidi alimenti cibaria sunt, caro suilla, pastilia, caseus recens, & omnia ex lacte quocunque modo parata, plantæ quæ vulgò tortæ vocantur, pulmenta quæ pasta sunt obducta, fricta omnia: ea etiam quæ in melle aut saccharo vulgò multifariã cõdiuntur, aut aliqua simili ratione miscentur, quemadmodum etiam crustula, & omne itriorum genus. Hæc omnia renibus ideo aduersantur, quòd crassos ac viscidos humores gignunt, quos deinde ampliores facti renes, facile ad se trahunt, & aut vrinarios meatus obstruunt, aut calculum ipsum creant. Quòd si compressi ac refrigerati sint renes, sanguinis serum crassius ac viscidius factum minimè ad se trahunt: vnde fit vt multiplici periculo corpus repleatur. Siccioris alimèti cibaria sunt lepores torrefacti, cerui, capreæ, & diuturnior aceti vsus. Vt autem summam dicam, nullius rei excessus renibus est salutaris; atque hoc illis præcæteris membris est peculiare, vt apud Græcos tritum sit in sermone prouerbum, *νεφριτινὸς ὑγρότατος*. Rationem eius rei non aliam esse puto, quàm quòd renes à natura ideo facti sunt, vt sanguinis serum ad se trahant, & vt ab eo excremento vniuersum corpus expurgent. Vt autem commodius possent officium hoc præstare, eorum substantiam densiorè esse oportuit, & meatus habere angustiores, vt solum serum

rum & aquea sanguinis pars attracta, transmittetur. Hinc etiam videmus, cum iusto latiores sunt facti, ipsum etiam sanguinem trahere, ut in sanguinolentis urinis apparet. Cum igitur talem & substantiam & structuram renes habere oporteat, si à quouis excessu læduntur, mirum videri non debet: siue enim paulò magis adstringantur, siue latiores fiant, à sua actione impediunt: & siue crassior siue tenuior paululum fiat sanguis, eadem oriuntur incommoda. Hoc autem imbecillioribus corporibus frequentius contingit, aut cum renes maiorem quam reliquæ partes sortitæ sunt imbecillitatem. Hæc autem ita se habere, quiuis exactius rem considerans, facile iudicabit. Ut itaque ad particularem R. D. V. curationem veniam, illud in primis statuo, rerum omnium excessus esse fugiendos, tam frigoris quam caloris, idque non solum in aere ambiente, verum etiam in cibo ac potu, & in his quæ urinam mouent aut adstringunt, ac ut summam dicam, in omnibus quæ à mediocritate ad extremum aliquod discedunt. Hæc hæctenus de victus ratione seruanda, à nobis sint dicta. Quod autem ad medicamenta attinet, assiduus sacchari rosæ vsus, in præseruandi ratione, præ cæteris omnibus mihi summopere probatur: vix enim quicquam magis salutare à nobis excogitari potest, & quod sine villo nocumeto aut perturbatione omnes corporis partes iuuet, præcipue autem renes, qui, ut diximus, ab omni excessu lædi solent. Hoc salutare auxilium ita est temperatum, ut si latiores facti sint renes, ad conuenientem naturæ suæ statum illos deducat: quod si obstructi sint & pleni, abstergat: si incaluerint, refrigeret: nec tamen affectibus frigidis nocet, cum sit (ut antea dictum est) in omnibus qualitatibus suis temperatissimum. Ventriculum autem ab om-

nibus excrementis, præ cæteris mundum reddit ac roborat, ipsam quoque abigit destillatione: quæ ceterè adiuuenta quàm senibus sint necessaria, quiuis facile potest iudicare. Maximè igitur mihi probaretur, si quotidie manè per horâ vnam ante prandium R. D. V. mediam eius vnciam sumeret, ac deinde leniter deambulet. Consultum etiam mihi videretur, si aliquando, vt bis aut ter in mense, scrup. vnus aut media drachma optimi ac exactè maturi rhabarbari illi adiungeretur: quo sanè tempore per tres ad minus horas ante prandium erit sumendum: hoc enim vniuersum corpus mundum maximè conseruaret, & à multis alijs morbis & à podagra posset præseruare. Quæ autem cõmoda renibus asserre possit, quiuis vulgaris etiam medicus intelligere facile potest. Nam præterquàm quòd per vrinâ exactè illos mundificat, postea etiam roborat, & sine vi adstringit. Atque hoc, in ea qua R. D. V. prædita est temperatura, pro præseruatione, fatis mihi videretur. Si quando verò contingeret vt renes adeò aperti essent, vt iam sanguis excerneretur, tum reliquo corpore mundo existènte, quale proculdubio esset si præscriptam viuendi rationem obseruaret, suaderem vt ad idoneam renum adstrictionem, in aurora inferius descriptum puluerem, in aqua capillorum Veneris, aut asparagorum, aut cardui, aut sceniculi, sumeret calidum:

℞. Boli armeni orientalis		3 j.
Gummi arabici		
Tragacanthi	ana	℥ ij.
Rosarum rubearum		
Myrtillorum		
Hypocistidos	ana	3 j.
Coralliorum rubeorum		3 s.

Misc

Misce, & fiat puluis subtilissimus, cuius singulis vicibus sumatur semidrachma, cum vncijs quatuor alicuius ex prædictis aquis. Interim etiam dum renes ita erunt aperti, & descripta superius potio bibetur, hoc vnguento renes etiam illinentur:

℞. Succij foliorum lentisci

Foliorum myrti

Radicum consolidaë maioris ana $\frac{3}{4}$ j.

Vnguenti infrigidantis Gal. simplicis $\frac{3}{4}$ ij.

Misce, & fiat linimentum secundum artem.

Hæc omnia facilia satis ac familiaria, efficacissima tamen, cum nimia dilatatione renes iam laborabunt, administrari debent. Quod verò ad purgationem bis in anno moliendam attinet, si R. D. V. instituta iam viuendi rationem obseruabit, & si rhabarbarum, ita vt superius dictum est, sumer, minimè fore necessariam puto, præsertim cum ea vti non consueverit, neq; vllam vnquam huiusmodi purgationem admitterit. An verò quarundam thermarum aquæ conueniant, vt Lucensium de Villa, aut Veronensium de Calderio? Cum sua natura frigide sint, & vetriculo infeste, nõ ita facile assentior, & illarum vsu minimè opus fore confido. De fructibus ita sentio. Reueren. D. V. ab illis quoad fieri potest, debere sibi temperare: quò enim exactius hoc hæctenus seruauit, eò in posterum nocentiores illi erunt fructus, cum eis minimè sit assueta. De vino autem quod queritur, album ne an nigrum magis conueniat. Ego medio colore præditum magis probarè, rubrum scilicet & clarum, ac probè maturum, nec tamen nimis potens. Huiusmodi ferè sunt Salernitana, & quedam etiã Romanensia. Aceti autè vsu penitus non reprehendo: certum enim est mihi R. D. V. cõdimenti tantum loco illo vti: id verò cum exiguum admodum sit, obesse nihil potest. Quòd verò

Ita adhibitū neruis nocere, & articulari morbo aduersari quidā dicunt, valde est ridiculum: cuius sanē rei multæ mihi sunt rationes, quas ne molestus sim nolo nunc recensere. Lac autē ac lacticia omnia probari à me non possunt: cū tamen R. D. V. illis sit assueta, & eorum vsu plurimū delectetur, aliquando ante alios cibos recentissimum lac, ioncatam etiam quam vocāt, aut pinguiorē illam partem, quam ideo quòd in suprema lactis parte in viscidam quandam crustam concrefcit, caput lactis solent appellare, & recentem etiam caseum, sed parcè, comedet: à veteri autem penitus abstinebit. Episcium genere, arbores vocatos, barbos, auratas recentes, & in profundo mari victitantes, aut in craticulis, aut in iusculo coctas nō reprehendo, quin potius illorum esum innoxiiū fore puto. Autūnales fructus, vt pyra, cydonia cum saccharo cocta, R. D. V. aliquando degustabit, sed parcè admodum, quemadmodum in rebus omnibus illa semper est modestissima. Cæpæ atq; allia sua quidē natura vt alimenta, praua sunt nutrimenti, ac penitus reiiciendi: quòd si aliquando profunt, id certè nō vt alimenta, sed vt medicamēta præstare solent: crassiora enim phlegmata incidunt, aut flatus pellunt. Hæc mihi nunc in animo occurrerunt, de quibus R. D. V. admonerem, atque illi responderē: quæ certè si non eiusmodi fuerint vt ipsa res postularer, atq; ego etiam exoptarem, non meæ voluntati, quæ erga R. D. V. propensissima est atque obseruantissima, sed meæ potius imperitiæ est adscribendum. Meam etiam in scribendo tarditatē vt boni consulat supplex rogo: maxima enim & frequentissima à Magnificis ac Nobilissimis viris exhibita mihi negotia (nam & extra ciuitatē proficisci, & cum alijs medicis longas quotidie habere cōsultationes cogor)

cogor) ne horulam quidē otij aut quietis mihi concedunt, ita sanè vt successiuis horis R. D. V. pauca hæc scribere vix potuerim. Cui humiliter me commendo, & supplex sacras eius manus, summa animi ac corporis adhibita submissione, reuerenter exosculor.

Patauij.

Consult. LXXXVIII. De ardore urinæ, cum quadam suppressione urinæ, suffocatione noctu à primo somno, dolore renis præcipuè sinistri, de dolore spatulæ sinistræ, dolore uentriculi, uentositate in fundo uentriculi & intestino colo, de continua stomachi imbecillitate, cum dolore podagrico remisso in pollice pedis dextri, pro Francisco Vargo Regis Hispaniæ Consiliario.



Mnia symptomata, vel accidentia, de quibus conqueritur Illustrissimus Dominus, iudicio meo, ad duas intrinsecas causas sunt redigenda, quæ tamen causæ fomentum incrementumq; à causis extrinsecis nactæ sunt, & continuè nanciscuntur. Interiores ergo causæ sunt, uentriculi frigiditas maior quàm expedit, & excessus caliditatis in hepate, & renibus, & toto ambitu venarum. Ex his duabus causis efficitur, vt prima concoctio sit diminuta, & pituita quantitate & qualitate excedēs dominetur, colligaturq; in uentriculo, & subinde distribuatur, primò ad venas mesaraicas & hepar, ibiq; plures variasque efficiat obstructiones. Excessus autem caliditatis in hepate, & amplitudo vasorum, quæ necessariò talem temperaturam consequitur, multiplicat sanguinem, bilemq; adustam, ac præterea pituitæ partem distri-

butam crassiore, calidioreq; reddit. Cum igitur massa sanguinis expurgatur, attrahiturq; ferosa humiditas ad renes, promptè simul excernuntur ex occasione amplitudinis venarũ, reliquæ quoq; superfluitates pituitosæ & adustæ: dumq; in renum angustijs immorantur, vltèrius aduruntur, vnde & calculi renũ, arenæq; plurimæ generantur: quæ postea per vrinarios meatus ad vesicam delatæ, & confertim ad ipsius ceruicem infarctæ ita occludunt meatũ, alioqui angustum, vt interim vrina prorsus retineat tandem, quandiu plurimæ vrinæ copia impetu facta erumpat. Sed antequàm erumpat, dolor circa illas partes excitatur ex arenularum asperitate & acrimonia, dolorq; ille maior aut minor efficitur, prout etiam excrementa illa retenta quantitate plura, aut qualitate acriora fuerint, vel pauciora, & mitiora. Pituita autem in ventriculo collecta, & occlusa in venis mesaraicis, dum intumescit, & in spiritus flatuosos vertitur à calore agitata, varios affectus producit. Nam vbi spiritus intra tunicas cum ventriculi, tum intestinorum includitur, dolores excitat vel colicos, vel cœliacos, prout vel ventriculum, vel intestina occupauerit: pars verò eiusdem spiritus quæ repentiè & confertim traducta per hepar ad renes detruditur, dolores efficit nephriticis modò in dextro, modò in sinistro rene, frequentius tamen in sinistro, quoniam pars illa imbecillior est: qui vbi amplior maiorq; efficitur, cõmunicatur etiã & protenditur vsque ad spatulam, humerosq; eiusdem lateris, obseruata rectitudine transitus, siue nervos ibi existètes, siue venas, aut arterias, aut etiã ista omnia simul occupauerit. Vbi verò spiritus ille & vapor ad superiores partes cõfertim retruditur, suffocationes efficit maiores vel minores, prout maior vel minor copia
vapo-

vaporū fuerit. Quòd autem huius suffocationis causa ad dictos vapores sit referenda, præter alias rationes hoc maximè indicio comprobatur: quoniam sicut velocissimè inuadit, ita etiam velocissimè resoluitur, quod quidem est flatuosæ materiæ proprium, non corpulentæ & crassæ. Cui etiam rei adstipulatur primò illius suffocationis origo, quæ inuasit à comestione lacticiniorū, & vini diluti cum oliuis, quæ omnia proculdubio spumosa admodum flatulentaque sunt cibaria. Neq; ratio aliunde petenda est podagrici doloris dextri pedis pollicè occupantis, quàm ab illis prioribus duabus causis, frigiditate scilicet ventriculi pituitam generatæ, & caliditate hepatis, & ex quo viæ & meatus ampli progrediunt, per quos commodè possit transire materia. Consentaneum autem rationi est, vt crassior quidè humor deorsum ad pedes descendat, leuior autem & flatuosior superiores magis partes petat. Quòd autem magis occupat pedem dextrum quàm sinistrum, causa est, quoniam ab hepate per venas talis descendit materia: vnde seruata rectitudine, quæ naturæ familiarissima est, dextrâ potius partem quàm sinistrâ inuadit. Hæ sunt causæ intrinsecæ omnium istorum symptomatum, quæ morbi Illustris. Domino appellantur, numero octo videlicet vrinæ quædam suppressio, & ardor: secundò, suffocatio nocturno tempore à primo somno repente occupans: tertio, dolor renis præcipuè sinistri: quartò, dolor spatulæ sinistræ: quintò, dolor ventriculi: sextò, ventositas & oppilatio, vt ipse vocat, quæ videtur permanere in fundo ventriculi, & intestino colo: septimò, continua stomachi imbecillitas: octauò, dolor podagricus remissus in pollice pedis dextri. Iste autè duæ causæ, quas intrinsecas diximus, plurimū adiuantur & fouent à causis extrinsecis malè

applicatis, vt aëre, cibo & potu, exercitio incōgruo, Venere, & reliquis alijs cognitis. Vtrum autem frigiditas ventriculi, quam prædiximus, & hepatis caliditas fuerint Dominationi suæ cognati & naturales affectus, an aduentitij? De hepate quidem facillè dixerim caliditatem esse cognatam: de ventriculo autem non ita constat: potuit enim facillè tum propter vehementia studia literarū, tum propter Venere, aut propter alias immodicas mutationes, quæ frequentissimè in humana vita cōtingunt, præcipuè quæ libera non est, sed negotijs rebusq; agendis addicta, ad talem intemperiem reduci. Hæc igitur dicta sunt de causis illorum omnium symptomatū tam intrinsicis, quàm extrinsicis. Superest, vt nunc de præseruatione futurorum agatur, & de curatione præsentium. Et quoniam, vt sententia Galeni est, iisdem ferè remedijs præsentem morbum curamus, quibus à futuro præseruamus: ideo maxima ex parte, quæ de præseruatione dicent, ad curationē transferri poterunt. Fiet potissimè præseruatio cum his, quæ innatum calorē conseruat, quo totum animal gubernat: neq; enim excedere potest in eo corpore, vbi calor naturalis dominat, alicuius membri vel calidi vel frigidi excessus. Calor innatus cōseruabitur, si recta ratio in sex rebus extrinsecus occurētibus obseruabit. Primò igitur cauebit Illustrissima sua Dominatio ab omni aëris excessu, siue calido, siue frigido: frigidus intemperiem ventriculi & cerebri augebit: calidus hepatis, renum ac venarum. Et eadem omnino ratio est de cibis, seu calidis, seu frigidis. Labores verò atque animi accidentia, si moderata fuerint, calorē naturalem excitabunt, concoctiones distributionesq; adiuuabunt: si deficient, torpidum frigidumq; corpus totum efficient: si exuperabunt, primò quidem calor

calor igneus excitabitur, & naturalis diminuetur: postea verò vbi maior fuerit exuperàtia, calor etiam igneus resoluetur, & torpida succedet frigiditas. Ergo in omnibus excessus est euitandus. A somno meridiano quàm maximè cauere oportet: inde nanq; caput repletur, & destillationes excitantur, vnde postea Illustrissimi Domini affectus foueri, adaugeriq; possint. Egestionis alui quàm maximè sunt procurandæ: inde enim auersio ad contrarias partes, ac præterea euacuatio excrementorum paratur. Ad hanc leuionem summè probauerim frequentè vsus hierę simplicis Galeni de sex rebus: nam ex hac ventriculus corroborabitur, obstructions aperientur, hepar euentabitur, & excrementa simul auertentur, & per inferiora ducentur: quæ omnia in hoc corpore à nobis quàm maximè sunt expetenda. Erit vsus hierę, vt accipiatur in catapotij formâ redacta hora ante cœnam bis in septimana. Sed & assumptio terebinthinę vel larinæ lotæ, totidè quidem vicibus deglutita, sed horis sumèdi immutatis: manè enim assumi solet tribus horis ante prandiū. Assumendi quantitas circiter drachmas duas: hæc in alijs quidem non inferior hiera, in ventriculo tamen corroborando longè imbecillior. Quantū verò ad nutrimentorū substantiam attinet, etiam me tacente intelligendum arbitror, vt cibos potusq; eligat optimi succi, non facile corruptibiles, & qui citissimè concoquantur distribuanturq;. Tales sunt carnes hædorum, castratorum iuuenum, vitulorum lactentium, pullorum, atq; auium campestrium iuniorū, quales perdices sunt, phasiani, & passerulorū omnia mótana genera, turdi, etiã ficedule, & columbacei pulli non sunt aspernendi. A piscibus cauendum consulo, à lacticinijs, à pastilibus, à leguminibus, à carnibus antiquis & sali-

tis, ab ouis vel duris, vel antiquis, vel sartagine decoctis, ab acetarijs crudis abhorreat, sed præcipuè à ciborum varietate: imò vnico cibo contentus sit. Cruditatem etiam effugiat, nihil enim illa pestilentius: à Germanicis comestationibus & comotationibus quàm maximè abstineat. Vinum verò eligat paruū, subtile, lucidum, colore medio cre inter albū & nigrum, minimè acerbum: sed neque dulce, medijs enim saporis, coloris, & potentiaē esse oportet, quod etiam parè bibat: & inter prandium & cœnam à quocunque potu omnino abstinebit. Vbi hæc ritè peregerit, sciat maximam partem suæ non tantum præseruationis, sed etiam curationis transgisse. Quantum verò attinet ad pharmaciã, suademus Illustrem suam Dominationem bis singulis annis purgari, vere inquam & autumno. Purgationē veris ita faciendã statuerẽ. Circa quintumdecimū diem Martij, nõ impediēte lunæ cõiunctione, triduoq; antè præparato vetriculo cum tenuiori victus ratione, manè sumat tribus horis ante prandium leue pharmacum ita habens:

℞. Floris castiæ ʒ j.

Specierum hieræ simplicis ʒ ij.

Cum saccharo fiat bolus. Sequenti die syrupum assumat ita habentem:

℞. Syrupi de absinthio

De cichorea Nic. cum rhabar. ana ʒ j.

Decoctionis liquiritiæ

Saluiæ

Betonicæ ʒ iiij.

Misce pro syrupo vno, & sic pro septem. Deinde

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Syrupi rosati solutiui ʒ iij.

Cum aqua betonicæ fiat potio. Sumat in aurora cum custodia, die immediatè sequenti syrupū septimum. Postri-

Postridie verò accipiat sacchari rosati semunciã, ho-
ra ante cibum, manè & serò. Ita perseueret per dies
quindecim. In hac tamè purgatione veris laudarem,
vt sanguinè mitteret à vena hepatis ad vncias octo,
vel decem: autumnò autem eandem profus euacua-
tionem repeteret, sanguinis tamen missionem omit-
teret: in reliquis anni temporib. vitet illas euacua-
tiones. Vtatur Illustris. sua Dominatio bis in men-
se, aut ter ad summum, ad præseruationem, pilulis,
quæ ita habent:

℞. Myrobalanorum citrinorum
Rosarum rubearum
Garyophyllorum
Nucis muscatæ ana ʒ iij.
Aloës electæ
Rhabarbari ana ʒ vj.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceant, postea
aspergantur succo rosarum puro: postea permittan-
tur exiccari, & ita iteretur sæpius. Deinde cum melle
rosaceo fiat magdaleon, de quo singulis vicibus fiat
pilulæ tres pondere vnius drachmæ, sumendæ hora
ante cœnam. Laudo præterea, vt itidem bis in men-
se sumat quatuor horis ante prandiũ optimi Mithri-
datici in bolum redacti, vel in pilularũ formam scru-
pulos duos, & superbibat tantũ vini aromatici, quan-
tum caperent cochlearia duo. Ventriculum quidem
muniri suaderem pannis lineis duplicibus & tripli-
cibus, quantum sufficeret ad calorem optimè reti-
nendum atque seruandum: qui quidem panni linei
quãmaximè puri, & ab omni sorditie liberi seruaren-
tur. Apponere verò cerota, siue ex mastiche, siue ex
quacuncq; alia materia, ad vsũ continuũ, ego pro-
fus non laudarem, quicquid alij velint dicere: exu-
gũt enim talia omnia longo vsu naturalem humorẽ,

ita vt tandem refrigeretur ventriculus. Nam de gutture vulturum, pellibus leporum, & alijs huiusmodi, nihil aliud dixerim, nisi esse apertissima impostorū cōmenta, quibus ignorantiam propriā velare nituntur. Quantum attinet ad emplastrum diachylon, laudarem quidē si discutiendus esset tumor, vel abscessus maturandus. Sed in casu nostro de renibus proposito, optarem vt tantūm esset superuacaneum, neque aliud incōmodum nobis facefferet. Saccharum modicē sumptum, ego quidem non improbauerim. Vinum dilui oportebit aqua fontana, sed quæ maximè tenuis sit, & nullius qualitatis particeps. Vbi ista non habeatur, copiaque affuerit aquæ recenter destillatæ limpidæ & puræ, minimè putridæ, laudarem quod ex betonica, vel absinthio, vel saluia sublimaretur. Aquam ligni Indici, vbi corpus exquisitissimè purgatum esset (hoc enim est admodum necessariū) verno tempore assumendam consulerem, quoniam mirū in modū ventriculum corroborat, intestina & renes. Quod si fortè præcessisset etiā suspicatio aliqua morbi alicuius ad nos non relati, tunc omnibus modis hanc decoctionē profuturā iudicauerim. Admoueri igni, & ex lignis præcipuè mitioribus, quales falices sunt, & vites, hyberno tempore maximè laudo: nihil enim frigore in hac præcipuè atate, & ad hos morbos detestabilius puto. Exercitiū tunc obcundū est, quando exquisitissima facta est cōcoctio in hepate, & venis, quod quidem præcipuè habemus matutinis horis. Sit autē exercitij terminus mutatio anhelitus manifesta: placet autē vt superiores magis partes exerceantur, quàm inferiores. Equo insidere tunc optimū est, cū renes & totū corpus fuerit purgatum: alijs temporibus nō omnino tuta equitatio est. A cœna & prandio negotijs tutò non vacabit, nisi vbi

si vbi ventriculi concoctio exactè perfecta fuerit, id fieri non potest, etiam in validioribus, nisi post quatuor horas à cibo. A cœna somnũ capiendũ con- sulo duabus horis peractis, ita vt interim Illustris sua Dominatio suauiter deambulet, aut stet, neque se- deat. Caput manè fricare tum pectine, tum spongia, dũmodo sub tepido aère, & minimè frigidò id fiat, meo iudicio, non est aspernandũ. Patauij, M. D. L.

Consult. LXXXIX. ex tempore. De præ-
focatione matricis.

Roponitur nobis Nobilissima mulier a- gens iam trigesimũ tertium annum æta- tis suæ, quæ cõqueritur de matrice ipsa, & patitur multa symptomata. Primò ha- bet dolorem siue vertiginem in capite, non quidem cerebrum totaliter obidentem, sed partem aliquam cerebri: & ex tali dolore seu affectu in capite, vide- tur non posse aliquo modo loqui: habet etiã febrem quandoque, & cum hoc habet etiam menstrua sup- pressa. Ista sunt symptomata, & reliqua per Excel- lentis. Doctorem relata, quæ cum ex vna radice de- pendeant, ea non amplius referã. Patitur ergo præfo- cationem matricis: illa præfocatio quandoque po- test esse morbus in compositione, ita quòd matrix non sit in debito loco sita, sed vergat aut ad partem dextrã, aut sinistram. Ex tali enim morbo in compo- sitione (vt dicit Galenus in v. i. de locis affectis, vbi agit de præfocatione matricis) potest cõprimi ven- triculus, & reliqua intestina, ex quorũ compressio- ne comprimitur diaphragma, quod quidem postea compressum mirũ in modum læditur. A quam cau- sa in ista Magnifica muliere proueniat talis præfoca- tio, mox dicemus. Inquiramus temperaturam ipsius.

Teneo temperaturam istius Magnificæ mulieris esse optimam, & ad æqualitatē tendere, quoniam ista est carnosa mediocriter: habet etiam colorem rubeum, qui color attestatur dominium sanguinis supra ceteros humores. Et ita teneo hepar esse optimè dispositū, & habere temperaturā debitam ad sanguificandum. & breuiter, prima, secunda & tertia digestio in hac Magnifica muliere optimæ sunt. Sua ergo complexio calida est & humida. hæc de complexione. Veniamus modò ad morbum. Sum in hoc valde anceps, à quonam dependeat: & hoc multum refert, quia morbus secundū varias dependentias, varias ad se trahit curationes. Scitis enim suffocationem matricis prouenire à tribus. Primò prouenit ex pluribus humoribus collectis in matrice, qui aduruntur, & putrescunt, & causant hanc suffocationem, & sæua accidentia. Secundò prouenit ex plethora, nam aliquando ita æqualiter humores abundant, vt repleantur illæ venæ matricis, ex quarum repletionem causatur ista suffocatio. Tertiò prouenit, & hoc sepe vidi, ex ipso animi affectu, quum aliqua mulier pro zelotypia viri irascatur, & animus valde afficiatur, tunc fit illa præfocatio. Et ego noui quasdam mulieres, quæ ita irascebantur, & afficiebantur à zelotypia, vt statim caderent in hunc morbū, & perpeffæ sunt sæuissima accidentia. A quanam causa trium harū proueniat egritudo istius Nobilissimæ mulieris? Vt rem veram ingenuè fatear, multum sum dubius. Nam primò audio hanc mulierē esse diuitem, & charū virum habere, à quo maximè diligit. Ideo non credo quòd proueniat ex ista ira: neq; hoc certò scio, quia nullus retulit. Præterea credo non prouenire ab adustione humorum, quia, vt dixi, ista mulier est temperaturæ sanè æqualis. Neque potuit generare hos multos

multos humores adustos, licet comederit cibos, & herbas aliquantulū nocuas, propter suam optimam temperiē. Neq; puto, potuit hoc prouenire à retentione seminis: ex retētionē enim seminis potest fieri ista præfocatio, quā causam omisi suprā. Et quia non potest prouenire ex ista causa, quia audio virū suum esse iuuenem, & agere iam trigesimū tertium ætatis suæ annum: à quānam causa ergo diceres hoc prouenire? Credo quòd à plethora proueniat, & quòd ob æqualem eius temperaturam sit facta tanta sanguinis abundantia, vt ille sanguis retineatur in venis illis angustioribus, non quòd ibi incrassetur, sed ob angustia viarum, & sanguinis affluentia, non possit pertrāsire, & ibi inficiatur, & trās mittatur ad pectus, ad caput, & faciat ista symptomata. Hoc ego dicere, licet (vt dixi) non sim certus, quia non rectē illi infortunāt nos. Tamen credo quòd proueniat ex ista plethora, cuius signum est, quòd ille medicus qui eam curauit, misit sanguinē, ex illa missione percepit maximum iuuamentum: hoc est signum quòd est à plethora. Stāte quòd proueniat à tali causa, de cura credo quòd facillimē hæc mulier curari potest. Et causa cum sit duplex, vna præseruatiua, altera quoniā iam febre afficitur, ideo duas debemus habere intentiones: primò curare ipsam, quādo habet paroxysmū, & hoc ligaturis, frictionibus factis in coxis, in cruribus, ad diuertendū etiā factis scarificationibus cum cucurbitulis, ponendo ipsas in coxis: omnia ista faciūt pro diuersione. Pro cōseruatione verò, ne quādo febris non adest, in ipsam non cadat, ego euacuarem ipsam cum manna, aut cassia, ponēdo hierā simplicē, bis aut ter in septimana. Hepar ipsum non tangerem, quia cum bene se habeat, non alterarē ipsum, Confortarem vterum, roborando ipsam. Neq; face-

rem phlebotomiã, quia cùm iam facta sit ab illo Excellentissimo Doctore, & fiet postea cum cucurbitulis, non amplius eam tentarem, quòd oporteat (non erit forsitan malum) prouocare sanguinẽ ab hæmorrhoidibus. Præterea ego maximè laudo, vt fiant duo cauteria in ambobus cruribus, ita quòd illa cauteria faciant, vt illa materia diuertatur. Postea cùm fuerit euacuata, laudarem balneum aquæ dulcis, vt immoraretur in eo: nam balneum, quia calidũ est, aperiet venulas illas existentes prope cutim, & per sudorem emittet omne vitium. Et hæc breuiter volui dixisse, licet in isto casu sim anceps, à quam causarum facientiũ præfocationem, talis præfocatio proueniat. Sed hoc in summa dicerem, quare &c.

*Consult. XC. De fluxu materiæ albæ è uirga
per decennium, pro Magnifico Contarino patritio Veneto.*



V amuis Magnificus iste vir multis affectibus præter naturam vexetur, sicut refertur, vnum tamen præcipuum est, cuius ratione à nobis consiliũ requiritur: & est destillatio quædam albæ materiæ non mordicantis, neque fœtidæ, colore subpallidæ, quæ paulatim quidem, sed continuè, & iam per decennium perpetuò è virga emanat. Quæritur igitur quod genus sit hoc symptomatis, nũquid id ad gonorrhœam, vel ad aliud quippiam tale sit referendũ? an verò sit alterius generis, & quæ sit ægritudo, quæ ratio, vnde actio læsa consequatur: deinde vbi constiterit de specie tum symptomatis, tum morbi, qua arte curari possit, si modò curationem admittat. Ac de symptomate quidem, non crediderim esse gonorrhœam, neque enim ego semen excerni audio, ac propterea
nec

nec dicerem esse excretionem feminis. Sed nec pus esse dicendum est, cum vlceris nullum signum, quod ego intellexerim, appareat. Non etiam humiditatem glandulis in collo vesicæ existentibus esse crediderim, cum non inde sequatur ardor urinæ, quod proculdubio consequeretur, si per decennium eo affectu aliquis laborasset: habet enim illa humiditas hunc usum præcipuè, ut acrimoniam urinæ obtundat, oblinatq; & tanquam vestiatur suo lentore partes colli vesicæ sensibiles ad acrimoniam urinæ sedandam. Ergo in eam potius partem inclino, ut materiæ pituitosæ, tenues, & crudæ, cum portiuncula aliqua bilis admixta, propter hepatis & renum caliditatem, destillet per urinæ meatus, atq; ita excernatur, præcipuè cum hic Magnus vir amplos habeat meatus, & calidos renes, ob hepatis scilicet caliditatem, ac præterea in tota sua florèti ætate plusquam oportuit Veneri indulserit, neque rectam rationem in viuendo seruauerit. Confirmat hanc coniecturam, ventriculi audita imbecillitas, cuius ratione pituita proculdubio multiplicatur. Indicat etiam hoc ita esse nodulorum scirrhororum multitudo, qui in virga frequentes & multi sunt. Indicat etiam difficultas illa in emittendo loto, quod sine certo conatu expelli non potest: hoc enim contingit, quoniam pituitosa viscidaq; materia facillè circa vesicæ collum impingitur, lociq; illius angustias, magis coarctat: virtutem etiam expultricem imbecilliore reddidit tum refrigerando, tum etiam urinæ acrimoniam plusquam satis est obtundendo. Cum ergo tale opiner esse symptoma ob materiam pituitosam ad eam partem defluentem, causasq; habere corporeas, ventriculi imbecillitatem frigiditatis causa, simul cum hepatis & renum caliditate, & meatuum amplitudine, curationem molendam arbitror cum his,

quæ huiusmodi affectibus opponuntur. Ac primò corroborandum esse ventriculum, ne scilicet pituita multiplicetur: & euacuanda quæcunq; hætenus fuerit generata: deinde hepatis & renum caliditatē temperandā, meatusq; roborandos. Ergo ab euacuatione totius corporis incipiendū: primò cum his, quæ preparatas materias, quas vulgò communes vocāt, euacuent: deinde cum his, quæ residuū concoquāt, postea educant. Consulerem igitur vt Magnificus iste vir curandus primò fumeret florē cassiæ ponderē vnciæ, cum drach. duabus specierum hierę, ex quibus bolus conficeret, maneq; tribus horis ante prandiu exhiberet. Deinde fumeret infra scriptū syrupū:

℞. Syrupi de absinthio

Oxymellis scillitici ana ℥ j.

Decoctionis cichoreæ, & agrimonie, in iure tenui pulli ℥ iiii.

Misce pro vno, & sic pro septem. Postea

℞. Confectionis hamech ℥ iiii.

Diacatholiconis ℥ j

Misce, & cum zuccharo fiat bolus, dandus in aurora cum custodia. Facta hac purgatione vtatur pro familiaro remedio tum ad leniendam aluum, tum ad corroborandum ventriculum, singulis septimanis semel saltem bolo vel pilulis, quomodo illi libuerit, confectis hoc modo:

℞. Terebinthinæ optimæ ℥ j.

Rhabarbari electi ℥ j.

Misce, & sufficiat hæc quātitas pro duabus vicibus, si in bolū, vel in pilulas redigat. Placet etiā vsus frequens zucchari rosati, si sumpserit semunciam paulò ante cibum cum scrupulo specierum aromati rosati. Laudo etiā vt præmissa euacuatione vtatur bis in anno, autumno in quā & vere neq; enim facillè aut citò

tolletur hæc dispositio, quæ per totū decenniū perse-
ueravit: sed si curari cupit hic nobilissimus vir, non
tantū vtetur præscriptis medicinis, sed etiā habe-
bit optimam victus rationē, sine qua omnia procul-
dubio frustra fiēt. Cauebit igitur præcipuè à come-
sationibus, & cōpotationibus, parcusq; erit tam in
cibo, quàm in potu, vtaturq; simplici obsonio, & e-
pularum varietatē euitabit: nihil enim illi pernicio-
sius. Cauebit à piscibus, pastilibus, lacticiuijs, fructi-
bus, carne porcina, auibus palustribus, carne agno-
rum, & bubula, & prorsus quæcunque antiqua fue-
rit. Vinum bibet limpidum, maturum, neque adeò
potens, sed moderatè. Cauebit quàm maximè fieri po-
test à Venere. Aëris etiā excessum euitabit. Atque
hac victus ratione, & medicamentis, spero felicē suc-
cessum in hoc Magnifico viro, ita vt prorsus ab om-
ni incommodo, tam præsentī, quàm futuro, sit libe-
randus, quantum attinet ad hanc, de qua cōsulimus,
ægritudinem, cum laude omnipotentis Dei, cuius
nomen sit benedictum in secula.

*Consult. XCI. De præseruatione à calculo,
pro ciue Veronensi.*



Asus huius Nobilissimi viri indiget præ-
seruatione, & curatione: debet enim præ-
seruari ab his quæ facillimè possunt eue-
nire. Cùm enim sit frigidi ventriculi, he-
patis calidissimi, & renū, cum venis amplis & latis,
vt par est in tali temperatura, primū non est mirū,
si redundat plurimis arenulis rubeis excretis per vri-
nam: excoquitur enim materia tum pituitosa, tum bi-
liosā, & aduritur à superflua renum caliditate, vnde
excernunt arenulę. Sed postea successu tēporis facta
imbēcilliori virtute excretiua, & multiplicatis vētri-

culi cruditatibus, verendum ne arenulæ concreſcât in lapidem cum maximis doloribus, vt fieri ſolet, & ſubijciatur calculis renum, fortaffe etiã veſicæ: imò & ab ijsdem cauſis ſenile corpus incidere poſſet in dolores articulares, & podagras, & alias huiuſmodi malas ægritudines. Ergo ſumma diligētia præſeruan- dus eſt: præſeruationem autem cum indigeat longo tem- pore, & aſſidua diligētia, tota eſt in manu patiētis. Igitur erit noſtrū conſulere, ſuum autem erit parē- re, & perſeuerare. Circa igitur victū, cuſtodire ſe de- bet ab omni aëris exceſſu, & ne alteret corpus tam ad calidum, quàm ad frigidum, vtrunque enim no- cebit. Ideo venari hyemis tempore, & in nauicula pi- ſcari, plurimum nocet, quia aër extrinſecus refrige- rat & humectat: labor verò intrinſecus calefacit & exiccat, & ita in vtroq; extremo ſimul exiſtēs etiam corpus maximè afficitur. Debet igitur primò omnes exceſſus aëris euitare, tam caloris, quàm frigoris, om- nes item exceſſus laboris & exercitij, præcipuè poſt cibū, ſed moderatè ſe exercere: neque enim ab exer- citio abſtinere debet, & id horis matutinis, & poſt cibum quieſcere. A coitu quantū poſſibile eſt abſti- nere: ſed præcipuè nocet vêtre repleto. Habeat quo- tidie alui beneficium, & ſi non habuerit, vtatur ma- nē iure pulli, in quo decoquatur malua, pruna ſicca dulcia x. aut xij. & paſſularum vncia, & facta diligen- ti expreſſione, bibat ſcutellam huius brodij calidam tribus horis ante cibum. Erit enim hoc remedium, & ad temperandum hepar, & ventriculum, & ad le- niendum aluum accommodatum, ad renesq; expur- gandos. Vinum eligat pauciferum, id eſt, leue, colo- ris rubei clari, non multum, ſaporis mediij, non dul- cis, neq; acidi. Caueat ab vſtis, & ab omni vino tur- bido, & craſſo, & potenti, & dulci: caueat etiã à vino
refri-

refrigerato, & à potu aquę frigidę, & non bibat post prandium aut cœnam. Utatur tantum carnibus iuuenum animalium, sicut vitulorum, hædorum, castratorum iuuenum, auium omnium campestrium, præter coturnices. Utatur ouis sorbilibus, & recētibus. Abstineat quāmaximè ab omnibus aromatibus, omnibus falsis, à rebus frictis in sartagine, à caseo, & lacticiuijs, à pastilibus, ab herbis, & maximè crudis, & ideo euitabit acetaria: poterit quandoq; temperatè uti asparagis dulcibus decoctis, capparibus, & lactuca, & cichorea cum modico cinnamomi: ab alijs omnibus abstineat. Euitabit multitudinem ciborum, sed semper vnico cibo sit contentus. Laudo ut pro cōseruatione stomachi utatur vel aloë ante cœnam pondere scrupuli vnus, vel rhabbaro, ut consuevit, ante prandium tribus horis pondere semidrachmę, vel etiam flore cassię cum rhabbaro. Hęc omnia conueniunt, & contemperant, euacuantq; membra læsa præter omne nocumentum. Sed inter omnia maximè mihi placet vsus ipsius aloës, neque timebit caliditatè eius, etiam tempore æstatis, & permittet dicere vulgares medicos quicquid volunt. Laudo præterea, ut quam frequentissimè sumat femunciam ante cibum circa horam vnā, optimi sacchari rosati per totum annum, etiam si quotidie sumeret: est enim præstantissimum remedium. Consulo igitur ut iubeat præparare sibi hoc anno vas magnum illius sacchari pro toto anno: faciliè enim conficitur etiam in domo propria. Hęc pauca sunt, quę credo nunc suffectura: & si omnia diligèter obseruaerit, proculdubio ab omnibus incommodis præseruabitur. Quantum attinet ad linimenta circa renes, laudo potius vnguentū infrigidans Galeni simplex, quàm aliquid aliud.

Consult. XCII. De fluxu per uirgam, pro
ciue Taruisino.



Luxum hunc, qui creditur esse seminis, magis putarem esse materierum crudarum, quæ in toto corpore multiplicantur, siue propter ventriculi frigiditatem, in quo frigidi humores multiplicantur, & inde attracti propter hepatis & renum caliditatem, ad vasa seminaria præcipitantur, quæ vel propter flatum, vel propter nimium Veneris usum, vel propter magnos labores, aut equitationes, plus æquo fuerunt dilatata & relaxata. Aliqua enim harum causarum, vel omnes poterunt concurrere: quæ cum explicata non fuerint, per idoneas coniecturas à nobis quærendæ sunt. Quicquid igitur fuerit, hoc vnum constat, curationem moliendam esse, tum per optimam victus rationem, ne humores plus æquo aggregentur, tum per auersionem ad alias partes, tum per membrorum corroborationem. Quantum igitur ad primum attinet, euitabit omnes aeris excessus, quantum fieri poterit, tum caloris, tum frigoris. Eliget regionem quam maximè temperatam, quantum ab eo poterit fieri. Fugiat etiam omnes animi molestias: cauebitque post prandium, vel cœnam, ne laboret tam corpore, quam animo, sed quiescat, leuiter tamen deambulando, ut cibus melius resideat in ventriculo. Simplici cibo semper utatur, fugiendo epularum diuersitatem, quam nihil magis aduersum. Eligat carnes laudabiles, pullo- rum, hædorum, vitulorum, & castratorum iuuenum: neque oua recentia vituperet. Cauebit à piscibus, à lacticiis, à pastilibus, à fructibus, ab acetarijs crudis, ab oleribus, & à rebus frisis in sartagine. Vinum eliget pauciferum, rubeum, vel si hoc defecerit, album, lim-
pidum,

pidum, non multum potens, quod parcissimè bibet: omnesq; euitabit comestationes & comotationes, si sanitatem acquirere cupit, alioquin omnia frustra tentabit. Quantum verò attinet ad auersionem materiae, & euacuationē, primò toto tēpore suæ aduersæ valetudinis bis singulis annis purgabitur, vere in quâ & autūno, poteritq; purgatio hoc modo perfici.

℞. Diacatholiconis ʒ j.

Specierum hieræ simplicis ʒ j.

Misce, & fiat bolus cum saccharo. Deinde

℞. Syrupi de mentha

De absinthio

De endiuia ana ʒ s.

Decoctionis pentaphylli & betonicæ, in bro-

dio macro pulli ʒ iiij

Misce pro vno, sic pro alijs. Deinde

℞. Confectionis hamech ʒ iiij

Trochiscorum alhandal gr. vj.

Misce, & fiat bolus cum saccharo, dandus in aurora cum custodia. Vel,

℞. Pilularum aggregatiuarum ʒ j. s.

Fiant pilulæ quinque eodem modo sumendæ. Et hæc erit annua purgatio, tam vere, quàm autumno celebranda. Deinde efficacius etiã auertendo vtetur ter vel quater in mense rhabarbaro cum saccharo rosato, sumēs ex eo drachmā cum semuncia sacchari rosati tribus horis ante prandium. Hæ auersiones vbi non suffecerint, laudo tandem vt fiant in cruribus vtrifq; remedia à perito chirurgo, quæ sunt cauteria. Quantum verò ad corroborationē membrorum attinet, factis omnibus purgationibus & auersionibus, & proposita victus ratione, quam prædiximus, laudo vt cōgruis temporibus, circa finem veris, aut principiū autūni, bibat aquas thermarū, in quib. alu-

men & sulphur dominetur. Partes & renum & lumborum iisdem temporibus post harum aquarum potum illinet vnguento de corticibus castanearū, vel eo quod cum sandalis conficitur. Ventriculū etiam illinet vnguento confecto ex oleo de absinthio, & mastichino. Quandoq; etiam, vt ter vel quater in mense, primo mane, quinq; horis ante prandium, sumat drachmam Mithridatici: summopere enim ad membrorum corroborationem confert. In omnibus autem temporibus à multa equitatione cauebit, & præcipuè in sellis duris, & in equis qui tolluntur ac cursum incedunt, & deniq; ab omni labore earum partium, quiescāt crura, renes, & dorsum. Et hæc si obseruabit, spero illi omnia feliciter successura, ad laudem Dei omnipotentis, cuius nomen sit benedictū.

Consult. XCIII. An diuretica conueniant in præseruatione affectus renum & vesicæ, pro Magnifico Contareno Prætoze Patauino.



Varitur an in præseruatione sanitatis Magnifici & Clarissimi domini Marci Antonij Contareni conueniāt diuretica. Et vt sub vniuersali particularis rei veritas magis elucescat, non erit absurdum vniuersalē quæstionē proponere: An in tēpore sanitatis, ad præseruationē conueniant diuretica, ijs qui renū vesicæq; affectibus sint parati. Nam quod conueniāt, videntur nobis persuadere aliquot rationes, & autoritates. Primò enim, quæ vias aperiūt vrinarū, & abluūt materias impactas, & crassas incidūt, ea maximè conferre videntur ad talem præseruationem: sed diuretica cuiuscunq; generis hæc omnia id maximè efficere possunt: ergo. Confirmat, quia multitudo vrinę proculdubio vtilissima est abstergēdo, abluen-

ablucendo, & incidēdo, vt tam renes quàm vesica purissima remaneant: ad vrinæ multitudinē generandam nihil efficacius diureticis: ergo. Præterea Paulus in tertio lib. cap. x l v. in præseruandis à calculo diuretica exhibenda iubet cum oxymelite: idemq; omnino asserit Auic. lib. tertio, Fen x v i i i. tractatu secundo, cap. x v i i i. Præterea autor ille qui de renum affectibus scripsit, in præseruando renes à passionibus vtitur vino albo tenui, & cibus attenuantibus, quæ omnia sunt diuretica. Ergo diuretica videntur conuenire in præseruatione sanitatis. In oppositum, quòd minimè conueniant, arguitur sic. In conseruanda sanitate renum & vesicæ, summo pere cauendum est ne materia trahatur ad loca infirma, sed potius auertatur: à diureticis autem trahuntur materiæ, ergo diuretica non conueniunt. Neque obstat quòd aliqui dicant, trahi quidem materias, sed easdem quoque educi. Nam præterquàm quòd non conueniat euacuare, & materias attrahere per loca infirma, est & aliud incongruum, quòd in longo transitu & mora multæ materiæ fæculētæ, aliquid semper residet, impingiturque parietib. tum renum, tum vesicæ, quæ successiuè ad maximam molem perueniunt, vt in matulis videre licet. Præterea in quolibet membro euacuando intentio perpetua medici est, vt illud corroboret, augeatq; vim, quâ Galenus tonum appellat, quæ vis seu tonus secundum magis & minus omnibus membris est necessaria, vt resistat extrinsecis, & proprias vires conseruet. Id autè fit rebus mediocriter astringētib. Ergo à diureticis cauere debemus, quæ omnia, quatenus diuretica sunt, vim habent aperiendi & attenuandi, non adstringendi. Præterea manifestum est, renes & vesicam, vbi semel aut bis afficiuntur, vt plurimum imbecilliores

reddi, & preparari ad nocumenta facile suscipienda. Quod inde apparet, quod qui semel aut bis calculum, vel retentionem aut difficultatē urinae perpessi sunt, vix possunt omni conatu praecavere, quin toto vitae curriculo non subijciantur iisdem. Certum autem est, quod ad loca imbecilliora in humano corpore semper propelluntur, decumbuntque; excrementa totius, ut Galenus 1 1 1. de naturalibus facultatibus dicit. Igitur non sunt aperiendi renes aut vesica, alioqui debiles in tempore suae sanitatis, aut praeparandi ad excrementa suscipienda: sed potius corroborandi, & adstringendi, ne facile recipiant nisi serositate tantum, quam naturaliter attrahunt. Praeterea autor de renum affectibus, in praeservatione sanitatis auertendos esse humores corporis asserit, per alium praecipue, ut scilicet (ut ipse ait) urinae clariores purioresque reddantur. Praeterea Nicolaus vir doctissimus, sermone v. tractatu 1 x. detestatur in tali praeservatione diureticorum usum, cum asserit ea renes debilitare, & ad superfluitates totius corporis suscipiendas disponere, & renes tanquam lacunam efficere. Vnde concipe (inquit) errorem communiter practici, & assidue utentium eis. Arculanus etiam in 1 x. ad Almanforem, cap. de ardore urinae, cum cognouisset diureticorum usum summopere nocere, experientia & ratione ductus, nesciretque quomodo Rasis & Auicennae auctoritatem saluaret aliter, non male distinxit diuretica, asserens leuioribus quidem nos interdum uti posse, a fortioribus tamen cauendum. Ex ijs igitur apparentibus rationibus in vtranque partem, oritur ambiguitas, quid magis credendum sit. Sed profecto viros doctos, & in medica arte eruditos, qui scire potius quam altercari student, ne sint tales, quales Petrarcha descripsit, Non di saper, ma
di con-

di contender vaghi, id est, qui sapere haud cupiunt, sed lites neſtere malunt, nulla impedit dubitatio: facile enim discernunt, quo tempore, & quibus competant, & quando prohiberi debeant. Ad sophisticas igitur molestias euitandas, distinguemus quæ ad rem pertinent, vt clara singularum rerum habeatur cognitio, quæ ad rectum vſum accommodetur. Primò ergo sciendum, diuretica cõmuniori ſignificatu ſumi poſſe pro quibuscunq; quæ quocunq; modo vrinæ copiam efficere poſſunt: & ſic omnia aquea, aut liquida, quæ tenuis ſubſtantix ſunt, diuretica appellant, inter quæ vinum præcipuè album, tenue, & pau- ciferrum eſt: habent enim à tenui ſubſtantia, quòd facile penetrent ad vaſa vrinaria: habent ab aquoſitate multa, & pauco ſucco ad alimentum idoneo, quòd copiam vrinæ faciant: nam & facile iſdem de cauſis ſeparantur à natura, & ad renes attrahuntur. Sub hoc etiam communi ſignificatu includuntur, quæcumque cum tenuitate ſubſtantix abſtergunt, & penetrant: hæc enim ijs qualitatis vias aperiunt, craſſioresq; humores modicè attenuant, & viſcidos abſtergunt, quæ omnia vrinæ copiam poterant interciperi. Et ſic ſemina melonum, gramen, adianton, hordeum, diuretica appellantur. Alio modo proprie ſumuntur diuretica pro ijs, quæ vim habent ſeparandi ſeroſitatem admixtam ſanguini, colliquando, incidendo, diſtinguendo, quæ omnia inuenta ſunt in eſſe. Et hæc ſunt modò tenuis admodum ſubſtantix, calida & ſicca in tertio, ſicut ſeſeli, daucus, anifum, ſceniculum, petroſelini ſemen: & de ijs expreſſe intellexit Galenus, non de alijs diureticis agens, v. de ſimplicib. medicamentis, cap. x i i. Sciendum ſecundò, renes & veſicam diſponi ad facile ſuſcipiendos afeſtus, vel vitio eſſentialiter in iſtis exiſtente, vt mala

complexione frigida, exempli gratia, aut calida, aut aliqua ex alijs octo, cum materia, vel sine materia: vel mala compositione, vt nimia viarum latitudine, aut angustia, aut obstructione impactorum humorũ, aut abcessu, aut scirrho, aut huiusmodi: vel vbi aliunde vitium emanarit, vt si in toto sanguine plurimus fuerit succus deprauatus bilis, vel pituita, vel alterius cuiuspiam humoris, vel à capite distillatio emanauerit, vel aliquid tale. Tertiò, aliud est conseruatio sanitatis, aliud præseruatio. conseruatio enim est, vbi remotis omnibus impedimentis corporis, tam complexionis, quàm compositionis, & continuitatis, totum studium nostrum est conseruare quod acquisimus, quod quidem fit cum ijs quæ custodiunt proprium calorẽ membri, propriam temperaturã, compositionem, continuitatem, & tonum. Præseruatio verò à timore vel cautela nõ separatur: videt enim semper aliquid imminens, proximumq; periculum. quæ adhuc duplex est, vel enim illud periculum iam actu in corpore est, vel iam proximũ est vt adsit. Primo modo, vel ibi est aliqua ex malis temperaturis, vel compositionibus, quæ actu quidem non faciunt ægritudinẽ, sed facturæ sunt. Secundo modo, quando nõ est quidem adhuc ita, sed iam præsens corpus est, vt in aliquid eorũ collabatur. His igitur ita prænotatis dicimus, in cõseruatione sanitatis illius qui in morbos renum, vel vesicę incidere consuevit, nullo modo conuenire diuretica, siue proprie dicta, siue improprie, nisi fortè quatenus alterant, & alterando corroborat: vt, exempli gratia, si quis esset frigidorum renum, vel vesicæ, conuenirent illi diuretica proprie dicta, non quatenus vrinam prouocant, sed quatenus calefaciunt: si verò haberet renes calidos, conuenirent illi diuretica frigida, vt semina me-
lonum,

lonum, cucurbitæ, quoniam alterarent sua frigiditate contrariam temperaturam. nec malè talia alterantia eligemus diuretica, quoniã promptius & facilius ad eas partes deferuntur. Vnde & Galenus decimo *liberâ rationis* cap. primo, admisceri iubet diuretica lenitiuis & emplasticis, non quia vt diuretica conueniant, sed vt conducant reliqua &c. Si verò ratione temperaturæ aggregarent humores crassos & viscidos, aut vias angustas haberent, conuenirent inter reliqua attenuantia diuretica communiter dicta liquida, & tenuia substantia, modicè calida, quale est vinum albū: & nō etiam hoc quatenus diureticum, sed quatenus alimentum tenue præbet, & facilè per vias angustas penetrat. In præseruatione verò sanitatis vel est præseruatio primo modo dicta, videlicet quando aliquid in corpore est præter naturam, non quidem faciens ægritudinem, sed iam facturum: & tunc vel illud est in renibus & vesica essentialiter, vt in secundo notato patuit, vel in alia parte corporis. Si in renibus & vesica, vel erit mala complexio cum materia, vel sine materia. Si sine materia, erit alteranda per oppositas qualitates, vt frigida cum calidis, calida cum frigidis, & sic de singulis: & tunc per accidens poterunt cōuenire diuretica, vt in præcedenti capite dictū est. Si verò fuerit cum materia, & illa materia erit calida, & ita conuenient diuretica frigida cōmuniter dicta, vt semina frigida nota. Si verò fuerit materia frigida, præsertim crassa aut viscosa, tunc maximè cōueniūt diuretica propriè dicta, non tamen semper, & quocunq; modo, sed vbi prius totum corpus purgatum fuerit, si in corpore fuerit suspicio multitudinis eiusdem humoris. Diuretica enim in hoc casu nō tantum præparant humores, sed etiam euacuant, vt testatur Galenus in primo sexti

Epid. Si verò fuerit vitium in compositione, vel viæ erunt nimis latæ, tunc sic nullo modo cõpetent diuretica, sed potius adstringétia: si verò viæ fuerint astrictæ, in hoc etiam casu nullo modo cõpetunt diuretica absolutè, sed per accidens, vt quæ generant tenues humores, vel crassos incidút: tale enim corpus humoribus indiget tenuibus, & bene concoctis, aliter renes facilè obstruunt. Si verò fuerint obstructiões viarum, certú est eas indigere aperientib. & incidentibus: & quoniam talia sunt pleraque diuretica, ideo hoc nomine diuretica conueniunt. At si renes & vesica nullo vitio laborét, sed propter humorum multitudinem, & nimiam potentiam membrorú expellentium, materias ad eas partes præcipitantium, nullo modo in eis cõueniunt diuretica, neq; per se, neq; per accidens: imò potius vtendú erit auertentibus, & purgantibus, vel per ventrem, vel per vomitum, vel per sudorem, aut vias alias magis paratas. Si verò præseruatio sumatur secundo modo, quando scilicet nullum vitium in corpore fuerit actu, corpus tamè ita se habeat vel paratum sit, vt ipsa vesica, & renes ex qualibet leui occasione incidere possint in huiusmodi affectus, tunc neq; in hoc casu vlllo pacto diuretica debét admitti quatenus diuretica sunt nisi ratione alicuius qualitatis, quæ membrú corroborare possit, vt in præcedenti capite diximus. His igitur ita vniuersaliter distinctis pro casu Magnifici & clarissimi Prætoris, suppono illum esse subiectum retentioni vrinæ, quæ fit propter crassos & viscosos humores collum vesicæ obstruentes, & impediètes transitum vrinæ, vt nos ita nunc experimento probauimus. Supponimus secundò istum Clarissimum & Magnificum virum habere sui morbi purissimam & longissimam interualla: purissima, quoniã in tempore
suæ

suæ sanitatis liberè admodum & copiosè mingit, vt
 ego notauì dum mingentem obseruarem: potius vt
 dubitandù sit ne vias nimis latas habeat, ratione qua
 rum facìle incidat aggregata in corpore materia vi-
 scosa, in huiusmodi affectu, dum scilicet ea materia
 facìle ad vias vesicæ prolabitur, neq; habet aliquid
 aliud accidès interim affligens siue ardoris, siue diffi-
 cultatis vrinæ. Suppono tertio, suam Magnificètiã
 non ita exquisitè viuere: sed licet non ingurgitet se
 sicut heluo, viuìt tamen nullù genus cibi aspernans,
 & nullum habens vinorù delectum. Quibus ita sup-
 positis, dico ex superius probatis, quòd si iste Cla-
 riss. vir actu iam ægrotauerit propter præsentia ma-
 teriei, vel si nõ ægrotabit, percipiat autem ex signis
 manifestis habere illum in vijs vrinæ aut vesicæ hu-
 mores crassos & viscosos, qui proximè iam facturi
 sunt accidès, expediet illi in hoc casu, euacuato pri-
 us toto corpore, & præsertim ventriculo & intesti-
 nis, vt per diuretica præparet, & euacuet illas mate-
 rias in renibus & vesica contentas. Vtrunq; enim ex
 diureticis fieri potest, vt diximus ex primo VI. Epid.
 & conueniētissimè euacuabimus per vrinam, quæ in
 vesica & renibus sunt, vt tertio Artis parua, cap. de
 causis præseruantib. Si verò nihil quidè humoris in
 illis partib. habuerit, sed in toto corpore sint, & con-
 tinuò aggregentur, maximè cauebimus à quocunq;
 diureticorù genere. Si verò corpus omnino mundù
 fuerit huius Clarissimiviri, neq; alia re indigeremus
 nisi pura cõseruatione, dico nullum profus conue-
 nire illi diureticù, quatenus diureticù: dico quate-
 nus diureticù, nam ego sæpe admonui suam Magnifi-
 centia, vt quàmmaximè euitaret quæcunq; crassos hu-
 mores generat, ac propterea inter cætera laudauì vi-
 num tenue, pauciferù, non quia vinum esset vrinam

prouocaturū: sed quia facile concoqueretur, distribueretur, tenuēq; alimētum generaret, imò & crassos humores attenuaret, quod in hoc Clarissimo viro maximè quærimus. In vsu verò sanitatis suspectū habeo summopere vinum album: nam plus æquo penetrat ad vrinæ meatus, & secū excrementa conducit. Tutius ergo est vinum tenue quidem, sed subrubrum, habet enim quod attenuet, & humores minimè crassos generet: sed nō quòd ita vrinas prouocet, & aperiat. Tota ergo vis in præseruando Clarissimum virum est, vt humores crassi minimè generentur, & si generati fuerint, per omnes potius vias educamus quàm per vrinas, per ventrem scilicet, & per vomitum, & per sudorem: facile enim per sudorem est euacuare, si cōgruè exerceatur, vt bene notauit, & optimè declarauit autor de renum affectibus, in capite de præseruatione. Si verò artificio cōcoquenda sint materię crassę, vtatur oxymelite, & omnibus incidentibus, & abstergentibus, quæ minimè excedant in vrinæ prouocatione. Quanto enim minus erunt diuretica, proculdubio tanto magis cōferent, nisi fortè, vt diximus, iam materiæ ad illas vias decubuerint: tunc enim postea diureticis educentur. Atque ijs declaratis iam apparet, quid ad argumenta in oppositum respondendum. Ad primum, in quo assumitur, diuretica aperire vias vrinæ, & incidere, & abluere, concedo, & propterea etiam conuenire, vbi scilicet materiæ fuerint in illis partibus cuiuscunque generis, vt arenulæ, calculi, pituita, sanguinis grumus, aut tale aliquid. Ad autoritatem Pauli & Auicennæ, & aliorum quorumcunq;, fatemur bene exhiberi, & in præseruatione conuenire, vbi scilicet aliquid residui materiæ fuerit in renibus & vesica, sicut ibi facit Paulus & Auicenna: educto enim calculo

culo iubent diuretica per aliquot dies pro præferua-
tione exhiberi, vt arenulæ, & pituita, quæ vt pluri-
mum relinquunt, excerni possint: & propterea Pau-
lus quidem iubet dari oxymel cum leui diuretico,
quale est gramen, aut adianton. leue dicit, quoniam
timet cum fortibus, ne nouæ materiæ præcipitetur:
dat tamen leue, vt oxymel facilius deducatur ad ab-
stergendum & incidendum, ita vt videatur vt diure-
ticis potius per accidens, quàm per se. Auicēna verò
præcipit per vices vtendum diureticis, ita vt paucis
aliquot diebus vtamur diureticis leuibus, vt scilicet
præparemus leuiter humores ibi existentes ad exi-
tum, nec novos attrahamus, postea semel tantum vi-
no impetu cum diuretico forti iam præparatos excu-
tiamus. Vbi expressè declarat Auicēna, quantum ti-
meat longum vsum diureticorum, & quando mate-
riæ actu in renibus sint. Ad autorem de renum affe-
ctibus, dicimus vinum album pauciferum exhiberi,
ne humores crassi, & ne bilis etiam generetur, quæ
sunt materia calculi. A vino autem crasso & nigro,
vtcunq; fieri potest, abstinendum.

*Consult. XCIII. De lassitudine ex labo-
re, pro mercatore Veneto.*



X quo manifestè patet ex historia lassitu-
dinem præcessisse hunc dolorem, ait e-
nim quòd cum in quadagesima præteri-
ta plurimum laborasset dorso, incidit in
lassitudinē longam, vnde dolor causatus est, qui do-
lor labor, à Græcis *πένος* dicitur. Sed *πένος* est affe-
ctus potius laboris, quàm labor, & sequitur ex defa-
tigatione: & sicut contingit hoc spontè fieri, ita quo-
que à causâ extrinseca: fiunt enim sæpe ijdem mor-
bi à causâ extrinseca, qui à causâ intrinseca fieri so-

lent. Cùm igitur soleant esse, & sint (vt tertio de sanitate tuenda dicit Galenus) tres lassitudines diuersæ, quæ indigent diuersa curatione, quædam vlcerosa, quædam extensiuæ, quædam apostemosa, vt ipse appellat, vnaquælibet istarum habet diuersas causas corporeas. Et quamuis à diuersis accidentibus extrinsecis fiant, sunt tamen semper eadem causæ coniunctæ proximæ. Vlcerosa fit propter humores acres erodentes, qui decurrunt ad locum læsum ex labore. Extensiuæ fit, dum flatus tendit ad musculos, & facit extensionem. Apostemosa composita est ex vtraque. Querendum est, quænam lassitudo ex his tribus sit in hoc viro. Ex quo perseverauit illud idem, quod factum est à causa extrinseca, primò dixerim non esse vlcerosam, quia non audio perpeffum esse corrosionem in loco, sed tantum grauitatē quandam circa dorsum, ita vt non possit erigi: videtur enim tanquam clauum infixum habere in dorso. Nec est apostemosa, nam illa est cum maxima caliditate, & cum extensione, quæ rarissimè contingit, & illam semper sequitur febris. Ergo cùm nec vlcerosa, nec apostemosa, relinquit quòd sit tensiuæ propter humores crassos, vt denotat morbus, & perseverantia ipsius doloris. Refert enim ipse dolorem esse grauatium, fixum, & permanentem in loco: refert etiam hæcenus eum ita perseverasse, licet variet secundum tempus. Credo igitur quòd ab ea causa primitiua, videlicet à labore & nimio exercitio contigerit idem, quod in lassitudine spontanea contingit, vbi multiplicantur humores siue acres, siue calidiores, siue frigidiores, qui tensionem faciunt, vel apostemosam, quæ est mixta. Quoniam ergo humores plurimi sunt in corpore, à quacunque leui causa mouetur, & faciunt lassitudinem. Contigit id in hoc ex nimio labore dorsum: licet

scilicet enim non adfit multitudo materiæ, nihilominus propter maximum dolorem relaxatæ sunt partes dorsi, arteriæ, & venæ, & nervi, & propterea incaluit membrû, & propter calorem apertæ sunt magis viæ: calor etiam attraxit, vnde materia defluxit, & ex ea causatus est dolor: nam non dicerem, quòd tanta esset materia frigida, quæ spontè defluxisset, sed contigit hoc violentè. Quòd non fuerit materia multa quæ potuerit hoc facere, habeo coniecturam satis rationabilè. Habet corpus hoc membra scilicet penitus præparata, vt minimè generent humores pituitosos. Habet hepar calidû, vt ex toto ambitu apparet, & quod potius calidos, quàm frigidos humores generet. Præterea nunquam conquestus est de ventriculo: videtur ergo ventriculus calidus. Nec de catarrhis conqueritur, & consequenter habet cerebrum calidum, quod nõ potuit generare humores frigidos, quâ tum ad naturalem dispositionem. Nihilominus patitur ægritudinè frigidam, propter materiã frigidam, quæ ægritudo nõ proportionatur suæ temperaturæ. Sed vnde cõtigit? Est mercator, vendit merces, manet in sua officina semper, & mala ratione victus vtiit. Potuit ergo cõtingere hoc tum ratione dispositionis corporis, tum ratione cibationis, præcipuè tẽpore quadragesimę, in qua vsus est cibarijs maximè generantibus humores crudos, qui dum habuissent occasionem à causa procatarrtica, & incaluisse dorsum, fecerunt morbum istum, de quo nunc conqueritur. Credo igitur defluxisse materiam frigidã ad locum à causis extrinsecis violenter, non ratione propriæ temperaturæ: nam propter malum victû, & artem quam exercet, generatus est humor, ex quo dolor. Nemini dubium est quòd materia defluens congregat in aliqua parte, & quòd ex

ea collectione fiunt duo: primò intemperies, quæ est frigida: secundò materia defluxa, quæ si frigida fuerit, refrigerabit locum: si calida, calefaciet. & itidem de passiuis dicendum. Vnde generatur intemperies in membro secundum affluxum materiæ. Materia frigida est, vt apparet ex dolore, & perseuerantia longa doloris: iam enim est annus, & tamen resolutus non est ex aliqua parte, imò augetur potius. Materia frigida & viscida est, ergo probabile quòd impresserit talem intemperiem in membro, ad quod defluxit. Secundò, dum materia ibi colligitur in neruis, musculis, & locis angustis, extenditur & flatuatur, & ex tali extensione causatur dolor. Istæ sunt duæ causæ doloris propriæ, vt altera possit inducere dolorem sine altera, vt rectè est interpretatus Auicenna sententiam Galeni, licet importunus Auerrois malè intelligat Galenum, vtitur enim æquiocatione. Ex intemperie ergo primò causatur dolor: ex tensione, & solutione continui causatur dolor: ergo si vtrunq; conuenit, & dominatur hoc & illud, fit acutior dolor. Ergo crediderim quòd materia genuit intemperie: & probabile est (loquor de materia fluxa) quòd materia affecerit locū eadem intemperie, qualis ipsa est. Ideo non percipitur amplius dolor, quia æqualiter facta est intemperies in loco: & illud euenit (quod diximus in lectionibus de phrenitide) propter humorē biliosum existētem in capite, quando æqualiter occupat totum cerebrum, cerebrum non percipit amplius nocumentum, quia factum est tanquam heciticū: ita contingit in membro, vbi perseuerauit diutius humor: facit enim membrum tanquam heciticum, vt æqualiter per totum membrū inducatur qualitas secundū naturā humoris. Et ideo non percipit dolorē, nisi quando flatuatur materia
 propter

propter extensionē, & solutionem cōtinui, cū non possit percipere dolorē propter illam intemperiem habituatam. Hic adest intemperies permanens frigida, & materia suis temporibus flatuata & extensa: ergo secundū varietatem temporum dolor efficitur. Ista est ægritudo, ex qua sequitur, quòd locus est factus imbecillior, & tandem istę dispositiones permanentes: factus autem est imbecillus propter intemperiem frigidam & humidam, qua intemperie inducta necessarium est, vt existente corpore tali, vbi semel est facta illa occasio, defluant postea humores, qui aggregantur in corpore, ad illam partē, qui humores sunt necessariò pituitosi. Ex imbecillitate prætere loci, & intemperie, datur occasio noui defluxus, ita vt iam partim materia fluxerit, & fecerit morbum, partim fluat, & faciat morbum, & partim factura sit. Oportet ergo ista omnia distinguere rectè, pro recta curatione. De materia quæ fluit, dico quòd non est vniformis, sed talis, qualis natura cibariorum, ex quibus præcipuè in corpore calido probabile est, quòd generentur humores calidiores, & descendant ad partē debiliore. Eadem ratio est de humorib. fluxuris. Hactenus habuimus, qui sit ille morbus, à quibus causis dependeat, & vtrum sit factus, an fiat, vel partim factus sit, & fiat, vel futurus sit. Dicamus modo de accidentibus. Dicit quòd in tempore hyemis & æstatis melius se habet, quàm in vere & autumnno. Vnde causatur ista diuersitas? Stante illo humore pituitoso, certum est quòd non generatur dolor, nisi quando flatuatur & extenditur humor pituitosus; & hoc fit in temporibus medijs, in vere & in autumnno: in hyeme quiescit, quia tunc materia non flatuatur, quæ excitet dolorem: in æstate tantum resoluitur, quantum flatuatur: in tempore medio flatuatur,

quia attenuatur & colliquatur humor, & nō potest resolui: aptus enim est vt colliquetur, sed non resoluitur. Vnde dolor maior causatur in tēporibus medijs, quā in temporibus calidioribus vel frigidioribus, propter causas iam dictas. Quæritur an humores biliosi præter pituitosos adsint? Possunt adesse, nihilominus est pituita à prædominio. Non tamen negarim etiam adesse plurimum debile, propter temperaturam suam naturalem, & de sanguine, licet sanguis sit parcior. Est dicendum de loco affecto. Cū dicat se dolere circa vltimas vertebrae colli & dorsif, dico ex sententia Auicennæ, vbi dolor, ibi ægritudo. Est ergo credendum, quòd ibi sit circa illas partes materia impacta, & propterea credo breuiter humorem esse, vbi dolor est, & in profundo, quia non audimus quòd extrà appareat tumor ad tactum: sed interius percipitur dolor circa ossa & neruos, qui proximè deueniunt ad vertebrae. Vtrum in perioftio? Credo potius esse in vertebrae, quia consentit totum crus, & coxa: non posset hoc fieri, si in perioftio esset, tantū enim doleret in ea parte. Si in musculis, læderentur illæ partes quæ mouentur à musculis: sed cū sentiat totū crus, & muscoli illi non moueant crus, qui sunt affecti, credendum est quòd nerui vigesimæ secundæ vertebrae sint læsi, & dolorem patiantur, & ita per cōsensum causent dolorem in mouendo crure. Quia verò materia viscida & crassa est infixæ in parte frigida & priuata calore, nemini dubium est quòd tum ex parte materiae, tum ex parte loci curatio erit difficilis. Materia enim quæ crassa est, non facile concoquitur, & expellitur: vbi postea est in membro frigido & exangui infiltrata, quia non habet rationem concoquendi, longè difficilior tollitur. Præterea si membrū non habeat meatus

tus apertos & vias, sed sit densum, & compactum, difficilior adhuc est curatio: vt si adhuc materia est in profundo, cui difficulter possint applicari remedia, sequitur etiam ratione situs difficultas curationis. Ergo tum ratione situs & compositionis, tum ratione materiæ, erit difficilis curatio, & longa, vt quotidiana experientia videmus. Quòd si etiam ratio societatis accesserit, & membri affecti cum alijs membris mandantibus sit consensus aliquis, tantò difficilior est adhuc curatio. Cùm ergo laborent huiuscemodi nerui existentes circa vertebrae, & cerebrum sit aptum ad hoc vt multiplicet catarrhum & pituitam, siue vt Græci dicunt, blennâ, siue mucum, magis & minus ratione temperaturæ: cerebrū enim suapte natura est frigidum, quod ascendentibus vaporibus plurimam materiam generat: vnde cùm in partibus superioribus generetur pituita, cōsensusq; magnus sit, propter talem consensum membrorum superiorū cum spondylis sit, quòd continuè descendat materia, & foueatur augeatúrque morbus, & ideo sit difficilior curatio. Quòd si accesserit ætas senilis, facilius quidem corripietur à catarrhis: sed difficilius tamen curabitur propter imbecillitatem caloris cōcoquentis, vt Galenus testatur in aphorismo: Bronchi & coryzæ in valde senibus cōctionem non admittunt. Tot sunt rationes, quare curatio nobis difficilis erit. In curatione non debemus discedere à natura morbi. Morbus iste partim est factus, partim futurus: vtrique debet curatio, sed diuersa. Quantum ad factum, debemus remouere intemperie frigidam & humidam, & ita confortare locum. Materia impacta frigida est, quæ est causa propinqua, & continetur in morbo. Sunt causæ aliæ, est materia continuè affluens, & est materia fluxura. Quid debemus

facere? Incipiendum est à causa coniuncta, quia adfert indicationes curandi. Materia fluxura habet rationem primæ causæ antecedentis, & non est in parte, sed in toto: quandoq; enim materia excrementosa est in toto corpore, quæ habet rationem illius causæ, quæ vbi commodos habet meatus, defluit ad locum imbecillem. Ergo primò euacuanda est materia factura morbū: vnde breuiter euacuarem totum corpus, & redundantes humores, qui in corpore generantur. Hoc corpus est calidum & siccum, ergo multiplicat humores calidos & siccos, & sanguinè cholericum: redundat ergo bilis & melancholia, sed minus postea secundū proportionem de sanguine malo generatur, quàm de bile, & de melancholia. Igitur cum velimus euacuare, debemus respicere ad redundantes humores. Sed quia etiam adest aliquid de pituita, dico quòd euacuandū est de omnibus humoribus. Lenita igitur prius aluo, extrahendus est sanguis, nō dixerim ratione magnitudinis morbi, quia extensiuè morbus iste nō est magnus, nec intensiuè, sed propter futurum morbum vellem quòd caueret omnino ab omnibus excrementis: ita crediderim esse mundandū totum corpus. Mittatur sanguis à basilica, non tantūm ratione diuersionis, sed euacuationis, quia non est maior diuersio à brachio, quàm à pede, vt dicebat Galenus sexto Epid. qui vbi egritudines sunt intra hepar, circa diuersionē ambigit, primo cōmento, loquens de affectibus renum. Et sic æqualiter possumus facere diuersionem, vel à pede, vel à brachio: sed eligerem brachium, quia magis euacuaretur sanguis, propter basilicam magis respicientem fontem, quàm ex saphena. Tales curarem syrupos cōficiendos, vt sanguis redderet bonus. Non dimitterē syrupum de cichorea Nicolī sine rhabarbaro,

baro, qui habet aliquã vim incidendi humores cras-
 sos, & adæquandi. Haberem etiam aliquid oxymeli-
 tis, propter adæquationem, & incisionem. Postea ha-
 berem decocta ex betonica, iua, saluia, boragine, &
 reliquis, propter intemperiem calidam hepatis. Po-
 stea deuenirem ad euacuationẽ materiæ: deinde ac-
 cederem ad materiam quæ defluit, quæ debet diuer-
 ti, ne defluat. Et licet quando erit euacuatum totum
 corpus, nõ fluet amplius, nihilominus laudo vt con-
 fortetur corpus faciendo ablutiones capitis. Deue-
 nirem postea ad morbum factum, qui curatur deriu-
 atione, & euacuatione. Et in hoc casu, sicut consueui-
 mus, debemus facere deriuationem prope locum af-
 fectum: & deriuationes optime sunt in hoc casu per
 clysteres acutissimos, qui deriuant materiam à lo-
 co, propter vicinitatem loci. Fierent clysteres cum
 decocto centaureæ, & aliarum herbarum, quæ pos-
 sunt habere abstersionem, vt anethum, camomilla,
 & alia huiusmodi. Apponerẽ hieram picram Logo-
 dij, Hermetis, quoniam acrius purgabunt humores.
 Hæc breuius dico tantũmodo pro forma medendi.
 Postea facta ista deriuatione per clysteres acutos, o-
 portet, si aliquid residuum erit materiæ, deuenire ad
 ea quæ mundificant locum: non dico de repercussio-
 nis, quæ non conueniunt in morbo factõ, sed in futu-
 ro. Ergo euacuarem à loco affecto, vbi vtitur Gale-
 nus his, quæ solent inducere vlcus in locum. Facta
 ergo prius diligenti euacuatione, facerem scarifica-
 tionem, vel adhiberem etiam cerata. Præterea si ali-
 quid perseveraret doloris, & accederet tẽpus Maij,
 non displiceret si acciperet aquas thermarum, & ab-
 lueret se in istis: & etiam acciperet per potum, quia
 locus ex aluminosis aquis confortaretur, & aliquid
 etiam resolveretur: habent enim calcem & alumen

ista balnea. Postea his omnib. ritè peractis, quantum ad præseruationem, facerem cauteria ex opposito loco, ne materia flueret amplius. Placeret terebinthina, qua diuerteretur materia per aluum. Utatur acoro, & tandem ea accipiat quæ possunt corroborare partes neruosas, & si quid est impactum resoluerè, si accesserint ad partes istas. Hæc satis sint dicta. Parauij. M. D. L.

*Consult. XC V. De dolore genu obtuso ex destillatio-
ne pituitæ à capite, pro Magnifico Veneto.*



Num considero rectè considerandum, quòd iste Magnificus vir est calidæ temperaturæ hepatis & cerebri, ventriculi etiã non omnino frigidi, sed frigidiusculi. Cùm ergo ab ortu suo habuerit calidum hepar & cerebrum, & nunc appareat dominium frigiditatis, & patiatür frigidã dispositionẽ à pituita, vt ab ex-
untibus apparet, & à multitudine humoris pituitosi, iudicandum est non esse caliditatem illam naturalem in capite. Cùm ergo fuerit lapsus talis à propria natura, ideo fortè non erit ita facilè tollendus: quia cùm ægritudines contingunt præter propriam temperaturam, maior erit lapsus, quàm si contingant similes propriæ temperaturæ. Ideo si frigida temperatura à frigida ægritudine occupatur, minor erit lapsus, quàm si calida ægritudine affligeretur. Si ergo cerebrum fuerit naturaliter calidum, & nunc frigidam patiatür ægritudinẽ, maior est lapsus: ideo diligenti cura est curandus. Circaq; symptomata, primò conquerit de dolore obtuso occupante vtrunq; genu, maximè sinistrum: & dicit ita leuem esse, ac si pungeretur digitus, & leuiter suppuraretur, & leuis dolor perciperetur, cùm tamen clamosi soleant esse: & licet

& licet multa materia descendat ad locum, & impediat motum, nihilominus non dolet, nisi moueatur. Iste est modus doloris. In descensu autem materiae percipit in motu illo frigiditatem: cum verò figitur, non. Conqueritur praeterea quòd non potest liberè mouere caput, & cum ascendit cymbam, videtur quòd nauseam habeat, ac si fluctuaret in mari: & omnino conqueritur de debilitate capitis. Probabile est illam destillationem, quia omnia referuntur ad destillationem, à capite prouenire: & cum aliqua calida, aliqua frigida, aliqua crassa, aliqua tenuis sit, pro modo doloris, & pro modo descensus, credo quòd ista sit tenuis cum insigni humiditate: in actiuis verò credo quòd nò sit multum frigida, nec calida. Et quòd nò sit calida, patet, quia percipit frigiditatem aliquam. Non est etiam frigida admodum, quia frigiditas facit dolorem: quia Galenus dicebat in quarto de simplici medicina, declarans illud Hippocratis dictum, Frigidum vlcerebus mordax, quòd frigidum soluit continuum. Et in sexto de locis affectis, & in secundo etiam inquit, ex humore frigidus pituitoso fieri atrocissimos dolores, vt videretur perforari locus, vt in colico, & podagra: iste autem Magnus vir est sine dolore, licet multà habeat materiã. Si igitur excedit, excedit per frigidũ, & ita materia destillans humida fit & frigidiuscula, non tamen admodum frigida videtur. Ex colore barbæ pilorum, est calidi cerebri à natura: ideo nò potest deduci ad tantum lapsus, ni fuerit admodum frigidum. Nec est multus lapsus, quia non patitur nocuentũ ex hyeme hic, & melius se habet in estate aliquantulũ. Ideo non est hic tanta frigiditas, quia tẽpore hyemis, qui habent frigidũ caput, læduntur. Est ergo destillationis causa, frigiditas capitis, nò tamen multa. Fuit au-

tem acquisita, vel quia decubuit in loco illo frigido & humido, vel quia in aëre frigido versatus sit, vt incideret in lapsum, & in vapores ascendentes ad caput, sicut fumus ad caminum, qui inuenientes cerebrum seipso debilius redditū, non resoluuntur: nec cerebrum ita conficit alimentū sibi delatum, vt conuenit. Ideo humores illi in capite aggregati descendunt à virtute expultrice propulsi per spōdylos colli, per guttur, fauces, per viam vētriculi, sed maximè per nervos à vertebra deductos ad iuncturas decurrit tanquam ad partes debiles: & quia à natura institutum est, vt alterum membrum recipiat excrementa alterius, requiritur vt debilius sit, quia ita à natura factum est, vt fortiores partes transmittant superfluitates suas ad imbecilles: extremæ autem partes imbecilliores sunt, quoniã distant à fonte caloris & ab hepate, & sunt paratę destillationib. frigidis: quia sicuti humores frigidi sunt parati ad partes inferiores descendere, ita calidi ad superiores. Habet pretereas vias latas, quia ab ortu habet dominium caliditatis cum siccitate, quę vbi est suę siccitati coniuncta, aperit vias, & propterea cū habeat latitudinē viarum, & imbecillitatem crurum, non est mirum si destillatio deuenit ad crura. Ideo lapsus ex mala ratione victus generatus est in cerebro, & generauit humores illos frigidos, qui ita generati per periodos, sicut fieri solet in omnibus superfluitatibus, decurrunt ad loca illa extrema. Et hanc credo esse causam omnium symptomatū, & quòd tota origo sit in capite. Quòd etiam humiditas sit in capite, patet ex hoc, quia balbus est: & Galenus super illo aphorismo Hippocratis, Balbi diarrhœa corripitūtur, reddit huius rationem, quia humidi capitis sunt. Cū igitur talis sit causa, & talis lapsus, & caput taliter præparatum

paratū sit, patet quid de præfagio sit dicendum. Curabitur quidem: sed cauere debet, ne incurrat in malum regimen victus, quia habet præparationem naturalem, & lapsum habet in capite: ideo debet diligenter curari, & cū curatus fuerit, conseruare sanitatē, quia incideret in eandem, & fortè deteriorem ægritudinem, puta in podagrā, in paralyfin, descendēte multa materia per neruos & musculos ad iūcturas: ideo cauere debet, cū erit sanus. Cum quibus autē instrumentis? Bene hoc corpus debet euacuari, quia vbi sunt humores destillantes, à capite maxime, quia à leui qualibet causā vacillant, hoc non est nisi ratione vaporū & materiæ in capite aggregatæ: ideo corrigendi sunt humores & sanguis, & tota massa humoralis à superfluitatibus purgari debet. Euacuantia autem erunt agaricum maxime, quia trahit humores crassos & pituitosos. Ideo agaricū vel sub forma pilularum, vel temperatum, sicut electuarium aliquod, aut cassia cum agarico, & pro minoratiuo cassiam cum hiera simplici, bonum sit accipere. Sed cū voluerimus exquisitius purgare, loco hieræ simplicis poterimus ponere agaricum. Ideo vel cum cassia, vel cum rhabarbaro poterit euacuatio fieri. Talia ergo erunt genera medicinarū: nec pertransirem agaricū. Digerentia erunt, syrupus de betonica, vel de stœchade simplici, cum portione oxymellis simplicis, vel syrupi acetosi, vt transitum maiorem haberet, cum decocto betonicæ, endiuix, cichoreæ, vt habeatur ratio hepatis. Et ita factis mundificationib. si verū est quòd caput habeat lapsum, si volumus remouere lapsum, oportet euacuare ipsum per loca propria. Et ideo masticatoria adhiberē, cum mastiche, staphisagria, pipere, vel cum alio tali: caput purgiū per nares cum succo maioranæ, betæ, vel sue

co maioranæ, betæ, vel succo cyclamini. Masticare etiam radices capparum, ad extrahendam pituitam à capite, optimum est. Factis deriuationibus, corroborabitur caput cum puluisculis singulis diebus, & quando vadit dormitum, ex mace, garyophyllis, maiorana, ocimo, & cum alijs odoratis, quæ habent vim exiccandi pituitam. Pro remotione autè caloris, qui est in istis puluisculis, rosas, sandaracham, quæ exiccant & refrigerant, cômiscerem, & super caput ponerem, postea superponerè pileum supra: & ita corroborarem caput cum illo tenui puluisculo, & in hora vespertina curarè caput, nec amplius discederet à domo. Et facerè lixiuuiū corroboratiuū dulce, primò nõ ex cinere ex quercu, nec ex fortitudine illarū rerum in quibus est aliquid adstringendi, & vis aduendi, ex qua adustione adstringantur pori. Et ideo asarum acciperem, & baccharā, fenam, polypodium, camomillam, stœchadem, cum maiorana & iride, & ex ijs facerem lixiuium. Et fieret sapo ex garyophyllis, mace, cinnamomo: & musci aliquid, & ambre adderem, pro barba & capillis, & confortabit. & istud fit pro sapone. Aliqui etiam ponunt frustum agarici in lixiuio, & quando abluitur caput, loco saponis utuntur illo, quia habet vim quandā extrahendi: imò si ponatur supra locum podagræ, tunc fit euacuatio pituitæ: cur non fiet etiam si in capite ponatur? Præterea electuaria pro corroboratione requirerentur, & maximè myrobalani chebuli cõditi, non tamen Venetijs cõditi cum illis aquis malis. Ideo si haberi possent ex India confecti, laudarè illos summo opere, sunt enim confecti cum syrupo de carobolis vulgò dictis, id est, ceratijs seu filiquis, & nõ calefaciūt. Theriaca aliquando & Mithridatū conueniret: zucarum autem rosatum inter omnia erit præstantissimum.

simum. Circa victū, à coitu, ab exercitio post cibum caueat: non ambulet in sole: austrum & boreā vitet: à loco humido caueat: non dormiat in meridie, & habitet in cubiculo versus Orientem: & circa cibos, sit contentus cibus vnus generis. Quo ad carnes, vitulina, hœdina, pullorū, auium montanarū, & oua forbilia conuenientissima sunt: oua tamen cocta sint in aqua, vel igne: à butyro autem cum ouis cauendum est. Pisces nescio qui conuenirēt, quia omnes ferè capiuntur prope magnificam hanc ciuitatem. Mihi placeret lucius, laudare etiam auratas Istrianas, mullo-barbatas, id est, barboni. Faciatque exercitia conuenientia. His omnibus peractis corroborationibus, & reliquis iam dictis, quia propositum fuit balneū, laudo illud: & cum habeat cerebrū calidum, lapsum ad frigidum, non valet ratio Galeni v. i. de tuenda sanitate, qui vituperat balnea vbi sit distillatio. Loquitur Galenus de intemperie calida & sicca: sed cum in casu nostro lapsus sit ad frigidum, ideo conuenient, quia deducerent ad veram temperaturam cerebrum: & non alterabitur, quia à simili non fit alteratio. Duciam præterea accipere poterit. Et ante omnia, factis istis omnib. si remaneret debilitas aliqua in cruribus, ponere poterit Magnificentia Vestra in crura in luto: & postremò facerem fontanellam in crure. Et hæc erant nobis recensenda pro salute Magnificentiae vestrae.

Consult. XCVI. De tumore in utroq; genu, pro domino Georgio Freidel Germano.



Inmore existente in utroq; genu Nobilis viri maturè considerato, tum ex his quæ præcesserūt, tum ex his quæ subsequunt, credo materiā eiusnō esse vnā,

sed difformē. Quantū enim attinet ad partem extrinsecam, durities quædam solidior tactui apparet, quæ tactui non cedit, ita ut foueam aliquandō relinquat: pars verò interior ita intumescit, ut tangenti sensus manifestissimus flatus cuiusdā crassi appareat, atq; hîc quoq; nulla fouea cōprimenti relinquatur: quod proprium inseparabileq; signum est tumoris à pituita dependentis, qui œdema appellat̃. Ergo tumor extrinsecus, ex quo œdema nullo pacto appellari potest, abscessus frigidus ad aliquam duritiem vergens est dicendus. Sed cū durities vel scirrhus, sit vel à materia melancholica, vel pituitosa, probabile est pendere potius à succo melancholico: & coniectura est venarū ille tumor varicosus in totius cruris longitudine circa eandem partem extrinsecus apparens: non enim dubitandum est eandem materiam esse illius tumoris, quæ in venis adiacētibus apparet. Nec obstat q̃ in superficie non appareat nigredo, quod signum, autore Galeno, distinguit inter duritiem melancholicam & pituitosam. Cū enim humor sit infra cutim, colorem abscessus videre non possumus: neq; enim cutis transparentis est. Ergo cutis color naturalis percipitur, & non ipsius abscessus. De tumore verò alio in parte intrinseca incipiente, paulò supra genu longè magis protuberante quàm in extrinseca, sicut nō est dubitandum pendere à materia vel vapore crasso flatulento, ita non satis constat vtrum in profundo sit materia melancholica vel pituitosa, vnde huiusmodi flatus exoriat̃. Sed quod magis probabile est, videtur in neutro loco materia esse absolute simplex, sed melancholiam pituitæ quoq; commisceri, præcipuè quoniam rarò contingit alterum humorem dignosci posse sine altero: huiusmodi autem humores in vno corpore dominari, multis con-

iectu-

iefturis haberi potest. Et sic cùm temperatura huius nobilissimi viri calida fuerit & biliosa, iamq; ad declinantē etatem accedat, non mirum si humores melancholici multiplicentur diminuto calore, vt cum alijs quoque talibus fieri contingit. quòd si calor naturalis diminuitur, quantùm per adulterinum multiplicatur melancholia, tantùm per cruditatem pituita. Sed huc quoque accessit cogitatio superflua, asidue enim cogitat, perpetuum scribendi studium, & otium corporis magnū, quæ omnia vbi simul conueniunt, duo simul faciunt: corpus enim exiccant, & calidos humores adurunt, præterea cruditatem ventriculi, cerebriq; destillationes plurimas gignunt. At si his quoque addatur in cibo & potu pessima ratio, ita vt varijs cibarijs & computationibus potentissimi vini vacatum fuerit, nulla postea causa deest ad hoc vt duo illi humores dicti multiplicent. Omnia autem cõuenisse in hoc uobili viro, ipso etiam referente & attestante, compertum habemus. Non dubitamus igitur huiusmodi causas esse tumorum præter naturā in utroq; genu existentium. Sunt autem huiusmodi tumores sine dolore, cùm neque faciant tensionem, neq; alia insigni qualitate actiua præditi sint. Et cùm ab his duabus causis dolores proueniāt, non est mirum si dolor non adsit. Motus crurum impeditur, cùm muscoli & principia chordarū finesq; ita impediuntur, vt ad debitum terminum neq; contrahi, neque distendi possint: & cùm motus crurum fiat ex cõtractione & dilatatione oppositorum musculorum, ideo non ab re huiusmodi tumoribus impeditur. Verùm fiunt varicosi, propter melancholici humoris redundantiam, ad partem imbecillio rem per venas expulsi. Vtrum autem huiusmodi morbus sit ad articulare referendus, non est admodum di-

sputare necessariū: fat enim est scire locum affectum, & eius naturā simul cum sua intemperie, & mala cōpositione, & proprijs causis: non enim curamus nomina, sed affectus. His igit̃ ita stantibus, dicimus hūc nobilem virū pro sua curatione indigere summa, assidua & longa diligentia: neque enim facilē curabitur, sicut ego arbitror. Humores enim crassi & frigidi, in loco etiam frigido & profundo inculcati pertinaciter adhærentes, non ita facilē concoquentur & expellentur. Ac præterea notandum fomentū quotidianum & incrementū. Cuius signum est satis evidens, quòd vespertinis horis semper augentur tumores: neq; enim hoc esset nisi noua materia deflueret. Oportet igitur vt nobilis iste vir cognoscēs statum suum & naturam suā ægritudinis, adhibeat perseuerantiam, patientiam, & obedientiam: deberetq; constantissimè medicorū præceptis parère, alioqui non curabitur omnino, imò in peiores decidet ægritudines. Proponantur ergo quæ agenda sunt, postea sua prudentia & fortitudine animi exequat̃, & tandem optatam sanitatē assequetur. Principiò in victus ratione potissima cura adhibēda est: in omnibus enim longis & pertinacibus morbis, nihil efficacius, nihil præstantius, quàm optima victus ratio. Non tantum igitur Dominatio sua in cibo & potu studebit modum sibi præscribi, sed in reliquis quoque causis omnibus corpus humanum alterantibus. Et quoniā aër est primus qui occurrit, omni ingenio cauebit ne occurrat aëri nubiloso & turbido: neq; habitet in cubiculo aut obscuro aut boreali flatui exposto, aut humido & terreno: neq; dormiat fenestris apertis, aut ablatis operimentis, sicut in æstate fieri cōsuevit. Euitabit etiam nocturnum aërem, neque vento se exponat tam australi quàm boreali. Inter omnia euita-

bit omnes animi molestias, assiduas cogitationes, scribendi consuetudinē præcipuè post cœnam & prandiu: neq; legat, aut aliquo modo intendat animum in aliquam rem. Sed nunquam repleto ventre exercebit corpus. quiescet ergo sumpto cibo tam animo quàm corpore, & cum amicis iucundis versabit, aut leniter ambulabit per cubiculum, vel stabit erectus, ut cibus melius ad fundū ventriculi descendat. Horis verò matutinis, & hora vna ante cœnam exercebit corpus exercitio moderato, ut superiores partes quàm maximè exerceantur, inferioribus verò & cruribus nõ adeò laborantibus. Multiq; consulerunt, ut homo in huiusmodi casibus iaculando vel arcu se exerceat: alij consueuerunt uti plumbeis pilis, quarum singulę pendant circa libras duas, quę manibus contineantur, & cum his pondera agitentur, manibus supra infra & secundum omnem situm, vsque ad manifestam mutationem anhelitus, & ad erumpentem sudorem. Ex hoc enim sic habetur conueniens exercitatio corporis, & caloris naturalis excitatio, excrementorūq; diffusio, ac præterea diuersio, eorumq; excrementorum ab inferioribus ad superiora traductio, quod etiã maximè hoc loco quærendū est. Ad hunc eundē vsū maximè pertinent frictions, quæ quotidie fiant in superioribus partibus. circa dorsum, brachia, & pectus, manibus illitis oleo anethino & camomelino. Sunt autē hæc omnia non vna aut altera septimana peragēda, sed pluribus subinde diebus, fortè etiã mensibus. si utilitas sit inde percipiēda. Morbus enim natura chronicus est & pertinacissimus, neq; pauco tēpore curari potest, quod quidem nobili huic viro semper in animo fixum esse oportet, vide licet ne credat se breui tempore euasurū, sed perquã longa perseuerantia esse vtendū sibi persuadeat, alio-

quin seipsum decipiet, vel medicorū remedia vana erunt. Nocturno quidē somno prolixior utetur, mallemq; ipsum dormire saltē per octo horas: sed interdū somnū tanquā pestē euitabit. Procurabitq; ut quotidianas alui excretiones habeat, laudauerimq; ut tum pro alui mollitione, tum pro euacuatione & auersione humorum per aluum excretorū, tum etiam ad obstructiones apēriendas, ad membra naturalia ac caput corroborandum, saltē bis singulis septimanis vteretur pilulis tribus pondere drachmæ, vel scrupulorū trium, horis tribus ante prandium, quæ haberent:

℞. Resinæ terebinthinæ Cypriæ	℥ iij.
Rhabarbari optimi	℥ j.
Garyophyllorum	℥ ij.

Puluerizentur puluerizanda, & omnia misceantur, & seruentur ad vsū. Inter omnia studebit ut semper vnico & simplici cibo contentus sit: nihil enim detestabilius, quā ciborum multitudo & varietas. Parcē etiam comedat, & citra satietatem: sed longē parcius bibet, cauebitq; tanquam à re pernicioſa, à quolibet vino potenti, sed præcipuē nigro & dulci. Cauebit etiam à comotationibus, neque bibet intra prandiū & cœnā. Cibos eligat facilis concoctionis & boni nutrimenti, qui apud omēs notissimi sunt, sicut caro hœdina, pullorum iuuenum, vituli lactentis: sed meo iudicio cauebit à piscibus, præsertim Venetijs. oua sorbilia recentia maximē congruunt. Fercula ex farre, hordeo, spelta, beta etiam cum boragine, buglossa & petroselino, non negantur: conceditur etiam lactuca, si parcē comedatur: nec omnino sunt detestandi asparagi, præcipuē dulces, & hortenses. Cauebit à caseo tam recenti quā antiquo, & ab omnibus lacticijs, à carnibus antiquis & salicis, à

legu-

leguminibus, à rebus frictis in fartagine. Parcius coe-
nabit quàm prandebit: sed & prandium erit modera-
tum. Non ibit cubitum nisi per duas horas post ci-
bum, & si poterit vel leniter deambulet, vel erectus
maneat, citra tamen defatigationē. Hęc diligentissi-
mè sunt obseruanda, non vno aut altero mense tan-
tùm, sed per plurimum temporis, alioqui non tan-
tùm non sanaretur, sed etiam in deteriores disposi-
tiones prolaberetur. Sed præter hanc viuendi ra-
tionē, erit etiam ad reliqua medicinalia remedia ac-
cedendum, interq; illa præcipuè cōsulo vt bis in an-
no purgetur, vere inquam & autumno. Purgatioque
hoc modo esse poterit:

℞. Floris cassiæ ʒ x.

Specierum hieræ simplicis ʒ ij.

Cum zuccharo fiat bolus, sumat tribus horis ante
prandium. Item

℞. Syrupi de cichorea Nicoli sine rheubar.

Oxymellis simplicis ana ʒ j.

Decoctionis Cetrach Liquiritiæ

Capillorum Veneris, in aqua buglossæ
destillatæ ana ʒ iiij.

Misce pro vno syrupo, & sic pro alijs vsq; ad septem
vel nouem. Sed vbi acceperit duos primos syrupos
in purgatione veris tantùm, mittetur sanguis ex ba-
silica dextri lateris vsque ad vncias octo. Postea ac-
ceptis nouem omnibus syrups, accipiat pharmacū,
quod erit tale:

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Oxymellis scillitici ʒ ij.

Cum decocto cetrach & polypodij fiat potus bre-
uis: sumat in aurora cum custodia. Facta euacuatio-
ne veris, abstinebit ab omni pharmaco vsque ad au-
tumnū, præter illam tantùm terebinthinā, vel pilulas

ex terebinthina, de quibus suprà locuti sumus. Vtetur tantùm nõnullis gratis & iucundis cõfectionib. ad membra contemperanda, sicut est huiusmodi:

℞. Zucchari rosacei

Boraginati

Violati ana $\frac{3}{4}$ ij.

Misce, & ponant in vase mundo vitreo, & deaurentur. Et ex hoc electuario sumat semunciã tribus horis ante prandium. Quandoq; etiam loco istius electuarij sumat myrobalanum conditã chebulam, vel belliricam, vel emblicam. Sed quæ attinent ad ipsa loca, hoc est, ad genua localiter medicanda, non hic describimus in præfenti tempore, quoniã longè melius est vt S. D. purgetur primò, deinde per multos dies perseueret in vita instituta, & in omnibus his quæ admonuimus. Nam facilè potest contingere, vt inde curet absq; aliqua molestia circa genua, à quibus quantum possumus, abstinere debemus. Nam nihil est quod magis debilitet iúcturas, & præparet ipsas ad omnem defluxum recipiendum, quàm fomentare, inungere & linire. Sed si oportebit, & nos post aliquot menses admonebit, procurabimus vt id quoque quãmaximè tutò fiat. Vnum hìc non omittam: quòd si perfecta purgatione huius veris, quemadmodum ordinauimus, vellet huc accedere, & accipere aquas thermarum nostrarum, & in illis etiam fouere crura, fore illi vtilissimum. Vnde consulo, vt eo tempore huius rei gratia omnino Patauũ se conferre haud grauetur.

Consult. XC VII. De tumore œdematico

utriusque pedis, pro ciue

Ferrariensi.

Quando



Vando aliquis pituita, & succo melancholico suapte natura redundat, non vi deo propter aliquam aliam causam esse posse, nisi quia ventriculum habeat frigidioré, hepar verò calidius: ita enim pituita in ventriculo plus æquo multiplicatur, sicut in hepate sanguis redditur crassior, & supraquam oportet excoctus. Quòd si etiam caput excrementosum, frigidum, mucosumq; fuerit, nõ facile euitabit hic homo morbos, qui vel à melancholico succo, vel longè magis à pituita generari solent, præcipuè si incõgrua victus ratio accesserit, & aëris intemperies. Cùm ergo hæc omnia de hoc nobilissimo viro enarrentur, haud ab re esse videtur, si tumor ille laxus & œdematicus utrunque pedem vexet, æstate præcipuè, ita tamen ut non sit absque aliqua caliditate, modicoq; rubore: multitudo enim pituitæ per venas distributa, & plus æquo multiplicata, tandem expellitur vigore facultatis expultricis, & sicut est grauis & ponderosa, potius ad infimas partes declinat, æstateq; id præcipuè contingit: nam præterquam quòd in æstate plus declinquit, tum copia potus frigidioris, tum fructuum, crudorumq; olerû, & rerum frigidarû assiduo vsu, tum quia nudo ventriculo frigidus aër & humidus quàm maximè exquiriit, sunt etiam meatus & vasa magis laxa & ampla, humoresque defluentes subtiliores: hyeme omnia contraria eueniunt. Non mirû ergo est, si æstate pedes intumescant, hyeme exiccantur. Sed quòd nõ nihil caliditatis & ruboris ad œdematicum tumorem accedat, non absõnũ est: nam & hepar calidum nõ nihil transmittit subtilioris sanguinis pituitæ permixti, quam rem etiam adiuvat calor æstatis. Eandem videtur habere rationem, cur cùm decumbit aut quiescit, tumor non accedit, & qui ac-

cesserit remittatur: ex motu enim constat humores
 agitari, attenuari, & moueri, in quiete verò sisti, ne-
 que in prouum descendere. Hæc de causis affectus à
 me auditi. Curatio igitur dirigenda videtur con-
 tra proximas causas symptomatum: ergo qui gene-
 rati sunt humores, euacuandi, & auertendi: deinde
 prohibendum ne generentur, quod duplicem sco-
 pum habet. primus est, vt rectissima victus ratio ad-
 hibetur: secundus est, vt membra corroborentur,
 ad contrarios habitus deducendo. Quantum igitur
 ad rectam victus rationem attinet, constat à calore
 aëris quàm maximè custodiri oportere: experientia e-
 nim comprobatur, sub calidiore tantùm aëre pedes tu
 meseri. Et non dissimili ratione ab ira quoq; & ve-
 hementibus tum animi, tum corporis motibus absti-
 nere oportet, cùm experiat agitatione & motu eos-
 dem tumores excitari. Consulo igitur, vt superiores
 potius partes exerceat, vt sagittando, lapidè aut pa-
 lum ferreum iaculando, prout illi magis gratum, aut
 viribus magis cōmodum, vel magis consuetum fue-
 rit: earum quoque partium superiorum quotidianas
 frictions, præcipuè æstatis tempore, faciendas con-
 sularem: ita enim auerteretur materia quæ ad pedes
 decumbit. Quòd si æstatis tempore aërem Ferrarien-
 sem mutare possit, & ad subtiliorem siccioremq; ac-
 cedere, qualis esset Bononiensis, non parum crede-
 rem profuturū. Quòd autem debeat esse parcior po-
 tus vini subrubri, & bene maturi, ne nimius humor
 redundet, etiam me tacente facile cogitatu esse arbi-
 tror: sicut etiam quòd cibi sint offerendi optimi ali-
 menti, & paucarum superfluitatum. Particularè ve-
 rò materiam singulorum nimis ineptè hoc loco ag-
 gregandam censeo, cùm semper Magnificus iste vir
 prope clarissimos medicos sit moraturus. Hac igitur
 victus

victus ratione prohibet generatio excrementorum. Quantum vero ad euacuationem eorum qui iam fuerint generati, laudo primò vt vere purgetur: & si in tumore illo pedum sanguinis aliquod dominiū appareat, sicut suspicari possumus ex intellecta rubedine & caliditate, etiā aliquid sanguinis est detrahendum: faciliè enim ex hac annua purgatione abscindetur materia, quæ æstatis tempore ad pedes solet decumbere. In alijs verò temporibus ad purgationem habeat aliquod familiare, quod faciliè educat, & leniat aluū, vt corpus minimè excrementosum seruetur: eritq; hoc præcipuè necessariū, si fortè aluum adstrictam habuerit. Darem igitur vel hieræ simplicis Gal. de sex rebus scrupulum, vel scrup. duos, prout aluus magis vel minus obediet. Hieram intelligo ipsas species in pilularū formam redactas, vel rhabarbarum cum saccharo rosaceo, quod mihi magis placeret tempore æstatis. Nec displicet vsus frequens terebinthinæ Cypriæ ad hanc eandem comoditatem præstandam. Quantum verò ad membrorū tum mandantiū, tum recipientiū corroboracionem attinet, pro ventriculo quidem & hepate, illius eiusdem hieræ & rhabarbari vsus non tantum leniet aluum, sed etiā roborabit ea membra naturalia. Pedes verò qui recipiunt excrementa, ad mediū veris per totam æstatem alternis saltem diebus ablucendos putauerim decoctione rosarū, saluiæ, nucum cupressi, rasuræ tabularū cupressi, chamæmeli, aliqua etiam salis portuicula adiecta, ita vt lotio fieret horis matutinis, videlicet ante prandium. Neque malum putauerim, si post lotionem partes ablutas inunxerit aliquo oleo de citoneis, vel de baccis myrti. Et hæc, si modò rectè seruata fuerint, fortè sufficient ad curationem, & præseruationem huius nobilissimi viri.

*Consult. XCVIII. De titubatione pedum ex leuī
uertigine, pro Magnifico Bernardo Na-
uagerio Senatore Veneto.*



VM non possimus curare affectus exi-
stētes in hoc Magnifico domino, nisi ex-
quisitissimè cognoscamus ipsos: & quia
cognitio nostra incipit ab ijs quæ appa-
rent, primò cōsiderabimus symptomata recitata ab
ipso, quæ oportet explicari diligenter. Conqueritur
iste Clarissimus Dominus de pluribus, & quia olim
fuit Consul in Dalmatia, & dum versaretur circa ne-
gotia, & circa lites, propter laborem cerebri, inquit
se incidisse in imbecillitatem cerebri: & cū postea
Venetias accessisset, & mala etiam ratione victus u-
teretur, & studio literarum incumberet, iam menses
aliquot sunt, ex quibus inuasit eum hoc symptoma,
vt viderē cadere in terram, & cecidisset, nisi teneretur,
& habuit immensum. Sed posteaquā sibi consu-
luit, nō sunt visa perseuerasse, nisi quōd iam quatuor
menses sunt, in quibus cū quibusdam circumuolu-
tionibus laboraret, & dum videret circumuolutio-
nes illas, cogebat sedere. Nunc verò cū sedet, pati-
tur: cū verò surgit, cessat. Hęc autem circūuolutio
non est cum vertigine multa, nec ita immensa, vt vi-
deatur cadere: sed eam circūuolutionē patit, vt vix
possit scire, an circumuolutio sit, adeò breui tem-
pore perdurat. Dum autem inuadebat eum, iam sunt
nonnulli dies, circumuolutio ipsa, inflammabatur
facies, & iam à duodecim diebus inflammatur. Et vī
di ego ipsum insigniter inflammatum cum leui sudo-
re circa faciem, & cū ambulabat, cessabat: nūc cum
rubedine liuida circumuolutionē patitur leuem sine
causa, & cū ambulat, cessat, nec audimus pati sym-
pto-

ptomata, alioqui perseverarent in capite aliqua præter naturā. Sensus autē omēs, tam interiores quàm exteriores, habet acutissimos, & dum percūctamur ab ipso, an percipiat in ventriculo aliquid, dicit percipere ructationes. Sed alia symptomata sunt aduertenda, quia inquit quòd postquàm hæmorrhoides fuerunt apertæ, apparuerunt pustula: quædam, & ab ipsis mirū in modum læsus est. Præterea inquit, dum iacet, vt pedes suspendantur, nunquam inuadere ipsum symptoma, etsi multū remanserit: dum autem pedes super terram figit, symptoma inuadit. Quantum autem attinet ad excrementa, quo ad urinā, non est secundū naturam, tum quo ad colorē, tum quo ad residentiam: quia color magis fuluus est: nec habet colorē illum palarē, qui indicet bilem esse concoctam, vt inquit Galenus v l. de tuenda sanitate, ubi dicit: Cūm bilis concocta est, in colorem pallidum transit: cūm cruda, ruffa est. Et Auicenna secunda Fen inquit: Urina aurea arguit in corpore redundare plus bilis, quàm oporteat. Habet præterea urina hæc subsidentiam indicantem adustionem, & arenas subrubeas habet. Excrementa autem per aluum nigra sunt (ignoro tamē an omnia talia fuerint) cum ampullis, & tumida sunt: & tetigi hypochondrium dextrum, & percepi tensionem cum flatibus. Hæc sunt quæ præter naturam visa sunt consideratione digna, tam symptomata, quàm actiones læsæ, quàm excrementa mutata, quia hæc indicant affectus interiores. Inuestigandi ergo sunt intrinseci morbi, à quibus proueniunt talia symptomata. Sed quia ordinatè debemus procedere in diuisionibus, vt sciamus lapsum præter naturam, ad moderanda medicamenta, & ad præsagiendum maximè facit, si sciuerimus temperaturā totius corporis, omiſſa pro

nunc singulorū membrorū temperatura. Et proculdubio plus redundat in isto Magnifico viro, & plus redundauit calidi, quàm frigidi: & secundum qualitates actiuas per calidum videtur recedere à temperamento: in passiuis per humidum, vt possit corpus calidum & humidum pronunciari, & vt dicunt isti, sanguineum, quia ex tali temperatura generatur plurimus sanguis. Et hoc ostenditur ex signis: si habitum totius volumus considerare, redundat plurima carne, & sanguine, & habet colorem rubeum, quia quarto de tuenda valetudine, color indicat humorū dominium, nisi in profundo latuerint. Igitur temperatura calida & humida sanguinē indicat. Præterea ex operationibus naturalibus hoc idem attestatur: bene concoquit, & reliqua naturalia opera bene exercet, quæ per calorem innatū, qui humidus est, fiunt. Præterea operationes cerebri caliditatem indicant cum humiditate, quæ non superat caliditatē, sed hæc dominatur humiditati: ideo bonus discursus est. Pulsum præterea habet plenū, magnū, & excandescit, licet facilè sedetur, quod indicat caliditatem & humiditatem. Ideo ex operationibus omnib. facilè eliciemus, & ex habitu faciei, & ex pilis, qui non sunt nigri, nec rufi bilem attestantes, esse sanguineam temperaturam. Ideo iudico ego, corpus hoc secundum totum plus calidi quàm frigidi habere, & plus humidi quàm ficci: & habere corpus tale, talem à natiuitate temperaturam. His ita cōstitutis, cū talia symptomata apparuerint, & primò circa corruptas imaginationes cerebri, quia quòd videatur circūuolui, aut non posse sustineri, sine dubio est operationis cerebri læsio: sed quæ operatio lædat, nolo disputare, utrū lædatur imaginatio, vel sensus cōmunis, an exteriores sensus. Dixerim ego vnā lædi facultatē, &
esse

esse phantasticam virtutem, quia potest contingere quod imaginatio corrupta sit, & sensus reliqui incolumes sint præter visum, quia spiritus deferuntur ad oculos, qui cum ventriculis cerebri sunt communicantes, ideo patiuntur. Si autem esset passio sensus communis, paterentur etiam exteriores: nisi magnum sit symptoma, nam tum compatiuntur, & priuantur, vt in epilepsia, & in apoplexia videtur accidere, quia morbi isti sunt affines, & difficile est quod separetur vnus ab alio, sicut hæsitauerunt medici Veneti, vt patet ex eis quæ ordinarunt. Iudicauerunt enim dispositionem hanc esse in confinio cum epilepsia. Tale ergo symptoma est virtutis imaginatiuæ, ad quam reliquorum sensuum & interiorum & exteriorum sequitur læsio, cum inualescit causa. Materia verò faciens symptoma, & locus affectus, consideranda sunt. Locus affectus sunt ventriculi anteriores cerebri: materia verò & causa proxima faciens symptoma, vt à Galeno & ab Hippocrate probatur, sunt vapores agitantés & mouentes inordinatè spiritus existentes in ijs ventriculis: & agitatio illa est causa formalis & essentialis, quia vertigo nihil aliud est, nisi motus inordinatus spirituum existentium in anterioribus ventriculis. Tale ergo est symptoma, talis locus affectus, causa proxima vapores. Quid modò moueat vapores, an generentur in cerebro, vel aliunde mittantur, dubitari potest. In cerebro quidè, veluti ob malam temperiè cerebri, vel ob materiam crassam existentem in cerebro. Cum à mala temperatura generantur, fit quia agit diuersa, & fit motus inæqualis humorum, & ex eo motu agitantur spiritus, & fit symptoma. Materia autem crassa, causa est vaporum, vel propter causas extrinsecas, cum à caliditate aeris materia agitantur & incalescit, & ex illa excitantur vapores: vel à ni-

mio motu, vel ab agitatione exercitij, quia materia agitatur, & vapores agitant spiritus: vel ab intrinsicis, vt sunt cogitationes molestæ, ex quibus agitantur spiritus etiã animales intrinseci ex discursibus, & fiunt vapores: vel ob medicinam, aut cibum calidum, ratione cuius fiunt vapores, & eleuantur, & spiritus exagitantur. Vel aliunde deueniunt, tunc aut à stomacho, aut ab alijs membris, vel à toto. Materia autẽ faciẽs tales vapores per consensum, potest esse sanguis & subtilis & crassus: potest esse pituita, bilis, humor melancholicus, & mixtus. Ex hoc igitur discursu habemus cogitationem essentiæ morbi. Et si declinet versus epilepsiam, in ista inclinatione licet lædatur magis, & fiãt maiora symptomata, ab eadem causa fiunt: ideo non discedimus in discursu à confinio. Cùm ergo ita sit, quid iudicandũ est esse in causa, Magnificũ hunc virum tantis symptomatibus laborare? Non habemus signa, vt dicamus vapores istos esse in cerebro, & in cerebro generari: quia signa quæ indicant primogenium affectum esse in cerebro, sunt grauitas perseverans, capitis dolor, oblatio sensuum interiorum & exteriorũ: quæ cùm non fuerint in hoc Nobili, non est dicendum cerebrum per protopathian lædi: ergo erit per consensum ab inferioribus. A quibus igitur? Proculdubio licet credam aliquid à ventriculo eleuari, non tamen totum, quia non habet morsum cordis, nec mordicationem percipit: non negauerim tamen esse aliquid, quod eleuetur. Sed cùm consideramus temperiẽ calidam & humidam hepatis, & timeat de proprio affectu, & quia est multæ carnis, & abundat calore, & feruido sanguine & calido, habet cerebrum calidum: & Galenus dicit in tertio de locis affectis, nullum corpus magis paratũ ad excrementa multiplicanda in cerebro,

bro, quàm corpus sanguineū, & calidi capitis, & venarū, & hepatis: talia corpora non possunt liberari à talibus symptomatibus. Et cerebrū factum est debilius, quia existente valido membro non recipit aliorum excrementa, imò repellit: cùm verò imbecillius redditur, cùm non possit resistere, recipit excrementa. Sed cùm cerebrū ante septem annos validum esset, repellat excrementa: sed cùm in maiore debilitate incidit, recipit excrementa, & patitur affectus: non tamen ita debilitatū est, vt multū suscipiat. Sed quæ materia, & qui vapores, an à pituita eleuentur, & vapores crassi sint, an à sanguine, & tenues sint? Crediderim ego vapores fuisse tenues, & à subtiliori parte sanguinis & bilis eleuatos. A calidis igitur & subtilibus vaporibus affectus prouenit, quia leuē video esse vertiginem, & non apparent tenebræ. Ex leuitate autem spiritū subitò euaporant, nec tenebras patiuntur, quia non sunt vapores crassi à pituita eleuati, vt in hypochondriaca passione cōtingit, in qua tenebrescunt spiritus non nisi à vaporibus crassis. Cùm ergo non appareāt tenebræ, sed subitò quedam reuolutio citò transiēs, sunt igitur leues, & tenues vapores subitò euaporabiles. Cuius signū est, cùm sedet ascendunt vapores, quia cùm non mouet, nō diffantur: sed cùm mouetur, excitatur virtus per motū, & discutiuntur. Est etiā aduertendū aliud symptomata: cùm suspensos tenet pedes, non patitur: cùm verò figit in terrā, patitur symptoma hoc. Causa huius esse potest, quia sanguis decumbit ad illas partes, & præ multitudine sanguinis obstruuntur viæ, & fiunt obstructions, & stupores etiam illi, qui formicæ dicuntur. Cùm ergo suspenduntur pedes, declinat ad illas partes sanguis, & humores & vapores nō ascendunt. Præterea quòd calor & vapores calidi

ascendant ad cerebrum, habemus iudiciū, quod ex quo habuit illam phlebotomiam violentam factam per hæmorrhoidas (dico violentam, quoniam cum non sint ibi foramina, fit violenta: & si adsunt, adeo constricta sunt, ut sanguis tantum vaporosus & spirituosus exeat subtilis admodum, violentè extractus, & crassiores partes remaneat) non apparet amplius in facie rubor, nec inflammatio, sicuti prius apparebat, quia non ascendunt vapores subtiles. Et quod sanguis crassus remanserit, indicant pustulæ illæ, & in vrina color rufus: & hoc credo post phlebotomiā apparuisse, quia in corpore est maior caliditas, & propter accidentia animi. Cur verò hypochondrium dextrum appareat subtumidum, hoc est, quia abundat pituita: quia corpora humida facile incidunt in multiplicationē pituitæ, maximè cum causæ extrinsecæ concurrunt: quia habuimus in vere turbulentiam aëris, & nubilosum ver multiplicauit pituitam, quia crassiores spiritus redduntur, & corpus frigidius fit pro ratione temperaturæ: ideo abundat pituita. Et quia habet membra tendentia ad humidū, multiplicata est etiā in cerebro: ideo patiebatur grauitatem, quæ cessauit, postquam per nares exiit: & quia ad ventriculum descendit, etiā potuit obstructions fecisse: ideo apparent adustiones plurimæ, quia sanguis calidior factus est seipso, & pars subtilior euacuata per hæmorrhoidas. Et hæ sunt causæ symptomatum. Id autem quod trahit curationē ad se, est symptoma apparens in capite. quo ad febrem non percipitur, nec aliud nisi de pustulis conqueritur, de quibus non debemus esse solliciti in curatione. Stantibus ijs causis, quid credis tu posse contingere? Minime dubium est, si consideremus perseuerantiam symptomatis, credendū est imbecillitatem factam

factam esse in cerebro, & fortè intemperies iam fixa est, quia videtur labi ad frigiditatem non solitam: siue ab aëre extrinseco, siue ab impressione cōtingat, dies indicabūt. Siue igitur à causa extrinseca, siue ab intrinseca intemperies maior reddita est, & iam cerebrum incipit pati per essentiam, difficilis erit curatio. Præterea redundat sanguis in corpore calidior euaporabilis, & hæc temperies cū sit difficilis vt remoueatur, difficilis etiam erit curatio. Credo tamè quòd diligentia nostra poterit curari, & maxime quia faciet quicquid imperabitur pro salute sua. Pro curatione igitur huius symptomatis siue sit mera vertigo, siue dispositio ad ipsam, siue dispositio media inter vertiginè & epilepsiam, quicquid sit, crediderim in duobus principaliter consistere curatione: primò, vt prohibeamus vapores ne ascendant: secundò, vt corroboremus caput ne recipiat. Prohibebūtur vapores ascendere, si prohibebimus generari: secundò, vt materia iam genita pro vaporibus, educatur, & auertatur quamlongissimè. Credo si hæc tria fient, prohibebuntur vapores ascendere: deinde corroborebitur caput cum moderatè refrigeratibus & exiccantibus. Quo ad primum, pro prohibitione generationis vaporis, circa rationem victus studeam, & prouiderem vt cibaria essent pauci alimèti, & non plurimi, quia calorem habet plurimum, concoquentem etiam carnem porcinam, & optimè. Oportet igitur vt absteineat à multū nutrientibus, & à pane non bene fermentato. Carnes vituli porcinasque euitet: & ab omnibus quæ plurimum nutriunt, à leguminibus, & ab ijs quæ multum & malum præstant nutrimentum, summopere absteineat: à lacticinijis, à pastillis, & ab omni genere piscium, præterquam à saxatilibus. Pallorum iuuenum caro, & auium quæ degūt

in campis, & hœdina, vel vitulorum paruorum, alterata cum frigidis succis, vt cum succo agrestæ, probatur: & vtatur succo granatorũ, citriorum, vbi stomachus toleraret, & tandem quæ parum nutriūt essent laudabilia. Et si cibis Arabum ex lentibus cum aceto decoctis vti possit, illi mihi non displicerent: sed quia non sumus consueti in his, dimitemus illa. Præfana etiam hœrdeacea conueniret. Præterea vīna paucifera alba, quæ prouocarēt vrinas, essent conuenientia: & vellem vt diureticis vteretur, quia diuerterent ad alias partes, & non generaretur plurimus sanguis: & vinum sit potius acidum & austerũ, quia non multum nutrit, & vrinam prouocat. Deinde declinet potius ad vigilias, & à somno diurno caueat. Præterea prouideat vt habeat beneficium alui. Vtatur frictionibus assiduis, & maximè inferioris partis: ideo post cœnam fricentur pedes, quando vadit dormitum. Dicetis vos, in podagram incidet: vtinam, vt caput defendatur. Præterea vtatur in mane exercitio temperato, & multum ambulet post frictiones. Caueat ab omni excessu circa operationes animales, & maximè circa studium literarum, à quo abstineat. Quo ad coitum, vellem vteretur aliquando, non tamen multum agitante, tanquam re excercente superflua, & maximè ante cibum. Et hæc quantum ad sex res non naturales, vt non multiplicetur multum sanguis. Quo ad medicinas, hoc corpus quia maximè tolerat phlebotomiam & pharmacias, vellem vt ijs duobus vteretur auxilijs. Quo ad mīfionem sanguinis, quia iam fuit euacuatus, dimitemus eam. Laudarem & euacuationem toto anno: & medicinæ essent illæ quæ purificant sanguinẽ, & euacuant: primò esset cassia, quæ humores crassos adustos, bilem & pituitam euacuat. Vteretur etiam rhabarba-

barbaro, quia aperit, abstergit, & euacuat. Vteretur etiã syrupo rosato solutiuo, agarico præparato, præcipue propter dominium pituitæ nunc generatæ: & acciperetur cassiæ vncia, agarici præparati sesquidrachma: & interpolatis diebus sumat hanc medicinam, quandoque rhabarbarum, quandoq; syrupum rosatum solutiũ, & zuccharum rosatũ cum rhabarbaro in diebus calidioribus ætatis. Transactis diebus æstiuis, pilulis vteretur ex hiera simplici, agarico, & rhabarbaro, quæ possent dici de tribus, nisi quòd loco aloës ponitur hiera simplex. Hæc euacuant ventriculum, obstructiones remouent, & à capite euacuant. Placeret etiã syrupus acetosus multæ acetositatis, cum aqua pentaphylli, aut acetosæ: quia in pentaphyllo est virtus exiccãdi, & prouocãdi vrinam: acetosã etiã corroborat cor, refrigerat, & exiccãt intemperiem hanc: syrupus etiam de acetositate citri: & quandoq; alterando perseuerarem, & quandoque dictis vteretur medicinis, quia optimè tolerabit. Et hæc quo ad euacuationem, quæ fuit secundum institutũ, vt prohiberentur vapores. Tertiũ institutũ propositũ est, vt fierent auersiones vaporum: & quod mihi præcipuum videtur, est, quòd omnino fierent cauteria in cruribus, & si quod corpus accipiet iuuamentum, hoc erit: si enim à suspensione pedum accipit iuuamentum, quid recipiet à cauterijs? Etiam in hæmorroidibus sperarem, si fieret apertio: sed fallax est apertio hæc, quia prouocatione per sanguisugas non est vsus: sed quia aperiuntur venæ ex operatione illarum, & si hoc fieret, optimè res se haberet: si non, non succedit, quia subtilior pars euacuatur, & crassior remanet. hæc de auersionibus. Dicetis vos, Tu igitũ velles in hoc iuvene tam magna remedia facere? Vtiq; quia dicit Galenus v. Methodi:

Cùm magnæ sunt ægritudines non modò præsentés, sed futuræ, si à leuioribus volumus procedere, longum paramus ægroto interitum. Cùm ergo accidens non sit ita leue, sed suspicio est de epilepsia & apoplexia, ideo plurimo studio oportet prouidere. His omnibus factis, si quid esset tentandum, nisi perseverarent catarrhi, esset considerandum an conuenirent balnea Calderiana, quia rectificant caput, refrigerant, & prouocant vrinam, & adustiones remouebuntur, & obstructions, & pustulæ: est quæ maximum remedium pro adustionibus, & tunc non eleuabuntur vapores, quia in hoc corpore est maxima dubitatio de sanguine adusto. De Patauinis non dicerem, nisi fieret maior lapsus. Et quia aquam ligni Indi proposuerunt medici Veneti, non laudarem eam: quia cùm vteretur victu tenui, & aqua exiccaret, quare exiccarentur humiditates, per accidens iuuaret: ideo in ea nihil sperarem. Quo ad corroboracionem capitis, credo quòd optimum erit corroborare prohibendo vapores ascendere: & factis euacuationibus optimum esset zuccharum rosatum, & confectio triasandali, & myrobalani conditi chebuli, quia mirum in modum corroborarent caput & ventriculum. Similiter ex linimento, vt Galenus facit, inungerem caput cum oleo rosaceo, & iniicerem in aures puluiscula ex sandalis, myrtis, rosis, & sandaracha, ad reprimendum & refrigerandum: spargerem super caput odorameta ex sandalis, rosis, violis, nepufare, camphora, vt cum aceto rosaceo in sindone vteretur, & odoraret. Et ista via procederem.

Multa alia essent dicenda, sed hæc

exempli loco suf-

ficiant,

Consult,

Consult. XCIX. De luxatione pedis, pro Illustrissimo puero Germano.



Nemo potest dubitare situm & figurā pedis Illustrissimi pueri luxatione corrupti, & ab eadem causā motum quoq; impediri. Quæ verò ossa sunt luxata? Credimus primò illa esse, quæ sunt in pectine pedis, deinde os claviculare, tertio talū, quartò os calcanei. Et hæc omnia expressè patitur, vt patet ex ipso modo impedimēti motuum, & ex figura vitiata, ex ipso situ & locis vbi apparet luxatio. Causas extrinsecas quidem pro comperto non habemus. Intrinsicæ verò quæ aduenerunt, fouerunt & auxerunt luxationes: humorē crudum & viscidum opinamur esse unde ligamenta laxentur, ossa lubricentur, & lubricata coarctentur. Cruris verò gracilitatē non modicam credimus maximè fieri ab humido nutrimentali nimis exiccato, ita vt etiā periculū immineat, ne pars quoque radicalis humidi exaruerit, scilicet ob laboriosum importunumq; motum in ea parte excitatū. Indicio est quòd tum maximè arefieri incæpit, & deterius habere, cū vacabat choreis. Curationem arduam quidem difficilem & arduam admodum, nihilominus tentandam consulo. Si enim puer ille generosus pativoluerit, fortè curatio non erit omnino difficilis vel impossibilis: est enim adolescentia plena spe. Primò igitur esset illi diligentissima victus ratio proponēda, & vt ille cum toto crure maximè custodiretur à frigore, optimeq; muniretur, ea tamen ratione habita, ne nimis incalescant: si tamen ad alterum declinare oporteat, ad calidū potius declinet. Parcat cōpotationibus, vitet epularū multitudinē, vnico cibo sit contentus: fugiat pastilia, lacticia,

fructus, pisces, præsertim palustres, carnes porcinas, bubulas, & omnes antiquas. Persuadeatur vt quære berrimè, sicut esset bis in septimana, vt semel saltè, tantum rhabarbari manderet ac deglutiret, quàm est scrupuli pòdus: si enim hoc fecerit, nullo alio medicamento indigebit soluente. Circa lutum sancti Bartholomæi pro materia illa viscida resoluèda, quæ circa luxationes adhæret, laudo quidem, sed ea lege, vt toto eo tempore quo extra lutum morabitur, liniatur locus oleo amygdalarû dulcium, vel adipe suillo recèti sine sale, vel butyro recenti, vel oleo camomelino. Post experienciã factã huiusmodi lutum applicando, pro ijs materijs quæ adhuc relinquètur, laudo fomentum lapidis pyritis, ita vt prius mollicetur locus cum linimentis paulò antè recitatis. Deinde altero quoq; die excipiat fumû lapidis pyritis, crebro agitando & mouendo, quemadmodû Galenus præcipit. Valet etiã ad resolutionè simul & molliuonem cæsypi ceratû ex descriptione Philagri: frequentissimè tamen vtatur lotionè facta ex ramentis cupressi, rosis siccis, camomilla, saluia, & betonica, valet enim ad resolutionè materiei, exiccationem & corroboracionè loci. Pro crure alendo suaderem, vt minimè laboraret, & manè modicè fricaret, deinde deliniretur oleo amygdalarû dulcium, vel medulla recenti cruris vituli, & vteretur optimis alimentis pro cibo. Quòd si contingat vt materia in loco luxationis contèta maxima ex parte dissoluatur, tum poterit tentare restaurationem luxatorum ossium non quidem violenter aut confertim, sed suauiter & paulatim cum hastulis mollibus ac planis, & cum ligaturis còmodè ab optimo chirurgo situm ossium naturalem intelligente perfectis: quia nos puerû sine consensu tutorû, propter calores, & imbecillitatè etiam

ac teneritatem corporis, ad thermas mittere nolumus. Consulã vt accipiat duas vel tres etiam yncias syrupi rosati solutiui, cum modico aquæ betonicæ. Pes luxatus liniatur bene cum decocto camomillæ, & deinde supponatur ceratum œsypi ex descriptione Philagri, ac singulis diebus semel innouet. Crus manè leuiter frictū inungatur oleo amygdalarū dulcium, & quietus viuat. Singulo octiduo semel masti- cet rhabbarum, vt suprã.

Eidem consuluit abeunti ex Italia in Germaniam hæc quæ sequuntur.



VM laudauerimus in hoc prestâtissimo puero post purgationē veris, vsum thermarum, ita vt fumo & luto humores fouendo quæreret discussionē materiæ & locorū corroborationē, ipse autem ob vrgentia negotia cogatur in Germaniam proficisci, petit vt thermarum loco aliquid proponam, quod idem præstare possit quod ipse thermæ. Dico igitur, postquàm in patriã redierit, atque ibi animo & corpore aliquandiu quieuerit, optimum fore vt rursus expurgetur. Neque enim probabile est tantum itineris cōfecturum, quin in ratione victus non delinquat plurimū, atq; inde rursus non aggreget crudos & deprauatos humores. Est autē omnino contra rationē, loco adhibere resoluentia & exiccãtia remedia, nisi primò totum corpus fuerit expurgatū, alioqui longè plus humoris attrahet, quàm resoluatur. Facta ergo purgatione, postquàm animo & corpore quieuerit, nullo rēporis spatio interposito parabit infrascriptū remediū. Primò duobus aut tribus diebus loca tumentia illinet cū adipe porcino recēti, hoc est, eiusdē anni, non salito, admixto oleo amygdalarū dulciū, ac bu-

tyro etiam recenti: illinet autem singulis diebus bis, manè in quā & serò. Tertio die accipiet quatuor aut quinque frusta ad magnitudinem oui lapidis pyritæ, quem vulgò marchesitam vocant. Quòd si haberi non poterit, eius loco sumet frustum lapidis molaris noui, & aquam non experti, & sit eiusdem magnitudinis, quæ injiciet in ignem ex carbonibus accensum, habebitq; vas ad id præparatum stricti orificij æneum, qualia sunt ea quibus vtuntur tonsores ad lixiuium deferendum, in quod vas aceto semiple num infundat repenti tantā copiam eorū lapidum ignitorum, vt fumus sufficienter exhalet: quem fumum totum diligenter excipiat circa tumores, adiectis vndecunque pannis operientibus, ne fumus per alias partes exhalet: & dum incalescēt partes tumefactæ, per illum vaporē semper agitabit crus hinc inde mouendo, tandiuque illum fumum admittet, quandiu partes exudent humorem ab intrinseco. Deinde locum abluet aqua calida, in qua decocta sit camomilla, & rosæ siccæ, & absterget leuiter panno lineo calido. Vltimò inunget eodē linimento paulò antè descripto, & per duos adhuc dies eodem modo bis singulis diebus manè & serò idem repetat. Deinde tertio die ad illud idem suffumigium redibit, alternatim repetendo per quindecim dies aut etiā viginti: postea quiescet, & si curatus fuerit, bene erit: si minus, interim quiescet donec autumnalis purgatio accesserit, qua purgatione facta statim tentabit illud idem fomentū vel suffumigiū, deinde quiescet vsq; ad vernam purgationem. Denique nunquam cessabit ab iisdem remedijs itidem repetitis, donec sanitatem acquirat. Neque enim est discedendum ab ijs quæ inter initia recte fuerint instituta, etsi non successerit, quemadmodū optimè cōsultat Hippocrates.

Estque

Estq; illi omnino præsupponendû, quemadmodum etiam in consultatione admonuimus, ægritudinem longam fore, & perseverantia esse pervincendam, in qua sola est cum diuino auxilio spes ponenda, cum firma opinione. Nihil enim deterius huic, & omnibus alijs chronicis ac diuturnis morbis, quàm crebra mutatio sententiarum & remediorum. Hoc igitur admonere volui tanquam rem fortasse præ reliquis omnibus maximè opportunam.

Consult. C. De præseruatione à podagra, pro nobili viro domino Mathia Zesz Consule L. Bohemo.



VIR nobilissimus atque prudentissimus agens annum ætatis quadragesimum secundum, habitus corporis optimi, petit à nobis cōsiliū, quomodo toto tempore vitæ suæ effugere possit podagrā, non quòd eam iam patiat, sed quòd timeat, ne declinante ætate, & calore decrescēte, in eam incidat, propterea quòd aliquādo (vt nobis refertur) leui destillationi subijciatur. Cū igitur quærat modum præseruationis à podagra futura, consilium meum est, ne quid magni moliat sub hyemē, quæ iam iam aderit, sed habito bono regimine victus in sex rebus non naturalibus, leuibus aliquibus pilulis vtatur, quæ paulatim educāt materiā. A vino si abstinere posset, optimum fore iudicarem: ad sanitatē enim esset certa via. Sed quia id durius videbitur, cū sit assuetus vti optimis vinis, saltem accipiat quatuor metretas aquæ, in quibus coquat quatuor cistellos saluæ, & totidem betonicæ, donec remaneant tres mastelli aquæ, quibus deinde facta diligētī expressione addat octo mastellos vini albi bene maturi, & simul bullire permittat, idque postea bibat. Abstineat à piscibus, fructi-

bus, leguminibus, caseo, & omnibus, præter carnem vitulinam, pullorum, auicularum montanarum, oua recentia, panem in brodio, panatellam. His contentus uiuat ad minus per annum. Cum sua coniuge honestissima non nisi à natura stimulatus, & ieiuno stomacho uersetur. Ab aëre maximè nocturno fugiat, & diurno etiam crassiore. Muniat caput contra ventorum & aëris iniurias. Ad præseruationem verò utetur his pilulis:

℞. Aloës optimæ

Rheubarbari electi

Agarici electi & leuis ana ʒ ij.

Garyophyllorum

Nucis muscæ

Sandalorum citrinorum

Rosarum rubearum ana ʒ j.

Myrobalanorum chebulorum ʒ j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur, postea aspergantur succo suæ arteticæ, & permittantur exiccari, & ita iterum usque septies fecerit, postea cum syrupo de betonica fiat magdaleon, de quo singulis vicibus fiant pilulæ tres pro singula drachma. Et hæc erit tota ratio præseruationis à futuro morbo, quem timet, & ab alijs plurimis ab eadem materia oriundis. Rursus, quia Dominatio sua petit consilium præseruatiuum à calculo pro quodam amico suo, idcirco Dominatio sua, ut à calculis se immunem omnino reddat, operæpretium est ut in sex rebus non naturalibus rectè se gerat. Nihil ergo comedat quod humores generet calidiores, vel pituitosos: omnia sint *simplicia* & tēperata, media inter crassum & tenue: bilis enim à siccis & calidis cibarijs, pituita à frigidis & humidis originem sumit. Oportet igitur cauere à calidis, frigidis, crassis & tenuibus,

bus, ne Scyllam fugiendo incidat in Charybdim. Temperatè itaque edat & bibat. Et quia nemo tam prudēs est, quin cadat aliquando, prouidendum est vt præueniat purgando eos humores, qui apti sunt causare huiusmodi malum, & corroborando membrum, ne faciliè generet, & recipiat faciliè. Cum quo instrumento? Optimum est ex rhabarbaro & agarico medicamentum, admiscendo aliquid myrobalanorum, & aliquid temperatum, quod faciliè pertranseat ad vias vrinæ, vt cinnamomum cum semine melonum. Exempli gratia:

℞. Rheubarbari	3 iij.
Agarici electi	3 ij.
Cinnamomi	
Myrobalanorum	
Seminum melonum	ana ʒ s.

Semel in septimana vtatur. Si calculus effectus sit, necessarium erit illicò mittere sanguinem à poplitis, quibus nunc non vtimur, sed saphenis, facta diuersione cum ijs quæ leniter euacuant, vt calsia: postea adiungatur calsiæ agaricum. Si esset in renibus, vtatur oxymelite, & aqua mulsa. Nunquam frigidis, nunquam calidis procedendum cōsulo, sed semper temperatis & incidētibus: quoniam terreum, quod à calido coagulatum fuerit, vt lateres, non à calido nec à frigido diluīt faciliè, vt Aristot. I I I I. Meteor. testatur. Quare non possumus progredi, nisi cum incidentibus, quibus minuuntur. Admisceatur igitur oxymel cum aqua mulsa. His omnibus diligenter & exquisitè obseruatis, credo quòd D. sua non solum à calculis, quos timet, præseruabitur, verumetiam à grauissimis morbis vindicabitur, cum auxilio Dei Optimi Maximi, cui soli honor, gloria, & imperium in secula.

APPENDIX.

Huic verò Bohemo non conferentibus remedijs in consilio positus, instituit puluerem sequentem capiti inspergendum:

℞. Laudani electi 3 iij.

Spicæ

Stœchados

Maioranæ

Roris marini

Afari

ana 3 j.

Puluerizetur minutissimè, & inspergant capiti. Laudauit etiã vsum Alexandrinę aureæ. Pro potu verò,

℞. Cinnamomi electi 3 ij.

Anisi

3 iij.

Zucchari

3 iij.

Decoquãtur in aquæ cõmunis lib. v i. ad tertias. Vistū tenui vtendum consuluit. Sed quoniam facta est mentio Alexandrinæ aureæ, ideo operæ precium nos facturos arbitramur, vt hoc loco studiosis communicemus examen illius à Montano factum, quod licet sit imperfectum (nam alijs studijs Montanus occupatus, perficere id minimè potuit) nihilominus studiosis non mediocriter profuturum arbitramur: quoniam habebunt decẽ scopos propositos à Montano, in medicamentis cõpositis semper spectãdos.

Alexandrinæ aureæ examen Montani.



Ntequàm descriptionem propositam aggreddiar, pauca quẽdã præfari oportet, vt in cõponendis medicamentis antiquos medicos multũ operæ, artis, & studij potuisse intelligamus, Medicamenta ergo quæ ore sumuntur, varia nomina habuerunt: aut ab vsu, veluti stomachica & arteriaca, quoniam gulæ & arteriæ vsui

vsui sunt, hoc est, medentur: aut à modo sumendi, qualia sunt dicta eclegmata & catapotia, illa quidem lambendo capiuntur, hæc verò deuorantur & deglutiuntur: aut à forma, vt sunt trochisci, latinè pastilli, figuram rotæ referentes: aut ab excellentia virium, vt medicinæ quæ vocantur hieræ, hoc est, sacra, quia venenatis succis corpus liberant & perpurgant: aut à multiplici vsu, sicut sunt antidoti, quæ propinantur aduersus genera plurima morborum. De his ipsis postremis sum verba factururus: quoniam confici non potuerunt, nisi à uiris præstantissimis, & medicæ facultatis consultissimis: postulant enim hæc medicamenta mirabilem artem componendi. Componuntur autem triplici de causa, vt scriptum reliquit Galenus in lib. de antidotis: vel aduersus venena, quæ aliquo malo fato sæpe dantur & potantur: vel contra eadem, quæ foris corpori admota officiant: vel vt aduersentur humoribus vitiatissimis, qui sæpe sic efficiuntur noxii, vt non minus noceant quàm venena, quemadmodum tradit Galenus libro sexto de locis affectis, vbi loquitur de signis veneni: vel ob tres simul hæc causas, quas nunc attuli. Ortum porrò habuerunt à Regibus & Principibus, quale illud est quod Mithridaticum appellatur: nam Mithridates Ponti rex medicamenta componi sibi iubebat, aut ipse excogitabat (Reges enim medicæ artis semper fuerunt studiosi) aduersus venena, deinde sceleratis & nocentibus, quos in carceribus detinebat, venenum propinabat, mox medicamentum aduersus veneni vim, vt experirentur quid posset præstare. Quid? nonne etiam tempore Neronis Imperatoris Andromachus medicus mira arte composuit theriacam aduersus omnia venena? ex quo factum est potestea, vt Andromachi theriaca vocari cœperit. At ve-

rò hæc nostra antidotus, de qua in præsentia sermo habetur, aduersatur prauis vitiatisq; humoribus. Aurea vulgò dicitur, ab auro quod ingredi eius compositionem. Cognominatur itidem Alexandrina, ab vrbe insigni Alexandria, vbi cõfecta est: eo sanè tempore studia bonarũ literarum florebant, atq; à Ioanne Grámatico, & Simplicio, reliquisq; philosophis excolebantur. Hæc sanè antidotus multa præsidia promittit: capitis dolorem sedat, oculorum lachrymas sistit, dolores dentium leuat, prodest morbo comitiali, infania liberat, omnib. affectibus capitis medetur, tabidis auxiliatur, sanguinis vomitum cohibet, paralyfim medicatur, laterum viscerumq; morbos depellit, calculos comminuit, vrinæ stillicidio & difficultati magno est vsui, confert ad vteri affectus, ad febres tum tertianas tum quartanas, ad apoplexias, ad epilepsias. Mira profectò sunt quæ pollicetur huiusmodi antidotus: sed vtrum efficere possit quæ pollicetur, decem capita sunt consideranda à nobis, ne reliquæ antidoti in posterum nobis possint imponere: his enim exploratis, facilis erit gradus ad alias omnes dijudicandas. In primis, scopus qualis est ipsius antidoti, est cognoscendus: deinde perpendendum, vtrum ea ex quibus componitur antidotus, cõmoda & vtilia sint ad illum scopum: deinde facultates omnium medicamentorum, ex quibus confurgit, sunt ad artificis stateram perpendendæ: deinde deligenda sunt medicamenta, & contemplanda, quæ feliciter cõmisceri possunt, vt harmonia antidoti bellissimè constet: deinde cõferendæ sunt rationes ponderum & proportionũ, vtrum casu & sine causa, mensura seruata sit, an arte & ratione: deinde ex huiusmodi cõmixtione inuestigandum est, formá ne naturalis, an similis naturali confurgat: deinde scru-

de scrutandum est, quomodo medicamenta quando
 miscentur, fermententur, & quot sunt genera fermenta-
 tionis, & quid est fermentatio: deinde quomodo
 simplicia, hoc est, herbe præparantur, id est, quæ erit
 proportio humidorum corporum & siccorum, id est,
 medicamentorum, ubi sese offerent nobis innumera
 bilia penè errata pharmacopolarum: deinde, vtrum
 dosis proposita ab hoc autore, semper seruanda est.
 Erit ad extremum statuendum, vtrum hæc antido-
 tus, quæ ex tot dissimilibus rebus componitur, pos-
 sit stare promissis. Scopus itaq; vt singula capita
 paucis verbis amplectar, huiusce antidoti est, vt ca-
 pitis morbum ante omnia oppugnet, & oppugnabit
 quidem, ni fallor, quoniam vera est antidotus, cuius
 principalis scopus, id est, operatio nunquam impedi-
 tur. Ceterum omne medicamentum componitur, sum-
 pra semper indicatione à morbo, quem depellendum
 aggredimur. Cum ergo in præsentia capitis mor-
 bus, & quidem diuturnus curatur, verisimile est ca-
 put laborare frigida intemperie, vnde multa recre-
 menta affluant necesse est, quoniam actiones natura-
 les sunt infirmæ, id est, diminutæ. In primis igitur ex-
 haurire recrementa operæ precium est, quo facilius
 caput mala temperie liberetur. Ergo prius perpur-
 gato corpore, si purgatione erit opus, rebus quæ ha-
 beant concoquendi facultatem vti proderit, non ijs
 quæ euacuent, id est, educant excrementa. Vim au-
 tem concoquendi obtinent, quæ non transgrediuntur
 secundum ordinem caloris, qualis crocus, myr-
 rha, bdellium, styrax. Quare crassa recrementa at-
 tenuabis, tenacia detergentur, lenta incidentur: deter-
 gunt amara, incidunt sicca calidæ tertij ordinis &
 tenuium partium. Vt primum incideris, dabis operam
 vt dissulentur: id tibi præstabunt ea quæ sunt mode-

ratè calida, vt myrrha. Verumenimvero quia afsidus ille vſus rerum calidarum & ficcarum ſæpe adigere poteſt ad vigilias maximas, ideo admifcere frigida perutile erit: qualia ſunt illa quæ ſomnum conciliant, in quorum albo eſt opium, id quod exemplo Antonini Imperatoris facilè cognoſci poteſt, qui ab aſſumpta theriaca, etiam iura dando populis, non leui ſomno corripiebatur, propterea quòd còmixtum erat opium: quare ſine opio rurfus ſibi parari iuſſit, ex quo poſtea factum eſt, vt ſomnum captare nequiverit. Itaq; ſuæ ſaluti & còmodis corporis còſulens, repetendum opium & recipiendum in theriacam voluit, indeq; ſomnum cepit, quemadmodum commemorat Galenus in libello de antidotis. Quantum ad autoris ſcopum attinet, hoc vnum apud omnes còſtat, ad frigidos capitis affectus hanc medicinam fuiſſe conſectam, vnde & vulgare de ipſa circumfertur, Aurea quando datur, caput à languore leuatur. Sed quoniam antidotus eſt, & antidoti (vt docuimus in præcedenti lectione) non habent popularem & feſtinatam compositionem, ſed eo artificio confici ſolent, vt dum membro vni conſulunt, exquisitiſſimè obſeruent, ne prorfus vllum impedimentũ vel in ipſo membro genitũ, vel aliunde trãſmiſũ, ſuo conſilio poſſit obſtare: vnde neceſſariũ eſt, & magnum numerum ſimpliciũ in compositione adaugeri, & reconditam quandam artem tam diuerſorum commixtioni adhiberi: quæ omnia ita ſe habere maniſeſtiſſimè in hac Aurea antidoto ſingulari diſtinctoq; exemplo oſtendemus. Deliberans igitur autor antidoti ad frigidos capitis affectus medicamentũ componere, atq; optimè cognoſcens omnem componendi rationem ad morborũ naturã, quos depelli oportet, eſſe referendã, primò contemplari cœpit, quænam eſſet fri-

fet frigidorum morborū natura, qui tandiu tamque
 pertinaciter membro inhærent: facileq; deprehen-
 dit aliunde id euenire non posse, nisi quod mala in-
 temperies frigida membri essentiam substantiamq;
 inuafisset: neq; enim solus humorum affluxus sanum
 alioqui membrum tandiu torqueret, imò temporis
 successu, vel natura, vel ars, vel utraq; simul materiã
 concoxisset, & excrementa expulisset, ac membrum
 corroborasset, sicut quotidie fieri videmus in omni-
 bus morbis, substãtiali membri temperatura adhuc
 permanente. Ergo hic duo vidit autor, quæ necessa-
 riò se inuicè consequuntur: primum, cerebri tempe-
 raturam ad præternaturalem frigiditatem esse colla-
 psam: secundum, humoris frigidi redundãtiam, quæ
 semper membri frigiditatem & infelicem imperfe-
 ctamq; concoctionem sequitur. Hæc duo cum ani-
 maduertisset, & tanquã scopos sibi proposuisset, ad
 hos potissimum cœpit dirigere materiam composi-
 tionis: & cum sciret, quotiescunq; coniungitur præ-
 sentia humoris cum intemperie in essentia membri,
 non solum remouendã intemperie, sed etiam mate-
 riam defluxã vel ibi genitã esse euacuandã. Pro eua-
 cuatione igitur materiæ, quæ proculdubio frigida
 est & pituitosa, vertitur ad cõmunes intentiones, ad
 quas verti solent & debet qui pituitosam materiam
 euacuare proposuerunt. Sunt autem illæ numero qua-
 tuor: cõcoctio, incisio, abstersio, apertio. Hic autem
 concoctione intelligo propriè dictã, vt omnes me-
 dici & philosophi recta sentiètes intellexerunt, & non
 illam metaphoricam, & per similitudinem, quam plu-
 res aberrantes medici conceperunt. Coctio autem
 propriè dicta, vt definitur ab Arist. quarto Meteor.
 est perfectio à naturali & proprio calore in passiuis
 contraiacentibus, id est, in materia concoquenda.

Medici igitur in hoc sicut in reliquis omnibus naturam imitantur: natura autem quencunq; redundantem humorem in corpore animalis inuenerit, nisi ita putrens extraneusque fuerit ut nullo modo coctionem recipiat, semper ante expulsionem coctionem tentat, ut per huiusmodi coctionem, quicquid in materia utile fuerit, totum id concoctum pro alimento seruetur, reliquum verò inutile excrementosumque; depellatur. Inconsultè enim & imperitè ageret natura, si cum materia adhuc cruda est, siue in venis, siue in alia parte corporis cum sanguine vel cum laudabili humore permista, quæreret eam nulla facta separatione expellere & euacuare. Ergo & medicus arte expulsiurus materiam hanc ipsam, coctionem quam diximus, prius tentat: nam incidere, crassè facere, attenuare, abstergere, non est aliquo pacto concoquere, ut imperiti putant, sed materiam præparare, siue ad coctionem, siue ad expulsionem: & qui huiusmodi actus coctiones appellant, non possunt ob imbecillitatem intellectus operationem naturæ discernere. Ad propositum igitur redeuntes, dicimus autorem huius antidoti euacuaturum pituitam quatuor cogitasse, coctionem, incisionem, absterisionem, aperitionem. Ac primò quidem coctionem, ut separaretur quod utile est ab excrementoso. Incisionem, ut quæ crassa materia est, & ideo coctioni expulsionique inepta, attenuetur, & ad minima diuidatur. atque hac ipsa eadem ratione etiam absterisio conuenit, scilicet ut materia illita, & suo lentore membris impacta, commodè vel concoqui vel educi queat. Quomodo autem, ubi facta cõcoctio sit, & excrementum quantum in se est fuerit excretioni paratum, euacuatio facilis consequetur, nisi viæ præparentur & aperiantur, per quas aptè possit excerni? Neque enim aliud

aliud admonebat Hippocrates in Aphorismo, Corpora ubi purgare volueris, oportet prius fluida facere, quàm huiusmodi viarum præparationem. Aperiendę igitur sunt vię, quod erat autoris nostri quartum cõsilium. Sed quibus medicinis adiuuatur concoctio? profectò (vt bene ostenditur lib. v. simplicium) cum his quę non excedunt primum, aut ad summum, gradum secundum caliditatis, & cum calore humiditatem habuerint temperatam, ita vt licet excedat calorem innatum, vel altero gradu, eidem tamen calori assimiletur, neque aduersetur, sed potius adiuuet ipsum imbecillum: tale est chamæmelum, althæa, malua, crocus. & si aliqua medicinæ humiditatem non habuerint, & in earum substantia fit lentor & visciditas, huiuscemodi visciditas humiditatis locum supplebit, scilicet ne calor diffletur, aut per halitum discutiatur, sed in seipso contentus augeat concoctionem: talis est myrrha, bdellium, styrax, & reliqua huiusmodi, quę præcipuè conueniunt concoctioni materię crassę & pituitosę. Incisioni autē idonea sunt (vt toties diximus) quę tenuissimę sunt substantię, cum caliditate & siccitate tertij gradus: tenuitas enim ad incisionem primò & per se necessaria est, nam nec incidere aliquid potest, nisi penetret, nec penetrare, nisi tenuis sit substantię: & ideo calidum adiuuat quidem ad incisionem & penetrationē, sed non est necessariū, nam & multa frigida validissimè penetrant & incidunt, ob hoc tantum, quia tenuis substantię sunt, vt acetū, & succus limonū. Abstersioni verò simili modo etiam conueniūt quę tenuis siccaq; substantię sunt: si enim abstergere debent, oportet vt quadatenus penetrēt: lōgè tamē minor tenuitas requirit abstersioni quàm incisioni: nam quę incidunt, totum corpus penetra-

re oportet, ita vt prorsus partiũ fiat separatio, & solutio continui: secus verò faciendum in abstersione, sufficit enim vt quod abstergere debet, primam tantum superficiẽ pertranseat, & inde sordes illitas vel impactas exiccet: quod non faciet, si statim totũ corpus penetret & incidat, sed potius si parti abstergenda adhæserit. Quod aduertentes fullones, in sapone conficiendo cineres & succos herbarum abstergentium olei lentore coërcent, scilicet ne nimia subtilitate pertranseant, & potius incidant quàm abstergant. Ergo tenuitas abstergentium debet esse moderata, præcipuè si fuerit adiuncta caliditati: nullum enim habet frænũ tenuitas substantiæ coniuncta calori. Ideo omnia amara quæ calida sunt, abstergunt, quoniam fundantur in substantia terrestri crassa, ita vt nec caliditas sua, nec siccitas possint ad profundum penetrare, & diuidere aut incidere, sed coguntur inhærere, vbi transuerint superficiem corporis abstergendi. Non ita autem euenit tenuibus medicamentis, quorum tenuitati frigiditas copulatur: vbi enim talia corpori animalis applicantur, quantum habent in tenuitate substantiæ vt profundissimè penetrent, tantum ab innato calore repelluntur frigidam substantiam abhorrente: & inde est quòd talia possunt & incidere, & abstergere: abstergunt quidẽ vbi occurrunt membro animalis viuo & repellenti substantiam frigidam, quæ cogitur adhærere & abstergere: incidunt verò vbi occurrunt inanimatæ substantiæ, quæ non resistit. Et inde est quòd succus limonum occurrès humori pituitoso, incidit ipsum egregiè, imò vt aiunt, vim habet ferrũ quoq; dissecandi: vbi verò occurrit membro animalis viuo, abstergit tantum, & nõ penetrat & incidit, sicut piper & reliqua tenuia calida. Acetũ tamen magis incidit quàm abstergat,

abstergat: & hoc bene habet secundum rationem dictam, namq; in aceto est aliqua substantia calida adiuvans ad penetrationem & incisionem, vt autor est Galenus secundo simplicium. Et hæc satis de viribus medicinarum concoquentium, incidentium, & abstergentium. Supererat quartum genus aperientium. Primum igitur sciendum, quæ aperiunt necessario calida esse debere: nam calidi est aperire, frigidi constipare. Sed cum aperientibus utamur, vt meatus clausos constipatosq; referemus, meatusq; ipsi duabus rationibus constipari queant, vel qualitate quapiam adueniente quæ astringit, vt alumen, vel materia crassa, aut viscosa, aut multa, ductum eorum obturante, de prima hoc loco non intelligimus, sed de secunda. Hanc igitur obstructionem siue sit à viscida, siue sit à crassa, siue à multa materia, non poterit caliditas tenuis substantiæ & velocissimi transitus aperire, nam talis potius incidet, & viam sibi violentam faciet in materia obstruente. Ergo indigebit caliditas aperiens, substantia terrestri crassa, quadantenus tamen à calore concoquente attenuata, ita vt penetret quidem, sed tardè: & ea tarditate sua innata caliditas attenuet, concoquat, discutiat materiam in loco obstructo impactam, & adhaerentem. Et ideo amara vim habent maximam propriamq; aperiendi, non tamen quælibet amara, sed ea tantum, quæ parum aut nihil habent de substantia terrestri crassa frigida adstringente: talis enim substantia impedit transitum aperiendi necessarium. Ideo quæ huiusmodi sunt, potius abstergunt, ob rationem paulò supra dictam, sicut absinthij, rhabarbari, aloësque substantia. Cuius rei signum est, quòd si talia infundantur, vel succus eorum exprimatur, efficiuntur aperiendo quidem efficacissima, sed corroborando parum idonea, scilicet

cet quoniam partem frigidam terrestrem astringentem ob infusionem vel expressionem amiserunt, calidam verò tenuem penetrantem amaram retinuerunt, quæ tamen substantia calida non ita tenuis est vt incidentium: est enim quod amarum facit, terreum adustum, non subtile igneum, sicut est in incidentibus. Et hæc satis sint pro quatuor consilijs ad localem particularemq; euacuationem materiæ frigide in capite existentis legitimè faciendam. Superest vt euacuato capite téperatura frigida emédetur: & quoniam ea frigiditas intensa ac pertinax est, vt indicat longitudo morbi & curandi difficultas, & extremis morbis extrema remedia adhibenda sunt, ideo calefacientia meritò applicabuntur, quæ ad tertium & quartum gradum accedant. Cùm verò à tot intensè calidis cerebrum etiam exiccetur, & inde vigiliæ ac tabes orientur, ideo vt somni etiam ratio habeatur, voluit autor admiscere huic medicamento opium & narcotica, quæ hunc ipsum vsum habere in hoc medicamento & alijs consimilibus expressè indicauit Gale. primo antidotorû, Antonini exemplo, qui sublato à theriaca opio, in maximas vigilias incidit. Hæc igit quæ hætenus exposita sunt ad hanc antidotum rectè conficiendam, sufficerent, si nihil aliud exposceremus, nisi vt præsens capitis affectus tolleretur. Sed quoniam in tam artificiosa compositione non tantùm capitis curatio promittitur, sed etiam præseruatio, ideo aliorum quoq; membrorum, non capitis tantùm ratio meritò habenda fuerat: ab illis enim perpetuò exhalant vapores, fouentq; mirum in modum omnes capitis affectus. Ergo & reliqua mēbra spectare oportebat, vt singula proprios actus ritè exercerent, & collecta excrementa ad regiones magis congruas quàm ad caput depellerent.

Ergo

Ergo in stomacho & hepate, quæ sunt prima instrumenta naturalia, tres potissimum virtutes erant corroborandæ, quæ concoquit, quæ retinet, quæ excernit alimenta: vbi enim hæc rectè fient, etiam cõgrua attractio consequetur. Concoctione fieri cum moderatè calidis, iam didicistis. Retentio fit cum rebus astringentibus: tales oportere esse sapore acerbo aut austero, substantia terrestri, frigida, crassa, in simplicium methodo ostensum est. Excretio iuuatur plurimis quidem alijs instrumentis, sed non parum abstergentibus & mordicantibus, vt secundo & tertio facultatib. naturalibus. An hæc omnia rectè peracta sint, in simplicium ingredientium explicatione apparebit. Cæterùm in venis quoque, renibus, vesica, vtero, splene, musculis, cute, & intermedijs vacuitatibus quotidie aggregantur excrementa, quæ nisi sedulo educantur, molem effatu dignam successu temporis contrahunt, vnde postea plurimæ oriuntur ægitudines. Ergo ad venas quidè purgandas diuretica propriè dicta cõueniunt, quæ sunt calida & sicca in tertio, vt ex meth. simp. colligitur: illa enim (vt ibi docetur) à sanguine excrementum sua incisione eliquant & separant, & ad renes deducunt. Sed ad renes & vesicam purgandam conueniunt diuretica impropriè dicta, videlicet quæ substantia humida, liquore tenui & facili penetrante, & post penetrationem efficaciter abludente & abstergente, sicut est vinum album tenue, & decoctum seminum althææ, cucumeris, melopeponum, capillorû Veneris, & aliorum huiusmodi, quæ omnia in simpl. meth. diligentissimè ostensa sunt. Vtero expurgando eadem penè conueniunt, quæ ad urinam propriè ciendâ diximus, nisi quòd longè præstant quæ quadantenus amara odoratæque fuerint, quoniã amaritudine sua vias obstructas

potentius aperiunt & odore corroborant spiritum, & languidum calorem reuocant. Nec multum dissimilia lieni conueniunt. Musculos autem, & medias vacuitates expurgat quæ tenuissimæ substantiæ sunt, calida & aperientia. & hæc omnia qualia esse oportet, iam satis ostendimus. Verum vt exactissima sit hæc antidotus, nõ membrorum tantum naturalium & capitis ratio fuerat habenda, sed etiam cordis: à corde enim spiritus vitalis & calor naturalis per singulas quasque partes perpetuò diffunditur: vnde eo deficiente, vel malè affecto, necesse est omnes corporis partes aut deficere, aut malè habere. Cordi ergo prouidendum fuerat, tum cum odoratis spiritum & calorem recreantibus, tum cum his quæ à forma specificæ operantur. Nunquid igitur hæc omnia sint ab autore diligentissimè obseruata, in explicatione simplicium ingrediētium proximè videbitur, quod erit tertium caput à principio propositum. Et vt breuitati studeamus, neq; bis idem frustra repetatur, nõ describemus totam antidotum continuato sermone, sed singula simplicia seriatim recensebimus eodem ordine, quo posita sunt: & vbi discrepabit descriptio modernorum à Græca & antiqua, notabimus & admonebimus. Asarum est calidum & siccum vsque ad tertium gradum, habet tenuitatem substantiæ, habet saporem acrem, qui acris sapor apud modernos dicitur garbo: sed ego intelligo acutum & pungitium, vt gingiber & piper: sic habet asarum acrimoniã, sicut piper: est odore iucundo, habet præterea amaritudinem quæ fundatur in terrestri substantia crassa. Ex iucundo odore indicatur bona concoctio substantiæ igneæ: ex acrimonia saporis indicatur notabile dominium caloris in substantia tenui: ex amaritudine indicatur crassitudo substantiæ terrestris. Ergo asa-

go asarum, quod simplex appellatur, non est absolute simplex, sed habet diuersitatē substantiæ, tenuem scilicet & concoctam, calidam igneam, vt notatur à sapore & odore, ita tamen vt sapor indicet caliditatem & tenuitatem substantiæ principaliter, odor vero indicet perfectam cōcoctionem. Ergo ex his qualitatibus primis & secundis sequuntur tertiæ & quartæ. Tertiæ sunt, quòd abstergat asarum ratione suæ amaritudinis, quòd adstringat ratione suæ substantiæ crassæ terrestri, quòd incidat ratione suæ acrimoniæ & caliditatis ad tertium gradum & tenuitatis substantiæ. Quantum ad quartas virtutes, quòd corroboret stomachum, quia astringit & abstergit: quòd aperiat obstructions hepatis, quia abstergit & incidit: quòd prouocet vrinam, quoniam incidat & calidum sit vsq; ad tertium gradum: quòd prouocet menstrua, quoniam est amari saporis, crassæ substantiæ, & aperiendi facultate pollens. De opobalsamo. Succus balsami tenuissimarum partium est, & ob multam tenuitatem substantiæ decipit medicos, qui propterea credunt ipsum esse calidissimum, quoniam re vera multum calefacit & exiccat. Sed hoc non facit ratione suarum qualitatum, sed ratione substantiæ, quoniam tenuissimus: sicut etiam facit acetum, quod quidem maxime refrigerat, nõ quòd frigidissimum sit, neq; enim excedit primum gradum frigiditatis, sed quoniam tenuissimæ substantiæ est, multum penetrans, & propterea multum refrigerans: & hoc admonuit Galenus cum alibi sæpe, tum vndecimo simplicium, cap. de castoreo. Et hæc de succo balsami. Lignum verò ipsius, quod appellatur xylobalsamum, & fructus, qui appellatur carpobalsamum, recedunt à succo in tenuitate substantiæ: fructus tamen vel carpobalsamum magis abstergit & minus

exiccat, & coctioni magis idoneum est, ideo tussientibus, catarrhis, epilepsia, vertigini magis confert: quibus omnibus in hac antidoto indigemus. Bene igitur hoc loco ponitur ab autore. Hyoscyamus, seu vt Moderni, iusquiamus albus, id est, qui albo flore constat, eligendus (nam reliqui duo, niger inquam & flauus, venena sunt) frigidus in tertio. Vbi sciendum, quæ in tertio & quarto frigida sunt, sed præcipuè in quarto, potius exiccare quam humectare: & ratio est dicta à Galeno, I I I I. de simpl. med. cap. I I. quoniam scilicet frigidissimū excedens exhaurit humidū comprimendo, & diuellit cōtinuum. Contingit tamen quandoq; humectare non per se, sed per accidens, vel per aliud, scilicet aut propter plurimam humiditatē, id est, humorem aliquem crudum substantiæ frigidaæ adhærētem, vel propter extinctionem caloris, ad quam potest sequi humiditas, vel quia ibi non est caloris præsentia exiccans, vel quia excrementosa humiditas augetur ex cruditate. Propterea Galenus primo de temperaturis in principio ait, Opium refrigerare & exiccare. Et in V I I. & V I I I. de simplicibus tam de papauere quàm de hyoscyamo loquens, gradū quidē ponit in refrigerando tertium & quartum, in humectando verò nullum. Garyophyllum, vt gustus ostendit, & Paulus etiam attestatur, calidum & siccum in tertio est, & ex tribus substantijs diuersis constat: vna insigniori calida & tenui, quod acrimonia demonstrat: & alia calida & illa quidem, sed crassa terrea, à calore quadantenus extenuata, quod ostendit amaritudo: habet & tertiam crassam terrestremq; quam non euicit calor, & hoc indicatur à sapore astringente. Si igitur Garyophyllum gustaueritis, apertè hostres sapes deprehendētis, acrem primò aduren-

tem linguam, amarum, & astringentem. Ex quibus sequitur per methodum vobis propositam, conuenire stomacho & hepatis, propter suam astringentem & amaritudinem: aperire quæ sunt aperienda, propter amaritudinem & crassitudinem substantiæ: incidere, propter caliditatem & tenuitatem. Est etiam illi sapor iucundus, ex quo elicere potestis ex methodo, vim quoque illi inesse spiritus recreandi, & consequenter cerebro & cordi consulendi. Et quoniam in omnibus suis substantijs dominatur siccitas, habetis ipsum conferre nervis & ossibus, & omnibus membris in quibus abundat excrementum. Opium propter multam frigiditatem, quam habet in quarto gradu, à tota substantia rebellis est calori naturali, spiritibus tam animalibus quam vitalibus, quam etiam naturalibus, si naturales sunt, prout reuera sunt. Quo fundamento posito relinquitur, in opio vim esse mortificandi, stupefaciendi omnem sensum, sistendi ac retinendi omnem fluxum, crassificandi, atque (vt vno verbo dicamus) impediendi omnem motum facultatum animæ, & inducendi quietem: dat enim viam & aditum ad mortem obeundam. Myrrha habet quidem in se plurimam amaritudinem, cuius ratione plurimum abstergere deberet: sed ita moderatur abstergio ab emplastica substantia, qua plurimum redundat, vt abstergat absque vlla mordicatione: propterea & ocularibus, & arteriacis medicamentis adhibetur, & ad omnia quæ abstergi & exiccari debent sine mordicatione. Cyperi radix, quem angularè iuncum vocant, insignem in se habet siccitatem: quod quidem ita esse, si quis eius effigiem contemplantur, ex solo intuitu facile deprehendet: caliditatem verò habet moderatam, vt primum gradum non pertrahat. Ex eius verò gustu deprehenditur, non multum astringente,

neque amaro, habere tenuitatem substantiæ, cum leui tamen astrictione, quoniam & leuiter astringit gustum: sed astrictio leuis, vt toties didicistis, cum tenui substantiæ adiungitur, non impedit transitum medicinæ, sed potius adiuuat. Ex his igitur colligitur ex methodo, quid possit in tertijs & quartis virtutibus: exiccat enim validissimè quantum ad tertias attinet, & abstergit sine mordicatione: quantum verò ad quartas, vlcera glutinat, calculos frangit, vrinam & menstrua prouocat, & reliqua huiusmodi, quæ ex primis & secundis suis facultatibus facillè elicere potestis, si methodum nostram de simplicibus rectè legistis, vel legetis. Cinnamomum, quod non habemus verum, sed cassia pro eo vtimur, calidum & siccum est in tertio: in tenuitate verò substantiæ quandam antonomasiam & excellentiã præ reliquis omnibus aromatibus habet. Sequitur ex hoc fundamento per methodum, vt maximè exiccet, maximèq; calefaciat, longè etiam magis his, quæ parem habent tum caliditatem, tum siccitatem, scilicet ratione suæ tenuitatis. Ergo cum ita tenue sit, & in eo gradu caliditatis, pollebit mirum in modum incidendi vi: & propter maximam vim exiccandi, maximè prohibebit putrefactionem. Cassia, qua vice cinnamomi vtimur, parem habet gradum in qualitatibus primis cum cinnamomo, in substantia tamen crassior est, & gustanti diligenter, gustu est manifestè astringenti: ideo non tam facillè penetrat, vt cinnamomum, nec tam facillè exiccat. Vnam tamen habet facultatè cinnamomo præferendam, videlicet quòd magis corroborat stomachum, & membra naturalia: in reliquis omnibus longè inferior est. Iurè igitur præcipitur à Galeno, vt deficiente cinnamomo, vice eius duplo cassiæ utamur. Folium malabathri ponitur à Galeno viribus simile

simile omnino nardo. Cùm ergo folio prorsus careamus, ne in re vana occupemur, ad nardum tutò transibimus. In nardo, id est, spica, caliditas est moderata, vt gustanti facìle apparet: neque enim linguam alterat gustâtis ad sensibilem caliditatem. siccitas in secundo gradu, sapore quadantenus amaro, cum acerbo vel austero: ex quo sequitur, substantiâ quoq; illi adesse crassam & terrestrem à dominio. Et ex his primis & secundis suis qualitatibus colliguntur tertiâ & quartâ. Tertiâ, quòd potest abstergere ratione amaritudinis, quòd potest adstringere ratione austeritatis. Quartâ, quòd conuenit stomacho & hepati, sed hepati longè magis: ratio, quoniâ stomachus tum indicatione sumpta ab eius substantia, quæ sicca est, tum à suis excrementis pituitosis admodù & humidis, indiget rebus valde exiccantibus, sicut est absinthium & aloë: hepar verò cùm neque substantiam habeat ita siccam, sed humidam potius, neq; ita redundet excrementis, non indiget tantùm exiccantibus. Conuenienter ergo spica magis còueniet hepati, quàm stomacho: è conuerso autem aloë & absinthiũ magis stomacho quàm hepati. Habet præterea nardus odoris iucunditatem, qua vim habet spiritus recreandi, propterea & capiti & cordi conuenit.

Zadura, quam nunc Zedoariam vocant, vt gustanti apparet, proculdubio calida est & sicca in tertio: seruet enim gustu, quod propriũ illius gradus est: licet moderni in secundo tantũ gradu posuerint, qui gradus non sine ratione deprehendi potest, vt in fine v. de simp. med. & nos etiam in methodo nostra tradidimus. Tenuissimæ substantiæ est, vt duo indicant: primũ, quòd gustanti nulla apparet astrictio: secundum, quòd vis eius & calor facìle penetrat ad profundum, & facìle etiam exhalat & dissoluitur. Ex his

apparet, quòd in tertijs virtutibus vim habeat incidendi: in quartis posset discutere omnem flatum in quacunq; parte fuerit, propterea vtero maximè confert, colicis & diuturnis stomachi inflationibus confert, & omnino concoctionem adiuuat. Aiunt etiam conferre venenatorum morfibus: quod si verum est, videndum faceré ne id possit à caliditate sua veneni vim exterius euocante, sicut & multa facere videmus, an potius à qualitate occulta & forma specifica. Hac occasione ducti nostrarum ætatum medici, quòd scilicet venenatorū morfibus prodesse zedoiriam legerint, illa ad pestilentes status passim vtuntur. Zingiber calidæ quidem substantiæ & feruentis est, non multò infra piper, sed non ita apparet primo occurfu, ratione humoris cuiusdam recrementitij, quo plurimū redundat, veluti piper longū, ideo & vtrunq; teredinem sentit. Quæ autem talia sunt, sicut tardius calefaciunt, ita cū ad actum ducta fuerint, pertinacioré inducunt calorem, nec tam facile exhalabilem, sicut qui à tenui & sicca substantia procedit: euenit enim illi quod flammæ à paleis excitatæ: qui verò calor à re humida educit talis est, qualis à lignis viridibus: hinc calor nasturtij, sinapis, thapsiæ, cantharidum, pertinacissimus exurensque est, quoniam in plurimo humore excrementitio fundatur. Calor igitur à zingibere pertinacius quidem hæret, non tamé vt nasturtij: ideo confert stomacho & coctionibus, & totum corpus calefacit. Cū in corallo insit vis exiccandi manifesta, & astrictiōnem habeat, vt gustanti patet, neq; in eo aliquod signum caliditatis appareat, necessariò sequitur quòd sit frigidus & siccus cum crassa substantia, non multum tamen excedit primū gradum frigiditatis. Ergo in causa calida conueniet, vbi astrictiōne & corroboratio-

ne indigebimus, vt in æstuâte stomacho, sanguinem biliosum reijcientibus, dysentericis. An verò collo suspensum tam mira possit efficere, vt scribitur, aduersus omnes stomachi affectus, syncopas, vermium & vteri præfociones, alijs considerandum relinquo: de hoc enim vidi experientiam, vt etiam de suspensione pœoniæ, videlicet nihil prorsus neque iuuare, neq; nocere: quamuis Galenus tantum nobis persuadere conatus fuerit, se etiam testem aduocâs de virtute pœoniæ. In tragacantha nullam esse caliditatem insignem sensus ostendit: inest tamen illi vis exiccandi: à substantia autê viscida & lenta, qua pollet, vim habet emplasticâ non mediocrè: ex quibus qualitatibus sequitur, posse obtundere acrimoniâ, lenire quæ sunt aspera, & sistere omnè fluxum. Thuris quatuor partes in vsu medicinæ veniunt, ipsam gummi, cortex, lignû quod dendrolibanû Græci appellant, manna. Quantum ergo ad gummi attinet, sapore est moderatè amaro & subastringenti: ex quibus saporibus sequitur per rationem methodi, calidum esse circa secundum gradum. Substantia verò illi inest, vt sensui apparet, viscida & emplastica, quæ indicat in eo dominari etiâ partes acris aqueis & terrestribus admixtas: non ergo transibit primum gradum siccitatis. Quibus stantibus sequitur ex methodo, vt ratione amaritudinis vim habeat abstergendi: ratione verò subadstrictionis paruæ, vim modicè corroborandi & exiccandi: imò propter caliditatem secundi gradus, lentorè substantiæ & moderatam exiccationè, non mediocriter cõcoquere potest materias crassas & coctioni rebelles, & obtundere etiam acrimoniâ ratione emplasticæ substantiæ, si modò meministis quæ in methodo dicta sunt. Ergo vlcera sordida absterget, quoniâ cõcoquit, & medio

criter exiccat: carne replebit, scilicet vlcera, secundum dogma Galeni lib. 111. therap. & quoniam sine mordacitate abstergit & exiccat: cicatricem quoque inducet. Et cum sit seorsum tam multiplicis usus, sequitur ut varijs rebus admixtum, varias vires acquirat: nam si cum lacte miscetur, sedatius dolorum efficitur, qui mordicatiui appellantur, ob acrimoniam humorum contingentes, ut sciistis in methodo dolorum à nobis tradita. Si cum aceto & pice illinatur, asperitates cutis, vitilignes, & lepras sanat, ob maximam vim abstergendi, & exiccandi, & incidendi, quam ex aceto & pice acquisiuit: vitiones præterea ignis, & perniones frigore contractos, cum adipe porcino & anserino tollit: lenit enim & temperaturam siccam inductam ab excessu frigoris vel caloris: nam humidum siccando, siccitatem inducit: mollit & recreat, ac simul acrimoniam humorum sedat, & vlcus mundificat & incarnat: atque ita prout varijs admiscetur, varia potest, quoniam in medio multarum virtutum est constitutum. Et hæc sit vobis via, ex primis qualitibus in medicamento repertis, semper indagari tertias & quartas facultates, quarum ratione primæ & secundæ considerantur, hoc est circa qualitates & sapores. Cortex habet & ipse easdem cum gummi vires, longè tamen efficacius astringit: propterea in dysenterijs, & sputo sanguinis, & vbiçumque astrictione indigemus, semper est præferendus. Dendrobium verò cum ponatur calidum & siccum in tertio gradu, admirari debetis quomodo à Galeno dicatur purgare & replere posse vlcera oculorum: si enim indicatio curandi sumatur à natura membri, oculus (ut ipsemet Galenus asserit) humidus est & aqueus & valde sensibilis, ideo non illi cõueniunt calida & sicca in tertio, tum quia nimis calefaciunt &

exic-

exiccant, tum quia mordicant: quæ autē nimis exiccant vel mordicant, poterunt quidem fortasse vlceribus valde sordidis etiam oculorum conuenire, replere autem & carnem generare nullo modo poterunt, si modò vera sunt principia, quæ etiã Galenus ipse ponit in 111. methodi. Est etiã suspicio, ne hoc loco sibi id Galenus cõminiscatur: cùm enim medicamentorum vires semper ex Dioscoride referat, vt patet mediocriter exercitato, & hoc tantùm addat vt ad methodum cogat deducere quęcunq; Dioscorides indistinctè protulit, hic dendrolibano apertè tribuit quæ Dioscorides non dendrolibano, sed ipsi thuri assignauit, ita vt etiã ijsdem verbis vtatur ad dendrolibanũ translatis, quæ de thure dixit Dioscorides. Si igitur dissentire à Dioscoride volebat, assignanda erat aliqua ratio, & contra Dioscoridem disputandum, vt alibi facere non veretur. Sed hoc factis sit tetigisse, vt vos quoq; animaduertatis. Mannam afferunt coccos seu granula quædam thuris esse, quæ cùm affertur thus, ex collisione & attritu separant permixta ex cortice & gummi, ideo & utriusque facultatem possidet. Si Saluiam diligenter gustaueris, percipies primò moderatam quandam astringentem, postea acrimoniam, quæ tamen non accedit ad hoc vt planè mordicet linguam, sicut origanum, serpyllum, nepeta, & reliqua huiusmodi: at si diutius sub lingua continueris, tunc astringentia non mediocris occurret. Ex his patet calidã esse saluiam vel in fine secundi gradus, vel in principio tertij, si modò memineris quæ in methodo nostra simplicium, & v. de simplicibus dicta sunt: siccam verò in tertio completo. Patet præterea ex substantia duplici constare, altera tenui calida, vt testatur acrimonia, altera crassa terrestri frigida, vt indicat astringentia. Ergo ca

lida substantia tenuis adiuuabit vt penetret ad profundum:frigida terrestris exiccabit,astringet,corroborabit.Tota igitur substãtia pota vel illita mirè valet ad fluxus omnes præcipuè sanguinis sistendos,& membra firmanda. Ideo ad continendos fœtus utilissimè comeditur ante cibum,& ad hos qui ex alto ceciderunt, aut flagellis vel fustibus cæsi fuerint, efficacissima est:tussibus prodest, catarrhos sistit,& vlcera maligna ac fistulas exiccat,purgat,& sanat.Si verò decoquatur,retinet quidem decoctum,exhauritq; à Saluia partes omnes tenues ac calidas,multas verò terrestres crassas ac frigidas derelinquit, quas non potest excoquere.Ideo bibitum hoc decoctum, vrinis & mensib. prouocandis mirū in modum confert.Nec minori vtilitate ad capillos tingendos illinitur,scilicet quoniã sua caliditate & siccitate absomit quicquid pituitosi in pilo est, & eundem sua vi astringente densat, firmat,robustiolemq; reddit,ne tam faciliè pituitosa excrementa recipiat. Imò etiam putredinem prohibet,quæ non leuis causa est vt canni oriantur. quibus scopis & succus nucum & garyophyllum ad hunc ipsum vsum adhibentur, vtrunque enim istorum hac ipsa ratione capillos tingunt. Hac via si processeritis, ex primo gustu medicinarū reliquas omnes virtutes deprehendetis, neque vnquã vos fallat hæc methodus, nisi vos gustãtes decipiãmini. Meu radices, quibus vtimur, gustanti acerrimæ sese offerunt, non statim tamè, sed vbi aliquantulum eas dente contriueris:& hoc euenit ob plurimam earum humiditatem excrementitiã. Propterea si comedantur virides & recentes, capiti admodum sunt insensæ, ob multitudinẽ acrium vaporum ascendentium: quod vitium arefactæ maxima ex parte amittunt. Quantum ad sãpores attinet, nullum se

rè præter solam acredinem in hac radice percipies. ergo fatendum illam tenuis esse substantiæ, calidæ igneæ, cum qua nõnihil aqueę quoque excrementi- tæ admiscetur. Non mirũ igitur si talis existens, ve- ficæ & renũ obstructions aperiat, & urinæ difficul- tatibus profit tam intrò sumpta, quàm exterrus illi- ta, ac tantundem flatus vbicunque existentes excu- tiat, atque eadem ratione menses educat.

CONSULTATIONVM MEDICINA-
LIVM PRIMÆ CENTV-
RIÆ FINIS.

*Consult. CI. Pro hydropico ex ascite
cum tympanite.*



Abemus hominem qui fuit Cursor, & prius incidit in anginã, quę vexauit eum per 40. dies. Est valde prudens, vt mihi videt, inter eius ordinis homines: quia audiuit vinum non conuenire, abstinuit à vino per duos menses: quia verò sitijt admodum, multũ aque bibit, in quo nõ satis fuit prudēs: & iam vñdecimus est dies, ex quo incidit in tumefactionem pedum, & ventris inflationem. Credit se melius habere, cum non appareret tumor adeò magnus in pedibus: sed deterius habet multò, quia materia ascendit ad ven- trem, & percipit ex motu velut fluctuationem quan- dam, & videtur initium esse veræ tympaniæ, & ascit- tæ: plerunq; enim iunguntur ista. Tympaniam non possum deprehendere ita manifestè hodie, vt heri ex ventris inflatione. Sed quibus ex causis oritur? Ana- sarca fit, quoties intèperies est in venis & hepate, si- ne aliquo alio insigni nocumẽto. ascites verò & tym-

panites fiunt, quando sunt obstructions in hepate, mesaraicis & splene, vt cibus nō possit reddi per omnes partes. Et semper fiunt istę duę species cum obstructionibus insignibus. Vidi Venetijs religiosum quendam ordinis Prædicatorij in hospitali S. Ioannis & Pauli, hydropicum ex ascite & tympanite, qui fuit curatus. Adfuerunt mecum excellentissimi medici plurimi, scilicet, Papiensis, Eugubinus, Trincavella, & alij. Habebat is, vt dixi, ascitem cum tympanite, & tabē cum febre hectica: oportebat tum exicare & humectare: quare eramus in maxima discordia. Ego volebam vt multūm biberet, sed quę aperirent, quia habebat plurimas obstructions. Præterea vt humectaretur, quia ad tabem peruenerat. Ordinabam ego syrupum acetosum, cum omnibus quę prouocant vrinam. Eugubinus nolebat quicquā esse bibendum, & narrabat de quodam historiā, qui per sicca fuit curatus. Papiensis, vt litem dirimeret, conclusit, neque liberaliter, neque omnino nihil esse bibendum. Res extrahebatur vsque ad noctem, deducebant nobiles vnumquenq; Medicū ad suam cymbam. Ibi tum Papiensis, quod antea dissimulauerat, conuersus ad Magnificum quendam, dixit, si vultis curare hunc Dominum, profectō non aliud erit faciendum, quā quod consuluit Baptista Montanus. Vidi repletum quendam aqua inter cutem, qui non poterat ventrem sustinere, sed fascia ligatum continebat. Vidi aliū qui in ponte Riui alti eleemosynam petebat, mendicum hydropicū tantūm in brachio: is adeō distentam habebat manum, vt facile equaret manicas ad terram vsque demissas. Vidi etiam puellam hydropicam in gutture tantūm, vt tumor longissimē dependeret, quam curavi per incisionem. Est ergo hydrops, abscessus quidam, qui in qualibet parte

parte corporis accidere potest, præcipuè tamè in abdomine. Quantò deterius habent, tantò plus habet de aqua: & si melius, plus de vento. Est igitur tympania minus malum quàm ascites. In hoc autem nostro est adhuc plus de vento quàm de aqua, nec adhuc facta est putredo. Accipit iam syrupum acetosum, diarrhodon, ordinatum à Domino Hieronymo de Saxonia, quem non mutabimus, quia aperit & confortat: sed loco aquarum iubebimus fieri huiusmodi decoctionem:

℞. Chamædryos

Agrimoniæ

Cichoreæ

ana man. j.

Coquantur in libris duabus aquæ ad consumptionem tertiæ partis: facta expressione diligenti, feretur decoctum pro quatuor syrupis, cum syrupo ordinato à Domino Hieronymo. Item accipiat antè syrupum pilulam infra scriptam:

℞. Specierum hieræ simpl. ʒ s. fiat vna pilula.

Per agrimoniam intellige eupatorium antiquorum, non argemonem: debemus enim nominibus vti vsitatis, & habere intentionè rectam. Habebit inde hæc iuuamenta: egeret singulis diebus, aperiet, corroborabit ventriculum, cōcoquet melius, & exiccabit aquam. Agrimonia, chamædryos & cichoreum habent etiam proprietatè ad hepar: & quia obstructionem magis habet in ventriculo, singulis diebus accipiat vnâ pilulam de hiera. Quando septies, aut prout videritis, ista exhibueritis, poteritis alia maiora exhibere. Nunc nihil exterius applicetur, ne materia atrahatur. Accipiat syrupum tantum sine pilula, quia ista pilula plurimū eduxit: vnde colligere possumus, esse in concauo magnas obstructiones, quæ ventositatis causæ sunt, & imbecillis coctionis. Quare nisi

istæ ablata fuerint cum ventositatibus, nunquam curabitur. Neesse igitur est vt accipiat hieram, Præterea volo fomentum ex absinthio, cum vino potente & aceto, sine aqua, ordinare, quia volumus resolueret, vt fomentet venter cum spongia bis vel ter, deinde linimentum adhibeatur.

℞. Absinthij man. ij.

Aceti fortissimi

Vini optimi ana quantum sufficit pro fomentatione.

℞. Pulueris Cimini

Anisi

Carui

Ameos

ana 3 j.

Olei de Costo

Nardini

ana 3 j.

Cum cera fiat linimentum molle pro loco.

Tertio die abiit Montanus, & post octiduum redijt, ac proæmij loco hæc nobis retulit. In sene isto hydropicovideatur mihi malum auctum, quia intumuit vehementer, etiam facies magis est tumida, si rectè animaduertetis. Causam audietis. Cura nostra, si rectè meministis, erat directa in id, vt calefaceremus, & exiccaremus hepar, quia ex longo aquæ vsu, quam copiosissimè biberat per sex ferè menses, nimiù sese refrigeravit: obstructæ ergo viæ inter hepar & meseraicas, & facta est tympania flatû habens inter peritonæum & partes alias, quæ rarè, imò nunquã est sine aqua. Est præterea vir circa 56. vel 60. annum. Est ergo morbus frigidus, vt omnis hydrops essentialiter est frigida. Exhibebamus ergo syrupos calefacientes & aperientes, & singulis diebus vnam pilulam de hiera, vt calefaceremus, & paulatim educeremus. Præterea fecimus magistræ linimentum
ventri

ventri & pedibus, & ita in hoc puncto reliquimus patientē, & abiuimus aliò vocati, credentes ita perseveraturum eum in medicamentis ordinatis. Sed aliter factū inuenimus. Nam interim accepit succum fumi terræ, cum sero lactis, & extrà vsus est emplastris meliloti. Videamus quid ista possint, an intentionibus nostris satisfaciant. Serum lactis refrigerat & humectat, teste Galeno libro de alimen. & simpl. facult. Quamuis Mesue dixerit habere vim calefaciendi & exiccandi, sed eam admodum leuem, nec insignem. Quare & ipse vbi vult refrigerare in humoribus adustis, exhibet serū lactis tanquā aquam, (non putemus Mesuen virum certè magnum, contradixisse Galeno) quæ habet frigiditatem, actu potius humiditatem quàm potentia. Quare Galenus volens infrigidare, accipit aquam valde frigidam in synochis & causonib. & ista frigiditas potest remoueri faciliè cum aliquo simplici: nam si addat sulphur, calamenthū &c. tunc calefacit magis: vtimur enim aqua tanquam fundamēto, materia, basi & subiecto aliorum calefacientiū & refrigerantium. Tale quid præcise imaginatus est Mesue de sero lactis. Et sine dubio per se, & absolutè loquendo, voluit serum esse frigidum: sed quia à lacte vulgò separatur cum coagulo, quod est calidum & siccum, facile in se recipit istas qualitates, aut secundum Dioscoridem cum oxymelite. Credidit ergo propter adiuncta serū esse calidum & siccū, non per se. Et ita est cōcordandus Mesue cum Galeno, neq; propterea est mendacij arguendus, sed propriè cōfusus est dicēdus, quod proprium est Arabum: nam omnes Arabes potius sunt confusi quàm mendaces, quia procedunt cōfuse, aut quòd ea quæ bene intelligebāt, nō poterāt exprimere, aut q̄ malè versi & translati sunt. Certè Mesue

non debbat absolutè dicere serum esse calidum & siccum, sed distinguere, scilicet, serum præparatum secundum modum Dioscoridis, aut etiam vt nos facimus, esse aliqua ex parte calidum & siccum, licet in se sit frigidum & humidum. Sed si non vis conciliare ipsum hoc pacto, crede magis Galeno, principi Medicorum, qui & distinctè loquendo, apertè serū frigidum esse ponit. Non ergo dandum fuisset, vbi calefacere & exiccare oportebat. De fumoterræ nullus certus est gradus à Galeno, neq; ab alijs expressus: vbi enim Galenus subticet, ibi miris modis alij cęcutiunt & contendunt: velut etiã de rhabbarbo, argento viuo, ferro, quia methodum eorum non habent, destituuntur luce Galeni. Sed nos certum gradum dabimus, vera methodo inquirentes. Gustanti apparet in fumoterræ amaritudo satis insignis, hoc est, supra mediocritatē, non tamen aloë & absinthio cõparanda, & præter ipsam nulla percipitur vis aut astringendi, aut acrimoniæ. Ergo amarus est cum aqueis partibus pluribus. Signū, quia aquositas eius videtur linguam humectare. Præterea tantilla herbulæ plurimum reddit succum, et si tantum saluiæ, calamenthij, aut absinthij sumpseris, duplo ferè plus ex fumoterræ extrahes. adhæc facilè exiccatur, & fit profusus effœta, sicca, sicut scœnū: nec retinet ea succum, sicut aliæ plantæ, quia succus eius est tenuis, subtilis: percipit igitur amaritudo cum insipiditate. Sensus autem magis percipit insensibilia intensa quàm remissa: sed aquea cùm sint insipida, non mouët sensus. Amaritudo autem est obiectū gustus, ferè vt dicit Aristoteles, vellicans, quod sumpsit à Platone. Amaritudo est ex partibus terrestribus adustis, insipiditas ex frigiditate & humiditate. Et licet plus adfit humiditatis & frigiditatis, tamen non ita percipi
tur

tur: non enim mouët sensum, nisi frigiditas valde intensa fuerit. Scimus nunc esse partes diuersas in fumoterræ, sicut in coriandro, quod & calidum est & humidum. Ratione amaritudinis fumoterræ est calidus & siccus, abstergēs & aperiens, & hæc non potest secundum gradus pertransire: nam omnis amaritudo in caliditate nõ pertransit secundũ gradum, quia per vehementissimam adustionẽ fit acris sapor. In amaris simplicibus partes igneæ potius exhalant, & remanserunt terreæ. Sic absinthium est calidum in primo gradu: succus autem eius, quia terreitas est magis remota, est calidior. Ita aloẽ nõ pertransit secundum gradum. Si ergo absinthium calidum est in secundo gradu, quid dicemus de fumo terræ, qui adiunctam habet plurimã humiditatem? Certè vix attingit primũ gradum caliditatis. In passuis autem est ferè temperatus, quia habet amaritudinem cum multa humiditate tenui: quare valde abstergit, & obstructionẽ liberat, & non calefacit: potest etiam refrigerare & humectare multa aquositate. Quare rectè dicitur abluere melancholicos humores, & conferre succis adustis, quod experientia in omnibus terris probauit: & certè experientiẽ est plurimũ fidendum. Quòd si opiniones omnes vulgi huius vr̄bis cõiungerentur, de fumo terræ, aut re alia, optimus exurgeret medicus. Quare ego consulo, vt quoties refrigerare, humectare & abstergere volueris, sumas fumum terre: non autem quando intentio occurrit calefaciendi & exciccãdi. Malè ergo hactenus factum est cum ægroto nostro. Neque emplastrum meliloti admodum facit ad propositũ nostrum, quod in duritie confert, sicut etiam cerotum cæsiipi descriptione Philagrii, vt habent Luminaria. Sed in isto volumus resoluerẽ, & etiam vnã corroborare,

rare,

rare, vt tonus membrorum maximè principalium conseruetur. Nam quando laxa sunt reddita, non possunt bene conficere alimentum: ergo & illa remouebimus. Hæc proæmij loco dicta sint hac vespera, quæ nobis valde vtilia esse iudico. Neque verò me quisquam iniquum esse dixerit in alios medicos, qui ea vobis propono & declaro, quæ recta sunt & artificiosa: nam hæc esset magna malignitas, indigna bonis disciplinis. Primùm omnia symptomata obseruate circa ægrum, postea eadem diligenter audite, si vultis proficere. Hydropicus quia habet tympaniã cum ascite, magis tamen tympanitem, est iam in manifesta declinatione: perseuerabimus tamè adhuc in nostris intentionibus, quæ sumebantur à veris indicationibus. Calefaciemus & exiccabimus hepar, & obstructions auferemus, tumore etiã ex flatu & aqua resoluemus, & euacuabimus. Quatuor ergo ista faciemus. Ordinabimus autem linimentum, non emplastrum. Sumo autem emplastrum modo moderno, quod nos cerotum vocamus: appellatur emplastrum, quia emplastra dum exiccantur, decidunt, & per lectum sparguntur, & sunt ægris molesta.

℞. Olei de costo	ʒ j.
Nardini	ʒ j. s.
De absinthio	ʒ ij.
Mastiches	ʒ ij.
Specierum diacimini	ʒ ij.

Cum modico ceræ fiat linimentum pro toto ventre

℞. Syrupi acetosi

De radicibus	ana	ʒ j.
De absinthio		ʒ s.

Detur manè sine aquis: quia humida vt aqua, nõ conueniunt vbi habemus aquam & ventum, atq; vbi aperire volumus obstructions in regione stomachi & mese-

meseraicis, oportet medicamō ibi moram facere. In radice credo quòd fuerit calidæ & siccæ temperaturæ, sicut etiam ex habitu corporis apparet & colore, qui ex malo regimine prouenit. Fuit enim cursor, & post magnam defatigationem, vt fit in tabernis, vini plurimum hausit potentis, aut etiam crassi. Collegit multū etiam adustionis, melancholici humoris, qui defedit in crure: solet enim illa loca petere propter grauitatem, vnde varices, & κακόςθη ulcera fiunt. Ex colore igitur, asperitate ad tactū, & calore etiam, ibi apparet humor adustus, qui longè aliter est tractandus, quàm superiores illi affectus, qui calida & exicantia requirunt. Nam cruribus in hac dispositione conueniunt res abluentes & refrigerantes. Optimū igitur fuerit lauare pedes sero lactis, in quo sint res abstergentes, vt fumus terræ: si verò sumptibus partant, aqua hordei cum fumo terræ, folijs boraginis, & aliquanto furfuris.

R̄. Hordei		pug.	iiij.
Fumi terræ			
Boraginis			
Endiuia	ana	man.	ij.
Furfuris		pug.	iiij.
Ebulorum			v.

Bulliāt in fitulis duabus aquæ, ad consumptionē medietatis. Vltima Maij. Cursor peius nunc habet quàm antea vnquam, quia nihil eorum quæ præscripsimus, fecit. Vrina est alba, liuida, non pallida: nam hæc esset satis bona, quia pallida & citrina, sed plumbea aut cineritia, significat frigiditatem, & extinctionem caloris naturalis. Luciditas & splendor, aliorum quæ quæ sunt in vrinæ corpore, fiunt à calore & spiritu. Ergo priuatio luciditatis indicat spirituum priuationem. Hydrops est accidens, non æ-

gritudo. Intemperies aut hepatis, & meseraicarum obstructio est ægritudo. Prouidimus ergo cum calefacientibus, aperientibus & abstergentibus, sed nihil est adhibitū. Morietur bonus senex, nisi adhibeatur summa diligentia. Potest commodè adhiberi in hoc casu, diaphœniconis, meliloti, Agrippæ. Sed quia aggrauant, & etiam exiccant, sunt ægris molesta. Lini-
mentum igitur ordinauimus, quod idem faciat. Semper est opera danda ut non tantum salutaria ordinemus remedia, quod ad morbum attinet, sed etiam grata ægrotis, & quæ minimè ipsis sint molesta. Semper cum vultis aperire, addant amara, quia ista cum fundantur in materia crassa & terrestri, moram faciunt, & obstructions aperiant: acria incidunt potius, & penetrant. Galenus fuit non dico simplex, ne putetis me Galenum reprehendere, sed bonus vir: nimio quodam studio voluit se cõformare Dioscoridi. Nam cum ille in fumo terræ dixerit vim esse mouendi lachrymas, hic etiam præter methodi rationem dicit eum habere acrimoniam.

Consult. CII. De Phthysico.



Infirmus iste in sinistra parte, perpetuo diu noctuq; à mense Septembri vsq; ad Bacchanalia, sed ad tactum non doluit, sicut mihi interrogatus respõdit. Nunc nihil dolet nisi circa ventrẽ, in affecto latere cubans doluit. Hoc præcipuũ est symptoma, ex quo reliqua dependent. Inquiramus igitur eius causas. Iste dolor vel est à mala temperatura, sine materia, vel cum materia: nõ à simplici, quia ad tactum doluit, postea multum etiam sanguinis excreuit, & cessauit dolor. Etiam si simplex mala intemperatura fuisset à principio, tamẽ diu sine affluxu permanere non potuisset.

Est

Est igitur affluxus materiæ frigidioris, quia per sex menses durauit. Sed ubi est tota materia? In parte exteriori pectoris: quia cubans in latere affecto, doluit, propter compressionem: si enim in interiori parte fuisset, non doluisset eodem latere cubans, quia materia costis incumbens non extendit locum. Quare etiam totum oppositum accidit, si in latere non affecto cubat. Dolet enim nunc locus affectus, quia materia suspèditur, si est in interiori cavitate pectoris: si verò in exteriori, quiescit sine dolore. Est ergo materia in exterioribus, intra venas ibi existentes, quæ erant tumefactæ. Nam si extra venas putruisset, aut apostema aut scirrhus apparuisset. Ergo obstructæ apertæ venæ à sanguine crasso ibi collecto, quo natura irritata, postquam se patiens præter solitum mouisset, cõpressus hominũ multitudinem, Venetijs die Iouis in Bacchanalibus agitata est materia, & postea subito erupit, & transijt per membranam succingentem costas ad pulmonem, & tandem expuit. Fuit iste sanguis purpurei coloris. Ergo à loco eductus, & crassæ substantiæ, cum sanguis à pulmone proueniens sit rubeus, spumofus & tenuis. Igitur in exteriori parte pectoris fuit prima affectio: non tamen immediate sub cute, sed in interiori parte musculorum, quia non doluit ad tactum. Et quia locus iste debilis permansit, adhuc non nihil dolet. Post sputum sanguinis natura euacuationem à loco est aggressa, sicut etiam faceret Medicus, volens se iuuare: eduxit multum sanguinis ex venis narium, quod nisi fecisset, impetus fuisset factus ad suffocationem. Non potuit autem ita exquisitè purgare, quin remanserit in pulmone aliquid: sed de hoc nihil dicemus, quia prius videbimus sputum. Tussis si non est ex sanguine in pulmone detento, erit fortè propter leuem destillationem

ex capite, vel ob cōsensum, vel est sicca propter malam qualitatem, quę infecit pulmonem, ad cuius expulsiōnem vires intendit natura. Dolor ventris est propter consensum, fortassis circa diaphragma. Sanguis est vnā euacuatus, & ita calor debilitatus, non potuit alimentū vitę conficere, nec virtus retentiuā continere quantū conuenit: quare flatus exorti dolorem inferentes: frigus in extremis, & velut horripilatio in toto est, ex vapore potius quā ex materia. Aliās horripilatio fit, quoties mala qualitas, aut humor mordax vel calidus vel frigidus, subito per mēbra sensibilia spargitur. Hic non est humor, quia fieret febris, sed est potius vapor, qui non potest exhalare. Nam si agrū corpus, nihil diffatur, nisi symptomaticē: si sanū, optimē diffatur: si mediū, medio modo se habet: & quia isti vapores non sunt tenues, quia non diffātur, sed crassiusculi, fit vt diutius hæreant, & horrorem ita perpetuò inferant. Extrema frigent ob caloris inopiam, quia sunt exanguia. Iam habet febrē, quam ego credo esse hecticā, complicatā tamen cum putrida: quia pulsus est durus, velox, frequens, & inæqualis. magnus non est, sed magnitudinem compensat frequentia & velocitate. Inæqualitas pulsus semper duo significat, aut febrē putridā, aut pulmonis affectus. Est autē ista putrida ex materia pituitosa, crassa, quam Græci *ρυφώδης*, Auicenna Laticā appellat, in qua obstruitur calor, nec potest liberè transire. *ρυφ* enim Græcis significat sepultus calor. Hodie deterius multò se habet quā heri: oportet igitur attendere euentationi & exiccationi ad prohibendam putredinē, & aperiendas obstructions. Præterea corroborandus est calor naturalis, quo corroborantur omnes virtutes. expectandū præterea, num dolores sint proportio-

nati futuri altero die. Ptisana hordeacea erit illi valde conueniēs, quia abstergit, refrigerat, lenit etiam de conuentione aquæ. Sed ne acescat in ventriculo, parū cinnamomi addere oportet, quod etiam prohibet putrefactionem & confortat, concoquit pituitam existentem in ventriculo, & corrigit eius frigiditatem: ac licet verum cinnamomum non habeamus, vti tamen possumus eo quod habemus, aut etiam cassia lignea. Loco alimēti sumat vitellum oui, aut carnes etiam: est enim valde debilis. Vinum fit albū & leuenam hoc ad humectandum confert. Et si enim humectatio nunc non est utilis, ob putredinem, tamen facit ad aperiendum & euentandum. Nam & humida corpora dummodo euentantur, non putrescūt. Nec parum alimenti adfert humiditas illa ex vino. Nunc cum adeo sit debilis, & res procedat in deterius, ordinabimus linimentum pro parte sinistra dolente, quod partem istam humectabit, & facilitabit etiam sputum, nec tamen putredinem augebit. Sumimus oleum camomelinum, & adipem anserinum. Adeps anserinus valde penetrat, est enim subtilissimarum partium, relaxat, resoluit, & habilitat petus ad motum. Probari potest etiam subtilitas & penetratio, si infundantur in manum, tunc enim celerimè pertransit, & in substantia positus citò diffunditur ad magnum spatium. Anethinum est resolutiuum materiæ calidæ, vt sanguinæ, & est concoctiuum frigidæ. Nota: Quæ concoquere aut maturare debent inflammationem à sanguine & calida materia, non debent transire primum gradum caliditatis, sicut camomelinum, amygdalarum dulcium, & liorum alborum, quæ in primo gradu sunt calida. Quæ concoquere debent materiā frigidam, non de-

bent transire secundum gradum caliditatis, ut anethinum calidum in secundo gradu. Quando miscentur medicinae calidae in secundo gradu, cum calidis in tertio, tunc totum mixtum est remissum in secundo, iuxta Galenum, sicut ostendimus in nostra Methodo de compositione pharmacorum. Ex oleis in hoc casu praerferrem camomelinum, quia etiam vim habet corroborandi: habet etiam leuem astringentem. Et iam ista tria agere intendimus: Victum instituemus, linimentum ordinabimus, & corroborabimus omnia naturalia. Ad corroborationem ergo iuuatur totus venter inferior, cum oleo de absinthio. quod si paulo melius habere coeperit, medicinas ordinabimus. Vix euadet hic, sed eligemus agrum alium, de quo maior sit spes, ne si omnes prius desperati moriantur, nostra culpa perijisse dicantur: sicque vos facietis in praxi, non sunt desperati casus recipiendi. Est a me quaesitum, vtrum possimus veram cognitionem sumere ex vrina, qua semel corrupta, calida aqua post reparat. Respondeo, nihil sumi posse: nam in vrina considerari debet liquor, color, substantia, subsidentia. Sed haec omnia destruantur, posita ad ignem vrina: semper enim magis tincta ad ignem redditur, quia partes quaedam tenues aduruntur, quae mixtae caeteris, tingunt. quandoque etiam minus tingitur, cum partes non sunt aptae ad vstionem. Substantiam facit calor naturalis, quia magis vel minus attenuat. Idem non potest calor ignis: non enim eodem modo potest regere, quo calor naturalis. Idem de liquore dicendum, sunt enim liquor & substantia valde annexa. Limpidiores plerumque redduntur. Subsidentia autem semper post calefactionem. Est ergo nihil certi ex tali vrina: sed est inuentum hoc auarorum Medicorum, qui multum ea ratione lucrantur. Aui-
cenna

cenna inquit, multi putat vrinam collectam post sex horas non esse inspicienda: ego vero nec post vnam horam. Quidam post tres dies vident; & predicant, modo des vnum Mucenigum. Quando vrina statim putrescit, non est facta concoctio. pus & sedimen in vrina, media sunt inter putrefactionem & concoctionem. Sumat ouum forbile, scutellam brodij carnis vituli aut pulli, loco syrapi: licet etiam carnes manducare.

℞. Adipis anserini ʒ j.

Olei anethini
Camomelini ana ʒ s.

Misce pro vnctione pectoris in parte dolente.

℞. Olei absinthij ʒ ij.

Misce pro vnctione totius ventris inferioris. Lichenes Plinij (quam etiam vocat mentagra, quia mentum erodebat vsq; ad ossa, & proportionata erat morbo Gallico, nunc vero non extat, differt a lichenibus Græcorum. Pro educatione materierum putridarum & catarrhaliu, ordinabimus nunc remedia ex faciliè acquifibilibus, ne nobis accidat quod Venetijs cuidam insigni Medico super hydropico consulenti accidisse nouimus, qui non sine risu aliorum consuluit, exhibendam esse vrinam camelorum, quam ex India afferri oporteret. Medicamenta sunt exhibenda que possunt haberi, quæque non sunt ita magno comparabilia, si medearis pauperi.

℞. Terebinthinæ pinguis ʒ ij.

Zucchari rosarum puri ʒ iiij.

Agarici preparati ʒ s.

Misce, detur in aurora quatuor vicibus, aut prout patiens ferre poterit. Lachryma ipsa terebinthina seu laricina, dilatata, abstergit, & tabidis iuxta Dioscoridem est accommodata. Succus rosarum refrigerat, con-

fortat & expurgat. Agaricus euacuat materiã. Temperatura ipsa vel febris nõ potest tolli, nisi causa sublata. Cibus sit humidus & refrigerans. Ego semper fumo naturam rei, & inde omnia primùm deduco, quæ à me dicuntur, seposita interim omni autoritate: postea verò Hippocratis, Galeni, & aliorum sententijs comprobo. Hectico electuarium non dabimus, quia euacuauit heri quater, & dicit se mitigationem manifestam sentire ex pharmaco assumpto. Sed tamen in sinistra parte cõqueritur adhuc de dolore vehementi, ita vt quiescere non possit: quare vnum tantũ fiet in hectico, in cæteris relinquamus eum his quæ iam sunt ordinata. Ordinabimus ei linimentum, quod vim habeat corroborandi locum, ne recipiat fluxionẽ. Non tamen eiusmodi erit corroboratio, qualis solet adhiberi in inflãmationibus, quæ est correctio seu reductio tẽperaturæ. Erit hæc tamen astrictio, ad quam maximè faciet absinthium, betonica, chamædryas: habet enim vim maximam corroborandi omnia membra naturalia, cum endiuia, cichorea, & rosis, si timetur caliditas. Facta ex his fomentatione, liniendus erit locus cum oleo camomelino & absinthino.

℞. Absinthij

Chamædryos

Cichoreę

Betonicæ

ana man. j.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ ad consumptionem medietatis, & fiat cum spongia fomentatio.

℞. Olei de absinthio

De anetho ana ʒ j. ad inungendum locum post fomentationem. Phthisicus hodie quiescet, sed tamen interim vtetur suis fomentis. Pulsuum differẽtias, quę possunt verè à medicis cognosci,

sci, non scio plures quàm istas sex. Si Galenus potuit alias cognoscere & obseruare, bene est. Hoc scio, quòd omnes nos non alias cognoscimus quàm illas communes: quod de alijs alij dicunt, forsitan sunt in posturæ. Prima differètia pulsus, est magnitudo, quæ indicatur secundū omnes dimensiones, scilicet, longum, latū, & altū: quandoq; enim sentitur vnica tantum dimensio, scilicet longitudo, & tunc percipitur arteria, velut filum quoddam tenue extensum. Et talis non est magnus pulsus, quia non habet omnes dimensiones. Eius opposita differentia est paruitas.

Secunda est velocitas quæ sumitur ex celeritate motus vsque ad quietem: ei opposita est tarditas. Tertia est frequentia & raritas, quæ attenduntur penes quietem. Quarta est inæqualitas & æqualitas, quæ attenduntur penes omnes prædictas differentias. Est autem inæqualitas duplex: vna, vnus tantum pulsus, & hæc est fortassis incomprehensibilis: altera plurimum, & dicitur inæqualitas συσπυμῶσιν, quasi collectiua, ex multis pulsibus collecta. Vehementia etiam & debilitas pulsus potest cognosci: nam vehemens est, qui medici tangentis manū valde pulsatur: debilis contra. Item plenitudo & vacuitas. Si quærat à vobis aliquis, quâsnam differentias habeat istius pulsus? credo inter vos alios aliud responsuros: sed vt habeatis ea in re artem aliquam, nunc de pulsibus dicam. Sex differentias pulsuum habeatis semper præ oculis, si cut elementa quædam: tot enim cognosco, & cognosci posse credo. Vltimas quatuor positas à Galeno, si qui cognoscet, bene est, ego ingenuè fateor me nō cognoscere. Nihil enim minus vnquam volui quàm decipere. Itaque haud æquo animo patior me interpellari inter tangendum, & explorandum pulsuum, quòd nihil adeo magnam requirat diligentiam

vt pulsus : vt mirum sit alios confabulari interim, & ramen omnes pulsuum differentias assequi. Ego nescio an possint esse tam ingeniosi, & tanta celeritate discurrere. Vos debetis esse maximè diligentes, vt eas quas dixi differentias, cognoscatis. Primùm considerabitis, vtrum sit magnus an paruus. Nam & à natura primùm intenditur magnitudo, quam si potest perficere, ea sola contenta est. Non abundat enim in superfluis, & in omnibus moderata est natura. Itaq; frustra sunt aliæ differentiæ, vbi in pulsu est magnitudo. Consideratur autem magnitudo in tribus dimensionibus, scilicet vtrum sit altus, hoc est, an multum eleuetur: an longus, per quatuor digitos æqualiter: an strictus vel largus. Potest enim istorum aliquod esse sine alijs, & nihil in his sine causa accidit. Secundò consideretis vtrū velox sit, hoc est, vtrum celeriter moueatur in pauco tempore: an tardus, qui longo tempore mouetur. Attenditur hæc differentia penes motū: percipiuntur enim in quolibet pulsu semper ista duo, motus & quies. Tertiò, vtrum frequens sit an rarus. frequēs est, quando breuis quies intercedit: rarus, quando longa est quies inter duos pulsus: sicut vites raras dicimus, inter quas magnum est interuallum: & rarum auditorium, cum miser doctor vix quatuor discipulos: frequens autem, cum sedent confertim. Est igitur frequens pulsus, quando quietes sunt parua: rarus, quando quietes sunt longa. Quòd Galenus gloriatur se amorem deprehendisse ex pulsu, apertum mendaciū credo esse: eo fuit ingenio, vt voluerit in omnibus &c. habuit nescio quid Græci. Quartò est vehementia & debilitas consideranda. Vehemens dicitur, quando est validus, vt gens, & certat cum digitis vestris, nec vult cedere. Debilis autem, quando non facit resistantiam. Sed
 hic

hic habeatis vnam cautelā, ne durities vos decipiat, & ne vehementem iudicetis, qui est durus. Differūt enim vehemēs & durus pulsus: quia durus post pressionem quasi victus cedit ac cessat: sed vehemens resistit fortiter. Quintò, an sit plenus vel vacuus: apparet enim aliquando materia ac si esset vacua. Sextò, vtrum sit æqualis an inæqualis, maximè an inæqualitas systematica. Non autē turbet vos vocabulū, quia nihil est in vocabulo: potestis vos dicere collectiuā, pro systematica. Est autem inæqualitas systematica, quando decē vel duodecim sunt pulsationes, & nulla est æqualis seu correspondens alteri. Simplex inæqualitas est, quādo in vna pulsatione percipitur magna diuersitas: vt si in vna parte mordicat, in altera minimè: aut in vno tactu est velox, in altero tardus &c. Istam diuersitatem non puto posse deprehendi, cum vix quies in pulsu percipiatur. Quare nugas esse arbitror reliquas differentias, quas certè impossibile est cognoscere. Et quòd Galenus diuidit postea genera pulsuū vsq; ad minimū, credo ipsum risisse cum scriberet. Quidam dicunt se posse pulsum ferrinum percipere, quod splendidum est mendacium: sicut Medicus quidā dixit egrum habere ferrinū pulsum, & cum alter doctior eum se deprehēdere posse negaret, tandē & ipse confessus est, nec se deprehēdisse, hoc tamen ideo dixisse, vt si fortè alter cognouisset, ipse non minus scire videretur: sed quādo tu non cognoscis, inquit, neque ego cognosco. Hęc de differentijs pulsuū, cras de causis agemus. De salute hæctici despero, sed tamē nunc bene se habet: virtus satis constat. Vrinæ sunt laudabiles in substātia, & colore: sputū est heterogeneū, spumofum, tenue, & in quibusdam partibus coctum: pars crassior, viridis, suppurulēta venit ab vna parte, & sputū spumo-

sum ab alia. Factum est autem spumofum ideo, quia spiritus cum humore est admixtus, & contractus ad minima. Crassior autē pars est cruda, putrida, & derelicta à natura, vnde non potuit spirituari, seu spiritiosa fieri: non enim admittit spiritum ista crassities. Viriditas cruditatē & malignitatem significat: spiritiosa pars proculdubio descendit ex capite in pulmonem, nec multam morā fecit in ipso, alioquin enim putruisset. Est iste noster æger in capite de empyemate. Non est mirandū quod pus per membranam succingentem costas in pulmone recipiat: nam vt Galenus etiam inquit, natura multa alia facit miranda magis, vt quod pus per os transit, quæ quomodo fiant, non possumus imaginari, fiunt tamen, & omnes medici tanquam manifestum id recipiunt. Hac nocte vehementer doluit in latere affecto, forsitan quod heri plus iusto comederit, sicut ipse fateatur. Et quando repletio adest in corpore, ac pulsus non est factus debilior, iterabimus eius medicinam de terebinthina, vt natura aliās excrementis suffocata excitetur. In hectico hodie nihil mutabimus, quia virtus satis est imbecillis, & pharmacum multum eduxit. Verendum ne incidat in symptoma grauiissimum, quod ferè accidere solet cum catarrho, in tabidis maximè, vt cum diarrhico fluxu pereat, propter virtutis imbecillitatem, quæ consistit in tribus, in calore & spiritu, in sanguine, & in solidis. Quando hæc omnia bene se habēt, valida etiam est virtus: quando deficit vnum, imbecillior fit ipsa. In tabidis autem omnia ista deficient: deficit enim calor, sanguis, muscoli consumpti, & denique nihil aliud sunt quàm ossa & cutis, vt ait Galenus: non mirum itaque si ex retentricis imbecillitate in diarrhœam incidat, hinc enim & fæces iam indigestæ apparent. Potest etiam

etiam esse propter catarrhū. Ita videbitis semper fieri, quando prouenit fluxus, quod ut plurimum contingit tabidis, tunc mors est proxima. Fiat huic tamen fomentum ex absinthio & aceto, ad corroboracionem, quia propter frequentem egestionem multum est debilitatus, & corroboratio ista non est propriè dicta, sed largius sumpta. Quia verò confortatio cum nihil aliud sit quàm reductio ad temperiem, esset in isto procedendum cum frigidis & humidis. Pulsus est admodū paruus, sed velocitas non admodum mutata. Si hæc nondum deprehendistis, exerce te manum & mentem ut possitis deprehendere. Velox, paruus, magnus, sunt relatiua in comparatione ad aliud, ad temperatū scilicet in calido aliquo aut bilioso. Pulsus in se non rectè dicitur magnus aut velox, sed bene in comparatione ad Socratem calidum & humidū: & excessus notamus tantum in pulsibus. In velocitate nō recessit pulsus, sed mutauit insigniter frequentiam: est enim multò frequētior quàm heri. Nam cum tria sint quæ pulsus faciunt, necessitas, virtus, instrumentū: necessitatē habet eandē quam sanus, & fortè etiam maiorē, & duritiem instrumenti. Ergo non potest dilatari ad iustam & opportunā dimensionem. Natura ergo prouidet cum velocitate. Sed quia etiam virtus imbecillior, non est velocior: ad velocitatem enim requiritur virtus, siquidem senex non potest bene currere. Supplet ergo frequentia, quod magnitudine & velocitate nō potest: & est frequēs pulsus perinde ac formica operosa: nec defunt ista vsq; ad mortem, quia vltimum est refugium miserorum, pulsus. Nusquā desperet medicus, quando constat in pulsu magnitudo, velocitas, vehementia: si aduenit pro his frequētia, malū. Quantū ad tabidum, pauca sunt dicenda, & pauca etiam faciēda,

deuenit enim ad extremã extenuationem, & ad fluxum ventris, quod pessimum est, iuxta Hippocratis illud: A tabe habito fluxus ventris superueniens malum, ac ferè omnes moriuntur. Sic Casianus noster, & M. Antonius Barolinus. Est autem malum & per viam signi, quia significat defectũ omnium virtutum. Virtus enim naturalis non concoquit, non sanguificat, non distribuit: & præterea catarrhũ augeri ostendit, qui descendit ad stomachũ, & lenit aluũ. Et per viam causæ malum est, quia ipse nutrimento indiget, quod subtrahitur per defluxum ventris. Non loquimur igitur amplius de isto, nisi quòd conabimur facere dum viuit, quæ possumus. Appetit lac, quod dabimus ei, sed in quo ferrũ candens fuerit extinctum, vt partes serosæ, tenues, abstergentes auferantur, & maneat pars casealis, ad alui astrictionẽ non parum conferens. Linimentum etiam ordinabimus ad corroborandum ventriculum, & sistendum aluum.

R̄. Ladanĩ electi	ʒ s.
Mastiches	ʒ ij.
Olei de absinthio	ʒ j.

Misce pro vnctione stomachi. Ladanũ, præterquàm quod concoquit, etiam facit ad penetrationẽ. Mastiche appropriata est stomacho, & absinthium mirificè roborat ventriculum. Affligitur in sinistra parte, & non potest quiescere in opposita, quia tumor iste iam deuenit ad partes interiores. Ex chamæmelo & chamædry facere possumus fomentationem. Præterea emplastrum meliloti est optimum: quia resoluit, maturat, & cõfortat. Si materia indiget resolutione, tũc resoluit: si maturatione, maturat: si vtroq; vtrumque facit. Ergo loco dolenti applicabitur illud emplastrum meliloti, sicut pridem dixi. Ita iste miser est mortuus cum fluxu ventris.

Consult. CIII. De Ischiadico.



Vm accedatis ad egrotū, quod primū de-
 betis agere, est istud. Primum cōtemple-
 mini vultum, deinde colloquamini cum
 ipso, postea tangatis pulsum, & obserua-
 bitis omnia quę vobis ad morbi cognitionem erunt
 necessaria. Decumbit hic ischiadicus, qui ad tabē fe-
 rē peruenit. Ad sunt febris cōtinua, tabes totius cor-
 poris, dolor in sinistra parte circa glandulas, ingui-
 nis dolor, non erigit crus, sed flectit. Ista omnia con-
 sideranda in hoc veniunt. Quomodo curandus hic
 erit & liberandus ab his affectibus? Indicationes erūt
 necessariae. Vnde? à natura morbi & symptomatibus.
 Sed presupponemus, primò eius tēperaturā, quę est
 calida, sicca, cholericā: est enim gracilis, & talis fuit
 sanus: pili plurimi in corpore, & nigri, crassi, venę
 amplę. Laborauit antea ex hepate: antea, vt dixit,
 laborauit morbo Gallico. Est Ceretanus, vagabun-
 dus, vixit inordinatē, vt solent isti. Incipiamus à pri-
 mo symptomate. Primò sensit dolorem cum tumo-
 re in partibus glandulosis circa pubem, qui causatus
 est à materia pituitosa, vel etiā ex fæce sanguinis, in
 eam partem natura debilem delatā, propter ambula-
 tionem, & victum inordinatū: cōmunicata deinde
 est propter loci vicinitatem, neruis & musculis mo-
 uentibus crus, qui aut resoluti sunt, aut debiliores
 facti: fortē etiā per vertebrae dorsī delata aliqua ma-
 teria eò decubuit. Morbus ergo est mala intempe-
 ries, vel obstructio in istis partibus. Febris est sym-
 ptoma: quia materia multa in locum aliquem depul-
 sa, non bene euentata, necessariò putrescit. & puto
 febrem esse hecticā, quę vt plurimū iungitur putri-
 dæ, etsi ex ephemera potest fieri transitus in hecticā,

ficut dicit Galenus: multò magis ex putrida, præcipuè in cholericò corpore diu laborante. Si velis febrem morbum appellare, nihil refert. Febris putrida ferè semper iungit hectica. Et hoc est quod Auicena inquit, primá & secundá speciem hecticae cognosci difficillimè. Cõtrariũ dicere videtur Gale. sed Auic. intellexit de hectica cõiuncta putrida: & sic doctissimi isti viri non sunt pugnantes. *Argoþia* seu tabes, fit propter dolorem febremq; : sed primũ vitium est in neruis & musculis pedum. In cura respiciendum est ad id, quod est principale, quo ablato auferuntur & cætera. x i. Meth. quod habet rarionẽ causæ sine qua nõ, sed cætera curari possunt: quod perpetuò in complicatis vitijs est obseruandũ. In hoc casu dum dolor adest, tolli nequaquã cætera poterunt. Dolor ergo primò sedetur. Solet autem sedari aut per mitigatorium, aut per stupefactiuum, aut per euacuatiuum. Nõ per duo priora, ergo per euacuationẽ. Sed iste humor faciens dolorẽ, vel totus decubuit in partem, vel habet adhuc causam fouentẽ. Euacuare ipsum non ausim, quia fuit satis purgatus, & heri sumpsit pilulas satis fortes: præterea est arefactus omnino. Sed ex loco oportet tollere materiã. Instituatur regimen primò, deinde à loco materia euacuet. Sed quibus modis? aut fomētis, aut emplastris, aut vtrisque. Et nota, si per emplastra applicata rubescit locus, erit iter curæ cognitum, quia materia dissipabitur & resoluetur: sin minus, cura erit difficilis & impossibilis. Postquã igitur facta est generalis euacuatio, fomenta applicabimus, & emplastra quater aut quinquies: si tumor non obedit, ad fortiora ibimus: si neq; tum, ad chirurgiã ægrũ mittemus. Inter reliqua semper habeat paties vëtris beneficiũ. Aqua mellis loco vini bibatur: nam bene nutrit, & melius quã

CONSULT. MEDICIN. 591

quam vinum. Inijciatur aliquid saluæ & betonicæ, propter corroborationem neruorum, & resolutionem materiæ. A clysteribus primò incipiemus leuibus, deinde fortiorib. Resoluere & mollire oportet in hoc casu. A leuibus incipiamus, & tandem ad dropacifimos perueniamus, si ista non contulerint.

℞. Anethi sicci

Florum camomillæ

Maioranæ

Pulegij

Calamenthi

ana man. j.

Sem. lini

Fœnugræci

ana $\frac{3}{4}$ j.

Ebulorum viridis

man. iij.

Bulliant omnia simul in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionem medietatis, pro fomentatione. cum spongia terantur quater.

℞. Hyssopti ceroti

Dialthææ

ana $\frac{3}{4}$ j.

Butyri recentis

$\frac{3}{4}$ ij.

Misce, fiat linimentum pro loco, quod adhibeatur post fomentationem.

℞. Aquæ communis

lib. iij.

Mellis $\frac{3}{4}$ iiiiij. s. Sumit octaua pars mellis.

Saluæ

Betonicæ

ana man. s.

Bulliant in aqua ad tertiam partem, bibat loco vini. Conualuit, & discessit tertio. Iuuenis quidã sciatus bibat aquam mellis, & clysteremumat ex maluæ brodio, cum hieræ picræ $\frac{3}{4}$ ij. Mellis rosati $\frac{3}{4}$ j. Olei $\frac{3}{4}$ iij. Potus pro febricitante:

℞. Aceti

lib. j.

Sacchari

$\frac{3}{4}$ viij.

Fiat oxyfacchara, atque de isto sumatur aliquid, &

miscetur cum aqua cocta, quantum ægro placet, & sit potus febricitanti.

Consult. CIIII. Pro melancholico.



Asus nobis oblatuſ diligenter eſt cõſiderandus. Ex colore iudicamus ipſum valde abundare melãcholia, & aduſto humore, & corpus eſſe cacochymicũ. Color em̄ maximũ indicium præbet humorũ exiſtentium in corpore, vt dicit Gal. Præterea germina illa in diuerſis partib. idem oſtendunt. Sed melãcholici ſunt frigidi & ſicci. Iam, vt dicit Gal. 1. 1. artis, tẽperatura calida & ſicca, decedẽte etate, tranſit in frigidũ & ſiccũ, quia calor adurit humores: ergo omnes tales ſunt flatuoſi. Et abundant etiã pituitã. Quare in euacuandis melãcholicis, ſemper etiam aliquid admiſceas, quod pituitã educat. Conſectio Hamech eſt diuina apud me, pro melancholicis & aduſtis humoribus, in qua melãcholiã purgãtia, optimẽ admixta ſunt cum his quæ ducunt pituitam. Bene etiam illud, quod coitu iuuẽtur melancholici, quia excernuntur flatuſ. Sed quæritur an iſta cacochymia ſit ratione propriæ intẽperaturę, an ratione regiminis. Credo eſſe propter vtrunque. Pili nigri, craſſi, oſtendũt habitũ naturalẽ melancholicũ. Gal. 1. 1. de temp. Nõ ab excrementis iudicabis tẽperaturam, ſed ab adnatis, quæ cõſequunt tẽperaturã, ſicut maximẽ ſunt pili, ſiquidẽ cholericis facti melancholici retinẽt pilos ſuos rubeos, nec mutãt cum tẽperatura, niſi poſtea per longũ ſecefũ. In hoc ſunt nigri & craſſi: ergo fuit melancholicus à natura. Acceſſit regimen inordinatum, eſt enim pauper, ſolituſ humi cubare, & fortãſſe dormire in ſolo per cõpita. An habuerit morbũ Gallicũ neſcio, ipſe nõ fatei, ſed vlcerã mali

ra mali aliquid repræsentât. Quâdo accidit morbus Gallicus, accidit cõtagiũ quoddã in hepate innominatũ, quod nec calidũ, nec humidũ, nec frigidũ, nec siccũ dicere possum, quia omnes humores redundât in talibus, nisi q̃p semper crassiores reddant & adusti. Nõ est credendũ esse infectionẽ calidã, quia non iuuantur à ligno sancto, quod est calidum: sed est potius quædã occulta qualitas, quæ nobis est incognita. Et talem esse causam credo, quòd sit cacochymicus. Quæ cum ita sint, ista omnia videtis sequi: habet vlcus malignum circa oculum, cuius sanies exiẽs videbatur mihi quasi caro nigra affata: estq; hæc serpigo in superficie, quod ostendit tenuem & rodentem humorem: verisimile est enim partes superiores infestari tenuioribus, crassiores verò inferiores partes occupant: quare circa genu est insignis abscessus cum dolore, deueniens nunc ad exiturã. Quanquam semper cõsulo vt caueatis à suppuratione circa iuncturas, quia sunt difficillimæ curæ. Arabes bene hæc distinguũt. Apostema seu inflammatio dicitur, quando materia colligitur: veniens ad exituram, quando exit in spatiũ quod est intra cutẽ & musculos: quando suppuratur, aldubalaton vocât. Credo quòd non tantũm peruenerit materia ad exituram, sed quòd etiam aliquid sit de pure. In omni abscessu semper resolutioni est intẽdendum, si potest fieri, aut ei quod est melius. Quatuor enim sunt quibus terminantur abscessus: aut resoluitur, aut suppurat, qui duo sunt boni termini: aut in scirrhum transit, aut corrumpit membrum: quæ duo mala. Quod de crure, idem dico de brachio, est enim eadem ratio, licet in brachio non sit tanta materia. Materia in crure est melancholica, adusta, permista cum pituita, ad exituram veniens. Materia in isto est subtilis, acris, erodens in su-

perficie. Si procedes cum calefacientibus & humectantibus, reddes vlcus peius: si cum calidis & siccis, exacerbabis, ita vt in gangrænâ transeat. Nec frigida & humida conueniunt: ergo frigida & sicca erunt applicanda, velut vnguentum de pompholyge, quod in istis vlceribus plurimum confert. Oportet autem pompholyga optimè & subtilissimè esse contritam atq; lotam, ne mordicet. Addatur oleum rosaceum, omphacinum, & cõmiscantur in mortario plumbeo, & fiat linimentum pro loco. Si modò sufficiens esset exiccatio, succum solatri pores sumere cum exiccantibus, velut est vnguentum de cerussa, plumbo, cadmia: & ex omnib. metallis optimè elota conueniunt. Vnguentũ de calce eiam conuenit, sed oportet esse bene lotam. Ne fidas hac in re aromatarijs, quia omnia negligentius lauant. Hęc in vlcere. Sed in oculo ipso tutia simplex cõfert. quòd si à leuiorib. incipere voluerimus, saccharũ candi bene puluerizatũ optimũ erit, deinde aqua plantaginis manè lauatur. Ad alias partes, quia corpus nondum est euacuatũ, applicabimus interim quod sequitur.

℞. Rosarum man. ij.

Camomillæ man. iiij.

Bulliant in sufficienti quantitate aquæ, ad consumptionem medietatis, pro fomentatione.

℞. Olei Camomelini ℥ iiij.

Rosacei ℥ ij.

Fiat linimentũ, quo inungatur post fomentationes. Sed oportet omnibus modis corpus purgare, ad tollendam cacochymiam, seruato etiam optimo regimine in sex rebus nõ naturalibus. Edat, si habere potest, carnes pulli, oua, ptisanam factam cum seminibus refrigerantibus. Bibat vinũ album, lymphatum. Pro minoratiuo sumat,

℞. Ele-

℞. Eleſtuarij lenitiui

℥ j.

Diaſenæ

℥ s.

Miſce cum ſaccharo, fiat bolus. Hic miſer omnia habet genera ægritudinum: ſed quia hora cœnæ inſtat, reſeruabimus eum caſum integrum.

Conſult. CV. pro diarrhico.



Iuis Nobilis Patauinus, Doctorem ad ſe accerſitum miſerat, qui de eius conſtitutione ita nobiſcum commentabatur.

Complexio eius eſt calida & humida, vt ad oculum apparet: necdum annū quadrageſimum, vt opinor, egreſſus eſt. Is iam inde uſque ab ineunte ætate variè ſe exercuit, nec quicquam minus potuit quàm in otio tranſigere ætatem, quare in militiam profeſtus ſtipèdia diu fecit. Abhinc annis duobus exercitiâ primū omiſit, & otio ſummo ſe deditit corrupendum: quare etiã homo varijs eſt mutationibus obnoxius. Nuper dolore ventriculi laborauit & cholico, ex quibus iuuante diuina clementia conuulit. Nūc verò de lapide renū & dolore haud mediocri cōqueritur. Atq; altera iam dies eſt, ex quo fluxu ventris laborare cœpit, & quemadmodum videtur, deiicit craſſam pituitã cum bile ex clyſteri, quo materiam peccantem moui. Præſcripti deinde diætã optimam, ac inunxi ventriculum oleo maſtichino. Sed quia omnis materia necdum excreta erat, ſequèbatur ventris rugitus, & dolores alij: quare clyſtere ordinaui ex hordei decocto, cum melle roſato ſolo. Ad hæc mala acceſſere etiã dolor, vigilæ, ſitis. Sed quem diſcurſum quis habere poſſet in hoc caſu? Tria autem in primis ſunt conſideranda, quod paſſim Galenus inculcat: Res naturales, præter naturales, & aër ambiens. Alijs omiſſis conſidere-

mus symptomata, quæ primū consideranda veniūt, & nos in cognitionē tum morbi, tum causarum inducunt. Symptomata verò sunt, dolor ventriculi, & cholicus, ex intemperatura nimirū, cū materia scilicet eò delegata est, quia egerebat copiose, propterea quòd non exerceretur vt antea, & nihilominus copiosa & crassa egerebat. Deinde fluxus ventris est symptoma, quia exiens est mutatum: atq; is est diarrhicus. De lienterico Galenus multa, v. Aphor. j. Et lientericum non esse vel ex eo constat, quòd non concocta, neque diminutè concocta egerat. Inconcoctiones & cruditates hīc dicimus, vel quòd non digestæ sint materiæ, vel concoctioni contrariæ. At iste fluxus promanat ex multitudine materiæ, quæ corrupta est, & quia multa, & quia calor naturalis imbecillus. Imbecillus verò est calor naturalis factus, ob omīssa exercitia, quæ eum vel sola accēdunt: deinde quia hac consistendi est ætate. Postremò, quòd ea superfluitatum excretio non fiat, quæ olim stantibus exercitijs fuit ob calorem vegetū. Sed dicat aliquis, quomodo corrupta sunt excrementa, cū non fœteant? Non fœtent, quia non admodum sunt adustæ fæces: corrupta verò à frigiditate positiua, quæ corruptionis non minus est causā quàm calor extraneus. Hinc illud quoque est, quòd albescant, & sint spumosa aliquantulum. Atque eadem nunc est causā lapidis: nam calculi aut congerunt à calore, aut quia materia crassa congeritur. Quid igitur faciendum? Tria potissimum: euacuandum est corpus primū, deinde membra sunt alteranda, tertio præcipienda sunt illi vsitata exercitia. Membra autē alterari non possunt nisi corpus prius purgatum sit: itaque ventriculum roborabo inunctione oleorū, mastichino, nardino, quibus addam etiam rosatum, propter cor-
po-

poris temperaturam. Cessante ventriculi dolore, obstructions vt tollam summa ope nitari: id autem fiet syrupo de cichorea & betonica, quia materiæ frigida: atque hac de causâ acetosis supersedebo. Deinde curabo purgari vberius corpus, aut hiera, aut alephanginis, quibus addâ aut aureas, aut cochias, pro ut materia fuerit pituitosa. Post hæc alterationi ipsius ventriculi intendam, & dabo

R̄. Diacalamenti $\frac{3}{3}$ ij.
Rosati $\frac{3}{3}$ j.

Quod reliquum est, repetat sua exercitia, aut vtatur diæta attenuate, id est, calida & sicca, & vescatur aui- bus paruis, & sæpe hauriat oxymel.

Consult. CVI. De epileptica puella, Frisimelicæ & Montani.

Scribitur ad nos de puella, quæ nata est anno viginti, cuius temperaturâ humidam iudico declinantem ad caliditatem. Caput frigidius fortè est & humidius, quia dolor grauatius infestat, & ipsa frigus in capite sentit. Vitæ ipsa est intemperatissima, & menses sunt suppressi, atque iam à decem mensibus non purgatur: quare in epilepsiâ incidit. At verò in dubio relinquitur, antè ne menstrua fluere deserint, quàm epilepsiam sentiret: quanquã ratione probabili id fiat verisimile. Adhuc ventriculus male est affectus. Ipsa etsi adhibuerit doctissimum Medicum antea, à quo corpus & pharmaco & phlebotomia est purgatum, & bona victus ratio instituta, tamen & nos propter consilium requisit. His supra paulò repetitis, quid rei sit perpendamus diligentius. Temperaturam iudico humidam cum leui caliditate: quia carnosum est cor

pus puellę & pingue. Sola verò pinguia semper sunt frigida. Eadem ratio est membrorum principalium, quę toti: plerunq; sunt vniformia. Caput igitur summe humidum: vnde deinde varia symptomata, & ipsa denique epilepsia. Labor capitis diuersus est, dolet, & percipit frigiditatem, laborat epilepsia: an verò fuerit ea cum spuma, aut sine hac, aut cum cõuulsione, incertum est. Huc accedunt iam alia symptomata: menstrua enim sunt suppressa, vnde promanat mala intemperatura frigida & humida capitis, quę morbus est mulieris: nam percipit summam frigiditatem. Ipse capitis dolor est grauatiuus, qui demum sunt fontes epilepsię: nam epilepsia nihil aliud est, quàm obstructio in ipsis cerebri ventriculis, quę fit à pituita, alijsq; viscidis humoribus & crassis, qui cum in capite abundant, & accedat ipsa capitis intemperatura, sequitur epilepsia: menstrua enim sunt suppressa, quę vel sola parare varios morbos solent: vnde etiam materię congestę frigidę & humidę, & ventriculi vitio, intemperanter enim viuit. Intemperantiam sequuntur cruditates, quę replent corpus malis humoribus, & maximè cerebrum. Ita fouetur intemperatura capitis ab inferioribus: cum eodem cõmunicat totum corpus, quod illi noxios vapores transmittit. Quid igitur agendum est? credis ne eam posse euadere? Vereor equidẽ vt id fiat, cum ob alias causas, tum quòd in loco sit frigidus & humidus. Quare nec mirandum est, nihil medicum effecisse clarissimũ adhibitis illis medicinis. Verum enim verò cum epilepsia sit primariè in cerebro, vel per consensum: si est per consensum, membrũ est alterandum, & antequàm hoc fiat, totum corpus euacuandum. Quid? euacuari ne debet per phlebotomiam? Per tempus non licet, quare in ver differendum

dum cenfeo. Restant instrumenta euacuandi corporis duo, diæta scilicet & pharmacum. In diæta assumat quæ aperiunt, incidunt, & apertè attenuant. Inter cætera vtatur pane satis fermentato, cum semilibus, vt fœniculi & alijs. Vtatur carnibus attenuantibus, vt auicularum paruorum, & hæ condiantur aromatibus item attenuantibus. Vinum ne dandum sit, dubitari possit, quia caput est affectum: sed quia humores sunt frigidi & crassi, modico vtatur vino, atque si hoc nolit, bibat aquam mellis, vel zucchari, aut oxymel, aut oxyfaccharam: nec acetum quicquam hic nocere potest ob mixtionem. Decoquantur item betonica & saluia. Vtatur item exercitijs. Quid? semel ne interdum comedet? Quia verò edere in die consuevit, nolo vt quicquam contra consuetudinem faciat. Vti quoque poterit falsamentis, quorū incidere est. Venter frequenter leniendus est, nam est adstrictior, ob crassos & viscidos humores suspendentes fæces. Quare ante cibū etiā oxymelite vtat. Partes inferiores exercean, & frictions fiant, sed non item in capite. Cæterum exerceatur ambulando & equitando. Concocta materia ad caput veniemus. Hiera & cassia venter leniatur, & materia concoquatur cum syrupo de betonica, oxymelle composito, & squillitico interdum. pilulis cochij purgetur, quibus aliquid colocynthidis addatur. Ego misceo drachmæ vni ipsarum specierū hieræ, & j. Colocynthidis vsus quandoque erit propter intemperaturam corporis. Trochiscorum alhandal & cōfectio hamech valde est bona. Laudare multū pilulas illas cochias in hoc casu, quas describit Gal. lib. v. meth. cap. XIII. Suadeo etiā vt sæpe interim purget, ac per interualla sæpe pilulis vtat, donec ver attingeremus, in quo demū purgare & alte-

rarem caput, tunc mitterem sanguinē, cum syrupis materiam concoquerem, & euacuarem: deniq; confulerem etiam vt in nostras has thermas veniret, & aquam biberet, prouocarent frictioibus menſtrua, ac darem diaſplenion, diacalamenthon, diatrioupi-pereon. Vterer etiam decoctis calamenthi, pulegij, dictamni, vt materia attenuaretur. Nunquid ſaphe-na ſecanda? Ita: & ſi hoc nolis, ſiant ſcarificationes circa malleolos, quas antiqui multum laudarūt: nam & ego hyemem vereor. MONTANVS: Vtar & ego breuitate, vt rationē temporis habuiſſe videar, ſed ita tamē, ne quid eorum quæ ad inſtitutum ſunt neceſſaria, prætermittam. Certum eſt puellam labo-rare epilepſia, non propter vnā, meo iudicio, ſed multas cauſas. Principales duplices ſunt, efficiētes aliæ, aliæ naturales. Iam verò efficiētium aliæ ſunt inſinſecæ, aliæ extrinſecæ. Inſinſecæ verò, vel agi-tatio ſiue motus eſt ſpirituū in cerebro: agitati e-nim in neruos ingredi nequeunt: vnde ſequitur, vt corpus aliquandiu ſenſu & motu priuetur, vel pro-pter ebullitionem humorum in cerebro contentor-um, vel propter caliditatē aſcendentē. Tertia ſunt humores craſſi & pituitoſi obſtruētēs ſpirituū mea-tus. Quarta, vel vapores vel qualitas venenofa aſcen-dens, vnde contrahitur cerebrum, & motus corpo-ris deprauatur. Atque hæ ſunt cauſæ quatuor inſinſecæ & corporeæ epilepſiæ. Extrinſecæ autem ſunt, diæta, qua eſt uſa, affectus animi, & aër. Porrò cauſæ naturales ſunt vel humores vel vapores. Si eſt hu-mor, vel eſt ſanguis, vel melancholia, vel pituita: id-que aut in cerebro, & tunc morbus per eſſentiam di-citur: aut in partibus inferioribus, & dicitur iſte per conſenſum. Quia verò tot ſunt cauſæ (de loco for-mali non amplius dicere neceſſe habeo) quid credis

in hac esse omnes? Equidem credo si non omnes concurrant, certè tamè plurimæ sunt. Spiritus vndosus adest: atq; hoc verum inde capio signū, sensisse puellam strepitum in capite, nimirum propter vaporum agitationē. Deinde est calefactio & ebullitio humorum in capite, quia ob oculos videbatur videre quædam fulgura, quæ perturbationem cerebri efficiūt, & sunt ceu flammæ aëris. Tertiò, obstructio meatuū propter humores frigidos & crassos: hisce enim diebus sensit perpetuò dolorem capitis grauatium. Quare quòd adsit mala quoque qualitas, argumento sunt retenta menstrua, vnde venenosus quidam vapor exhalat, quod pluribus ostendit Galenus lib. v i. de locis affectis. Ad hæc accedit etiam corporis temperatura humida & calida: nam autore Galeno, i i. de temperamentis, carnositas sola caliditate arguit, pinguedo humiditatem: hæc cum coniunguntur, significat etiam qualitates coniunctas. His positis negari non potest, hepar quoque calidum & humidum esse necessariò, quare etiam aptum replendo capiti, quia vaporosum gignit. Ratione autem cerebri apta est puella vt hoc morbo infestetur, quia caput debile recipit ad se transmissos humores. Cœpit verò dolere caput iam inde à decē mē sibus. Causæ extrinsecæ sunt mala diætæ. Neque verò satis habuit misera, vt sese oneraret nimio cibo, què sine discrimine ingerere est solita, quin etiam vermes illos qui sericum nent, aleret, vnde & ex folijs putridis, & male caput petentes vapores exhalant: quia etiã ex odore plus satis mali id generis hominibus accidere possit. Huic accessit menstruorū retetio, & aliud malum altero nõ leuius, dispositio scilicet aëris. Locus enim expositus Austro, qui hodie etiã spirat per mare, & lacus frigidum inspirat, ac ædes in quibus ipsa

puella habitat, penetrat: ab Occidente itidem habitatio, scilicet mare, à Septentrione verò Boream infensissimè frigidum habet: nam is quò angustiore loco concluditur, hòc est multò frigidior: vnita nanq; fortiora semper dissolutis. Itaque Auster replendo, Boreas verò refrigerando, constringendo & exprimendo, malumpuellę augment. Quod reliquū est, hęc signa me omnia eò deducunt, vt credam efficientes causas omnes concurrere. De causis materialibus etiam dicā breuiter. Causa verò naturalis est humor frigidus & pituitosus in cerebro, atque hoc probat frigiditas quam percipit circa nuchā: & grauitatem capitis percipit hoc tempore. Quod verò ad consensum attinet, is fanè magnus est à ventriculo, matrice & hepate, denique ab ambitu totius. de reliquo materiam mixtam esse, signa satis docēt: inundationes spirituum & calidorum vaporum in parte anteriore, signum habens flammā ante oculos: frigiditatis verò in posteriori parte, est ipsa quę percipitur frigiditas. Atque hęc de causis efficientibus tam extrinsecis quàm intrinsicis & naturalibus, sit satis. Prognosticon. Puella nata est annos **xxii**. ætas obseruanda est, quòd ea vel sola doceat, an hoc morbo possit liberari. Hęc ætas in scēmina æquipollet propemodū **xl**. annis viri. Quia verò in **xliii**. ætatis anno per menstruū fluxū à doloribus capitis non potuit liberari, quomodo sanari possit, nō video. Nam hic morbus si virum à **xxv**. ætatis anno inuaserit, illi cōmoritur, quare puellę multò magis grandiuſculę. Hęc mala iam iuuat, in temperatura mala, item alia quę dixi. Cura non est impossibilis, et si tolli nō potest, poterit saltem leuari, atque hoc conandum erit. Sed quoniam plures sunt causę huius morbi, ab efficientibus præseruationis indicationes, à materia

libus verò curatorias mutuabimur. Et vt ordiamur
 ab efficientibus extrinsecis, in quibus non postrema
 est aër: hunc igitur si potest, aut mutabit, aut si om-
 nino non poterit, saltem omnem in aëre excessum fu-
 giet. Et si hoc naturaliter non potest, arte efficiat: vt
 si suffitus fiat aromatū, quæ caput non petant, quod
 genus illud est, quo multū vtor, aqua rosacea & ace-
 tum & garyophylla miscentur, ac fit suffumigium le-
 uiter calefaciens. Cibis etiā attenuantibus, quia ven-
 triculus & cerebrum pituita abundant, atque totum
 corpus malis humoribus refertum est. vtatur diæta
 maximè attenuante, ob humores: vnde etiam illud
 foret cōmodi, quòd menstrua melius fluent. Panis
 sit bene fermentatus, & sale aspersus. Malim in eo ef-
 se nigellam: quia verò hæc amarior est, misceat ani-
 sum & cinnamomū, quo in hoc casu non est aroma
 melius, etiam de sententia Galeni. Quid quòd Gale-
 nus in cōsilio pueri epileptici, apium probet & lau-
 det, contrà Auicenna tanquā venenum fugiendum
 asserat? Hæ sententiæ in specie contrariæ facile pos-
 sunt cōponi. Equidem credo apium Galeni nostrum
 esse petroselinum vaporosum, incidendi vi prædi-
 tum, quod in epilepsia tutò dari potest. Apium verò
 Auicennæ id est quod & hodie sic dicitur, & eius in
 morbo hoc prorsus nullus est vsus. Quare Auic. non
 minus ac Gal. rectè censuit: atq; sic sententiæ absque
 autorū cōtumelia cōponi possunt rectissimè. Vino
 in principio morbi interdiciamus, idq; tribus de cau-
 sis, autore Gale. 111. de rat. vift. in morb. acut. cap.
 de vino: primò propter cruditates, secundò in phre-
 nitide, tertio in inflammationibus viscerum. Cre-
 do igitur adhuc morbo existente vinum interdicien-
 dum esse epilepticis: sed quia vinum (quod bene di-
 cit Auicenna) dilatat, animum exhilarat & conco-

quit, igitur non est penitus prohibendum. Exhibeatur dilutum ac pauciferum, fugiat contra quod caput petit. Postea quia causę materiales sunt duplices pro inferiorum partium materia velim diuersionem & euacuationē: nam humores & vapores qui in ventriculo gignuntur, rapiat medicus ad inferiora, ac sepius aluum subducatur, ad quam rem vtilis erunt hęc pilulę, quibus non parum vti soleo, ex myrrha, aloę, rheubarbo, & aristolochia rotunda: nam hęc & ventriculum & hepar euacuant, ac roborant, prouocant demum etiam menstrua. Diuersio etiam fiat prouocatione ipsorum menstruorum: prouocabuntur autem supponendo res calidiores & aperiētes, vt sunt pulegium, calamentū, baccę lauri, & folia lauri decoquat in aqua, ac ieiuna inde pedes lauet. Idem & ante cęnam facere poterit. Ventosę etiam circa poplites ponant, nam & maximę menstrua prouocant, & conferunt pro diuersione. Quod si autem prouocari hęc non poterunt, laudarem ego hęmorrhoidum scarificationem, propter locum propinquum: propinquum autem locum multum sæpe conferre, Hippocratem & Galenum autores habemus. At hęmorrhoides directę à capite euacuare possunt, quod omnino faciendum est in vere. Cęterum bis in mense aut semel assumeret de hiera Rufi, aut hiera Logodij, aut confectioe hamech: eadem enim est harum propę compositio. Neque his frequenter vterer fortioribus, quia debilitant virtutem. Meminerit verò Medicus se esse naturę ministrū. In vere exiccantibus & localibus vterer, vt cauterijs, sinapismis & vesicatorijs & rubefactorijs. At de his nõ nisi in vere nõ cogitet Medicus. Quinetiã decocto ligni Indici vti. Ad prouocanda mēstrua vti poterit ter singulis mensibus. vncia vna Mithridati cū aqua pæonię, & in alijs

ferculis vtaſ pæonia. Querebat Friſimelica, quid ſentiret de incifione venę. Reſpondebat Montanus, ſatius eſſe vt primò fiat ſcarificatio circa poplites.

Conſult. CVII. Cuidam nobili uiro Polono propè annos LX. nato, ſpleneticam & hepaticam ægritudinem patienti: patiebatur autem hoc malum à XV. annis.



Portet vt Nobilis iſte vir ſi curari debet à difficili & longa ægritudine, quæ eſt præcipuè intemperies frigida ſplenis, & tumore ſatis inſigni, ex qua poſtea multarum diſpoſitiones præter naturam cõſequentur, vt cruditates ventriculi, & in iecore, & in ambitu venarum, atrophix, decolorationes, ex quibus non iniuria tandem timetur aqua intercutem, oportet inquam ſi ab iſtis ſæuis diſpoſitionibus liberari cupit, vt præcipuè habeat exquisitiſſimã victus rationem, quæ competat primario morbo, ſine qua diutiſſimè & diligentiffimè ſeruata, fruſtra implorabit medicorum auxilium. In primis igitur eligat aërem in quo habitet, ſubtilem, minimè paluſtrè, minus frigidum quàm fieri poſſit, vbi ſint aquæ ſalubres fontium vel fluuioꝝ: in quo aëre cauebit etiam ab omni exceſſu ventorum, pluuiarum, ne ſcilicet ſe illis exponat, vel nocte ſub dio moret, vbi poſtea cælo ſereno & tranquillo, exercebit ſe venationibus, & huiuſmodi motibus nobilibus: laudo enim exercitium quammaximè fieri poteſt, ſi modò ſuo tempore fiat, manè ſcilicet vel ante cœnam. Euitet omnes animi moleſtias, ſed iram præſertim & mœſtitiã. degat cum amicis iucundis. manè ſurgat diluculo: ſex vel ſeptem horas noctu dormiat: cauebit autè à meridiano ſom-

no, esset enim illi admodum lethalis. deambulet, exercitetur in cubiculo proprio, mollibus frictionibus, peccinationibus, cantu, lectione alta, excernendo excrementa per sputum & tussim, quæratque reddere aluum & urinæ egestionem. Vbi verò omnia diligenter peregerit, mundasque & odoratas vestes induerit, tunc ad exercitium se cõferat extra domũ, si cœli serenitas apparuerit: sin minus, intra domũ sese contineat, ludendo pila vel gladijs, vel aliquo tali exercitio. Bis in die non amplius comedat, atque id satis parcè, vnicoque cibarij genere contentus sit, & sine aromatibus, sed cum modico croci & cinnamomi tamè: debet enim effugere consuetum morem patriæ in aromatibus admiscendis. Caueat etiam à vino crasso, dulci, nigro, potenti: sed eligat clarũ, album, tenue, pauciferum, quod etiam parcè bibat: vel si assuetus fuerit ceruisiæ, illam eligat in potũ, bene tamen confectam, quam etiam moderatè bibat: hic enim morbus maximè requirit temperantiam. Igitur cauebit à comotationibus, interque prandium & cœnã non bibat, nec aliquid comedat. Cibaria sint carnes iuuenes pullorum, hædorum, vitulorum, auium campestrium, sicut sunt perdices, phasiani, aues parvæ, oua forbilia. Non vitupero è ferculis hordeum, far, si optimè cocta fuerint, non enim ita nocebunt, licet in hoc casu non sint prorsus nocuementi expertia, præcipuè far: poterit tamen ex ijs parcè vti, præcipuè addito croco: à reliquis ferculis abstineat. Pane vtetur madefacto in iure carniũ cum petroselino, & modico cinnamomi. A piscibus omnino abstineat, & à cibarijs arte confectis coquorum, sicut à tortis, pastillis, ab omnibus lacticinijs, leguminibus, oleribus, & carnibus antiquis, & omnibus cibis crassis. & feruilibus abstineat. Panem azymum vel malè coctum

CONSULT. MEDICIN. 607

non comedat, neque aliquod placentarū genus. Et hæc quantum ad victus rationem. Quantum verò ad medicinas, hoc primū obseruet, vt & vere & autumno, quousq; perseueret hæc mala dispositio, euacuetur modo infra scripto. Primò,

℞. Foliorum cassiæ pond. ʒ j s. hora ante prandium: deinde

℞. Oxymellis squillitici ana ʒ j.
Syrupi de absinthio

Decocti polypodij

Cetrach

Endiuix

ana ʒ iiij.

Misce pro vno syrupo, & sic per dies septē. Deinde

℞. Confectionis hamech ʒ iiij.

Trochiscorum alhandal gr. ix.

Cum saccharo fiat bolus. Sumat in aurora cum custodia, die proximè sequenti vltimum syrupum, postea interquiescat per duos dies, & interim accipiat sacchari rosati ʒ s. semper ante prandiū & cœnam per duas horas. Deinde sumat istos syropos:

℞. Myrobalan. Citrinorum

Indorum

Chebulorum

Belliricorum

Emblicorum

ana ʒ iiij.

Contundant grosso modo, & fricetur manibus cum oleo amygdalarū dulciū, postea infundant per diem & noctē in lib. x. aquę fumi terre, postea decoquantur ad consumptionem tertię partis: deinde adde

℞. Ellebori nigri ʒ iiij.

Liquiritiæ

Polypodij ana ʒ ij.

Sem. citri

ʒ j s.

Et bulliant donec remaneant lib. v. postea adde

Foliorum fenæ

Epithymi Cretensis ana $\frac{3}{4}$ j s.

Bulliant donec remaneant lib. iij. Vltimo colentur
& exprimantur, & seruetur decoctum.

℞. Eiusdem decocti $\frac{3}{4}$ vj.Syr. de infusione syr. rosarum $\frac{3}{4}$ j s.

Detur manè. Sumat autem per dies sex cōtinuos hos
syrupos numero sex: sed si nimium euacuaretur, su-
mat alternis diebus, dein quiescat, vtens victus ra-
tione præscripta. Erit autem tempus veris medium,
& autumnus quoque, in quo euacuabitur. Inter hæc
tempora placet vt familiares habeat pilulas infra scri-
ptas, quibus vtetur ter in mense, hora ante cœnam.

℞. Succu cetrach

Chamædryos

Polypodij recentis ana $\frac{3}{4}$ j.

Exiccantur in vmbra secundùm artem. Deinde

℞. Agarici electi

Rheubarbari electi

Aloës hepaticæ ana 3 iij.

Zinziberis

Cinnamomi

Garyophyllorum ana 3 j.

Salis gemmæ 3 j.

Misce, & cum melle rosato fiat magdaleon, de quo
fiât pilulæ quauis vice tres, pondere drachmę vnius
sumendę vt suprâ.

Consult. CVIII. Pro melancholia.



Vranda erit hæc Nobilissima mulier ab
affectib. quos melancholicos arbitror,
habita ratione etatis, qua est x x v. an-
norum, primò recta victus ratione, se-
cundò missione sanguinis, tertiò alteratione & pur-
gatio-

CONSULT. MEDICIN. 609

gatione humorum, quartò confortatione. Custodia-
tur ab omnibus animi molestijs, degatq; cum amicis
in omni hilaritate, quæ quantum fieri potest arte &
studio est cõparanda. Utatur vino albo, tenui & sub-
dulci, carnibus iuuenum animalium, hædorum, vitu-
lorum, pullorù &c. Manè sumat singulis diebus oua
forbilia, neque vtatur multitudine ciborum. Euitet
crapulas, cruditates, & potationes cuiuscũque gene-
ris. Aluum mollem conseruet, pro qua vtatur, si na-
tura defecerit, flores cassiæ, vel decocto prunorum
dulcium cù zuccharo, vel decocto maluæ ex iure pul-
li: nihil enim perniciosus in his affectibus quàm aluũ
habere strictam. procuret coctiones, neque cum cru-
ditate accedat ad cibum: cruditas enim melancho-
licis omnino vitanda. Circa Martij mensis medieta-
tem, lenita prius aluo vel cum clystere, vel drach. x.
cassiæ in bolũ cum zuccharo confectis, sequenti die
sanguinem mittet ex basilica dextri lateris pondere
3̄ decem. Ac postero die idem sanguinis pondus re-
petatur, sed à sinistro latere, deinde vtatur diebus se-
ptem hoc iure, quod sumat manè.

℞. Fol. Boraginis

Betonicæ

Buglossæ

Radicum polypodij

Liquiritiæ rasæ

Radicum althææ ana 3̄ j. s. Decoquantur

omnia in lib. duabus iuris pullacei ad medium vsq;, deinde facta expressione & colatura, bibat totũ resi-
duũ vna vice, & sic repetatur per dies septem. Octa-
uo die sumat bolum infra scriptum:

℞. Confectionis hamech 3̄ iiij.

Radicum ellebori nigri 3̄ s. Misceant cum
modico iulep violati, fiat bolus cum zuccharo, de-

tur manè cum custodia. Item

℞. Florum conferuæ boraginis $\frac{3}{4}$ vj.

Sacchari rosati $\frac{3}{4}$ ij.

Zedoariæ $\frac{3}{4}$ j. Misce, fiat electuarium, de quo sumat singulis diebus cochleare vnū tribus horis ante prandium. Deinde illinatur totus venter infra scripto linimento:

℞. Olei de absinthio $\frac{3}{4}$ iiij.

Mastichini $\frac{3}{4}$ iiij.

Ceræ parum.

Misce, fiat linimentum.

Item abluat caput singulis septimanis bis, cum infra scripto decocto:

℞. Furfuris tritici lib. iiij.

Liquiritiæ $\frac{3}{4}$ iiij.

Polypodij $\frac{3}{4}$ ij.

Radicum ellebori nigri $\frac{3}{4}$ ij.

Agarici electi $\frac{3}{4}$ j.

Florum camomillæ $\frac{3}{4}$ ij. Bulliant omnia simul in sufficiēti quantitate aquæ ad medium vsq; factaq; expressione vtatur hoc decocto pro lixiuio, & tergat caput sapore odorato muscato, & hæc omnia explebūt ea quæ præmisimus. Quòd si optimum Mithridatum in mense sumat ad quantitatem drach. j. cum modico vini aromatici albi, quinque horis ante prandium, eò melius confortabitur.

Consult. CIX. pro patiente diminutionem in motu quarundam partium corporis.



Ymptomata. Patitur diminutionem circa actionem motus in brachio & crure, præsertim in sinistro: non tamen est omnino motus priuatio. Crus sinistrum rubet, feruet. Cerebrum integrum: odorat, videt, discurret, optime memorat, imò quæ à septem paribus neruorum veniunt,

niūt, optimè habēt, licet à lingua parū sentiat malū. Est stupor potius cum imbecillitate sensus quàm motus: nec est resolutio, quia mouet, sed cum dolore & difficultate. Ergo si est resolutio, est debilis, quia quædam validissima. 3. de locis affect. vbi vitium in sensu & motu paralyfis dicit. Omnis actio sentiendi & mouendi est à spiritibus: isti possunt impediri dupliciter, vel quia non possunt pertrāsire, sed intercipiunt: vel quia non possunt operari, q̄ membrū inueniunt non rectè dispositū. Est obstructio à natura, quæ replet principiū. Membra frigidiora facta seipsis, quod nocet motui. Frigiditas facit vt virtus in mēbra non transfundantur. Aqua vtatur cum cinnamomo vel zuccharo, passulis itē: victus sit tenuis. Agaricus, confectio hamech, rhabarbarū, scāmonea, Pil. aggregatiua, calamus aromaticus, garyophylli, acorū conditum, illi conueniūt. Vtatur quotidie myrobal. & chelid. In cordis palpitatione & syncope quaternis diebus ex haurienda potio.

℞. Liquiritiæ rasæ & incisæ 3 ij.

- Radicum diptami
- Brusci
- Fœniculi
- Corticis capparum rad. ana 3 ij.
- Rad. asari Ireos ana 3 iij.
- Polypodij quercini 3 j.
- Agarici trochiscati 3 ij.
- Medullæ sem. cartami in petia ligati 3 j.
- Sem. fœniculi 3 j.
- Anisi 3 j.
- Carui præparati 3 j.
- Epithymi Cretensis 3 ij.
- Hyssoi
- Centaureæ minoris

Melissæ

Artemisiæ ana pug. j.

Fol. Senæ Alex. sine stipitibus 3 iij.

Florum sambuci pug. j. Coquantur in tri-
bus lib. aquæ fontis ad casum tertiæ partis. In cola-
tura dissoluatur.

Syrupi de epithymo

Oxymellis simpl.

Syrupi de hyssopo ana ʒ j. Fiat haustus.

℞. Sileris montani non obducti ʒ. s. detur in
pyxide ad mastiçandum pro arbitrio.

*Consult. CX. D. Vuolfgango de Vuerter, laboran-
ti fastidio & cruditate uentriculi, cum
catarrho leui.*

℞. Piperis albi

Nigri

Longi ana 3 j.

Zinziberis

Thymi

Anisi ana gr. vj. Cum zuccharo albo fiat cõ-
fectio in rotulis, sumat mediã tribus horis ante pran-
dium. Bene se habuit ad septimanas aliquot: tan-
dem cum decumberet sentiretq; dolorem capitis,
cum quadam difficultate spirationis, quæ ille iudica-
uit esse propter catarrhum, & consensum diaphra-
gmatis cum ventriculo, pro ijs tollendis dedit:

℞. Mellis rosati ʒ ij.

Hieræ picræ 3 iij. Misce pro clystere. Sed
cum renueret vsum clysteris, scripsit pillulas istas:

℞. Hieræ simp. ʒ ij. Cum melle rosato fiant
pillulæ. Loco vini, huiusmodi iussit fieri potum:

℞. Aquæ cisternæ lib. iij.

Cinnamomi frustulatim fracti ʒ s.

Pas-

Passularum mundatarum ℥ j. s.
 Sacchari albi ℥ j. Bulliant ad consumptionem sextæ partis, & refrigeretur pro potu.

Consult. CXI. De pleuritico.



Aborabat pleuritide puer quinque plus minus annos natus, ad eum accersebatur Montanus & Frisimelica, quem nos sequebamur frequentes. Puerum offendimus lecto affixum. Pulsus eius erat magnus & interfectus: vrina tincta satis & cruda. Morbus autem erat in latere dextro, & descēdebat ad diaphragma. Causa morbi bilis, quod & color corporis, & alia accidentia arguebant. Suadebant igitur latus inungi oleo amygdalarū dulcium, & si hoc desit, recenti butyro. Præscribebant victum humidum, & panem lotum ex aqua. Potui verò dari volebant aquam in qua Enula bullisset. Atq; vt alius subduceretur, clystere subdendum contendebāt, decoctum nimirum apij, sceniculi & petroselini, addito sale. Altero die cum redijsemus, offendimus auctam febrim, & respirationem multò difficiliorem. Sputum adhuc crudum erat, crassum scilicet & albicās. Accusabant igitur matris indiligentiā, & ne moreretur, verebātur.

Consult. CXII. Pro nobili, cui hepar inflammatum, & uentriculus ob id debilitatus erat.



Via nobilis à quibusdam rei medicæ imperitis persuasus, maluaticū nimium hauisset, ac in vindemia vini nigri, vtpote fortioris, hoc cōsilio, vt imbecillitas ventriculi, quæ ex frigiditate ortum habebat, corrigeretur: cumque ad potum vini fortioris estas calidior

accessisset, inflammatum est hepar, cuius demum in-
 temperatura multò maiorē ventriculo imbecillita-
 tem conciliauit. Nam cùm actiones hæ sint ventricu-
 li, appetere cibum, ingestum retinere & cōcoquere,
 duæ eius partes sunt: superior, quæ nimirū appetit,
 siccior ac frigidior: inferior verò calidior & humi-
 dior. At verò caliditas nimia hepatis exiccat humi-
 dum, cum quo calor dissoluitur: nulla est concoctio,
 nec appetentia cibi vlla, ob ventriculum calefactum
 nimis. Quid ex his prognosticandū? Corporis imbe-
 cillitas, quia ventriculus non concoquit, sed corrū-
 punt verius omnia, quare vomitus frequens: & quia
 obstructū hepar, atque etiam supercalefactum, nulla
 est in corpore sanguificatio. Calefactio hepatis &
 obstructio tollenda esset missione sanguinis, à qua
 abstinendū est propter virium imbecillitatē, ne ma-
 gis prosternatur. Quare diæta ventriculus corrob-
 randus, & ministrandi cibi pauci, & facilis coctionis.
 Interdico illi vino omni, nisi austero. Decoctum en-
 diuiæ bibat, nā omnia cichoracea cōfortando vētri-
 culo apprimē sunt vtilia. Dico autem cichoracea, en-
 diuiā, lonchon, & si quæ sunt alia id genus: nam quia
 amara, ideo sunt calida: calefaciunt igitur & confort-
 tant, & leniter etiam refrigerant. Quare syrupum
 de eichorea cum rosato ordinaui. Confortato vētri-
 culo, totoque adeò corpore, accedam ad infrigida-
 tionem hepatis, quæ fiet per phlebotomiam basilicæ
 dextri lateris.

Consult. CXIII. contra dentium dolorem.

℞. Resinæ cedri, qua Dioscordes vtitur, ʒ. s.
 Auicenna habet gummi iuniperinū, quo Italia caret.

Aceti quantum sufficit, & abluantur dentes.
 Si dolor ad aures pertingit,

℞.

℞. Olei rosati $\frac{3}{4}$ s.
 Ceparum incisarum man. j.

Vini dulcis quantum sufficit. Decoquantur instar pultis. Quod si vehemētiōr fuerit dolor, addatur semen lini, & fiat emplastrū: auri imponatur. Præter diætā matutinā, & pilulis quoq; duabus cochijs \mathfrak{D} j. dimidia hora ante cœnam vtatur. Quia verò dolor intensior erat, nec mitigari poterat vel repercussiuīs, vel laxantibus & extrahentibus, nedum tolli, applicari iussit illi duo cauteria, alterū in loco dolenti secundum aurem sinistram, alterum è regione. Primū verò chirurgus locū ab inunctionibus mūdabat & tondebat, deniq; nouacula fricabat. Cauterium hoc erat: nam cauteria sunt duplicia: aut enim est actuale, aut potentiale & quemadmodū illud fit ferro ignito & incisione, ita hoc rebus terrestribus multū, ne vis citò exhalet, & multum exiccātibus. Potentialia autem iterum bipartitò diuidūtur in *ισχαρωτικά* & vesicantia: horum vsus maximus in diuertendis fluxibus illorum qui in siccioribus locis, vnde materia dolorifica euacuari debet. Quia verò caput habet siccissimā cutem, nec carnis multū adest, applicari fecit potentiale cauteriū *ισχαρωτικόν*, ob materiam doloris exiccandam. Fuit autem hoc ex cinere aut ficuum, aut quercuum, aut sarmentorum fabarum, aut ex cinere alkali, id est, herba, quæ Empetron est Dioscoridi, vnde sapes quoque & vitra fiunt: inde fit lixiuium, quod ad spissitudinem decoquitur, & exiccatur: additur deinde calx viuā. Multi decoquunt etiam lanarum pulueres, addito sale, quibus loco cauteriorum sæpe vtuntur.

Consult. CXIII. Frisimelicæ & Montani, de catarrho, dolore capitis, pleuritide, & febris.



VM primùm venissem (agitur iam quintus dies) ad Magnificā hanc dominam, dolebat ex capite, inueniebam eam febre: tussiebat, & nihil expuebat. Suspica-
bar illicō de pleuritide: sed quia cōquerebatur se to-
to triduo beneficium ventris non habuisse, cassiam
extractam ob lenitionem alui exhibui, & vt biberet
aquā hordei cum zuccharo decoctam, vescereturq;
loto pane & ptisana, iussi. Locus doloris meo iussu
cum oleo amygdalino & liliaceo inunctus est. Cassia
bene operata est, & altero die multū egressit materię.
Tertio die minui sanguinē ex basilica dextri ad ̄. x.
& locus interim inunctus est, neq; in diætā quicquā
mutatū. Quarto die, vt dolori capitis, qui quodam-
modo familię toti hæreditarius est, quoue annis re-
troactis sæpe laborauit, facerē medicinā, & lenirem
quadantenus pectus ipsum, dedi electuariū de peni-
dijs, cū syrupis de glycyrhiza, & de farfara. Ipsa etiā
bibit syrupū acetosum simp. cum farfaræ decocto.
Heri veni & egressit ipsa copiosè, & cū ita egere-
bat, iterum rigor eam inuasit, qui seruat tertianæ fe-
bris periodū: superioribus diebus claræ vrinæ erāt,
iam verò crudissimæ, & prorsus iumentitiæ, vt in-
quit Hip. Accessit ad alia mala tinnitus auriū, quod
ante biduum senserat: pessimè dormiuit: lingua erat
aspera & sicca: non delirauerat: sed an essent vsquam
maculæ in posterioribus corporis partibus, iussi in-
quirere alias Dominas: nam febrē pestilentem indi-
cabant. Primitiue causæ fuerunt, cū longius iter se-
cisset & incaluisset, domum reuersa vestes exiit, vt
totū corpus obrigeret: vnde obstructio secuta, quæ
pntre

CONSULT. MEDICIN. 617

putredinis causa. Et quia catarrho frequenter laborat, descendit in pectus: unde inflammatio pleuritica. Hodie mane eclegma ordinaui quod usurparet.

℞. Oxyimellis simp.

Succi liquiritæ ana ʒ ij. Misce.

Et emplastrum, quo etiamnum utitur:

℞. Maluarum

Florum camomillæ ana man. ij

Meliloti

Anethi

Violarum ana man. j.

Sem. lini

Fœnugræci ana ʒ ij. Decoquantur in aqua, & contundantur.

℞. Olei amygdalarum dulcium

Liliorum alborum

Sesamini ana ʒ ij.

Pinguedinis gallinæ ʒ j.

Farinæ hordei

Fabarum quantum sufficit. Fiat empla-

strum. Cibum panis lotus fuit, & quia aliæ petebant pomum coctum cum zuccharo, concessi, ut pectus leniretur, & confortaretur cor. Neque enim veritus sum ut in bilē conuerteretur, quod fieri assolet, quia admixtū erat zuccharū, ut maior eius esset utilitas. His prædictis, ad alia examinanda, quæ quidem cognita videantur necessaria, accedamus. Temperatura eius est calida & sicca, atque ita semper iudicavi: noui enim eam iam inde à pueris. Frequentissimè caput dolet, quòd hoc familiare est familiæ: pariter etiam ex ventriculo est ægra. Agere nunc eam credo annu x l. Patitur inflammationem pleuriticam, & quæ ad eam sequitur febrim. Materia mixta est à prædominio cholæræ & pituitæ, quod cognoui ex emis-

fo sanguine: ostendit etiã exacta viuendi ratio. Cùm enim pro arbitrato suo viueret, multùm congescit crudiratum, cùm ob alias causas, tum quòd obitum mariti sui Clariss. Doctoris impatientissimè ferret. Laborauit ob easdẽ cruditates catarrho ferè perpetuò, & qui hoc laborat, facilè in pleuritidè incurrüt, & ita non tantũ febris putrida subsecuta est, sed etiã pestilens ob materiã putridã nimis. Pessimi humores collecti fuerüt antea, & ex ratione victus non bona, & naturali quadã dispositione. Accesserüt causæ primum: corpus enim alioquin varijs affectionib. obnoxium, motu vehementiore calefactũ, & post aëri frigidiori expositũ, obriguit, ac cutis omni strãspiratio prohibita, ad obstructionẽ vapores plurimi cumulat, qui quia exhalare nõ potuerüt, & calor extraneus accesserat, cõputruerüt, atq; sic facta est putredo, totiusq; adeò massæ sanguinæ ebullitio. Indicio sunt urinx perturbatæ, quæ mihi ostendüt perturbatiõẽ sanguinis maximã: itẽ tinnitus aurium significat ebullitionẽ humorũ. Et etsi adesse pestilentẽ febrem satis constet, tamen maculæ nullæ apparët, eò quòd materia ad cutim nõ est trãmissa. Prognosticon. Vereor ne decedat, propter pestilentẽ dispositionẽ. Nã cùm alia symptomata sint vehemẽtia, naturã etiã pestilentem esse magis & magis curã auget: inflammatiõ enim est ingens, & materia plurima. Sed nondũ est desperandũ: nostrę operę ne parcamus. Cura: Febris & inflammatiõ pleuretica simul erunt curãda: sed quomodo? Causam vtriusq; tollendo. Qua ratione? phlebotomia. Quocirca leniui etiã prius ventrẽ cassia, totum nanq; corpus fuit repletũ: deinde secui venam. Quid? conuenit ne phlebotomia in pestilentia? Ego autẽ non vidi: sed enim quãuis vidissem, tamẽ vt materia euacuaretur, stãte præsertim virtute, & natura

posset

posset dominari, secui venā. Materiā cōcoxi cum syrupo farfaræ & acetoso, qui in hoc casu plurimū valet: dein vt expueret facilius, pectus inunxi. Sed questio hīc esse posset, an Bolus armenus eclegmati immisceri poterit, qui mea sententia multū iuaret. Et si quis negat, propterea quòd astringat, respōdeo cum Gal. fac esse astringat, tamē pectus dilatat: & ego hīc putredinē valde timeo. Cibus neq; adhuc panis lotus fuit: hodie parū pulli dedi. Quòd si quid mutandum fuerit, mea voluntate etiā poterit mutari: quam malim nos stare cum omnib. istis vsq; ad septimū. Postremò contra pestilentia scordij puluerē & decoctū laudare maximè. Syrupū etiā de liquiritia, & de farfara: vel cum saccharo viol. permiscebimus bolū armenū. atq; hæc mihi facienda vident. **M O N T A N V S.** Tendimus ad eundem scopū, Clariss. dñe Doctor, nam vtriq; cura ea incūbit vt mulier hæc magnifica sanet. Considerabo igitur naturā morbi paulò diligentius, vt de instituēda curatione facilius concludi possit. Natura autē morbi ex symptomatis cognoscit, quæ in hoc casu sunt, difficultas respirationis, tussis, febris, dolor pungitius, quorum *συνδγουσ* constituūt nobis pleuritidē. Deinde catarrho laborare eandem Dominam, non est cur alijs rationibus inquiramus: sensū enim percipit quòd etiamnū defluat: audimus enim in faucibus & aspera arteria sonitū. Nobiscū faciunt etiā alia signa, vt grauitas capitis, de qua conquerit, & auriū tinnitus. Laborauit insuper etiam catarrho, antequā in febrē incideret. Sunt igitur morbi huius Dominæ, pleuresis & catarrhus. At multū mecū dubitavi, febris ne inflammationis pleuretice sit symptoma, vel morbus per se, atq; ab illa seiunctus: atq; certis quibusdā rationib. adducor vt statuā febrē esse morbū, & nō symptoma, quia

humores putrescant in venis. Ergo pleuritiem habet, & febrē, & catarrhū, morbos disiunctos: cum his morbis vrina subiugalis ebullitionem humorum in venis indicat, quia magna putredo. Ergo hæc domina sic se habet nunc. Quod ad habitudinem corporis, est siccū & gracile corpus. Siccitas manifestè apparet cum caliditate, sed ille calor est debilitatus. Etiam habet stomachū imbecillem, & caput debilitatum à natiuitate. Est corpus inæquale, & illa in primo senio: & in australi & Boreali tēpore sumus, quæ conferūt catarrho, autore Hipp. Vnum notandū, diligenterq; exquirendum, qualis nam sit pleuritis, verane & syncera, vt quæ in pleura fit, an non syncera & notha. Vna coniectura hæc est, quæ arguit non veram esse, nec à subtili humore, quia nec dolor pungitius est, neq; tanta difficultas anhelitus: ipsa nanq; dicit sparsum esse dolorem. (lege Gal. 2. de locis aff.) Est igitur potius in locis sparsis, quàm in mēbranis, nempe musculis in pectore, quia mēbranæ non ita facile recipiunt. Sputū præterea semper pituitosæ substantiæ, quia musculi pectoris inflāmantur potius intrinseci quàm extrinseci. Pulsus durus est quādo membrana inflāmat: verū hīc neq; pulsus ita durus est, ergo pleuritis hæc à materia crassiore est. Adest catarrhus perpetuus, fouens morbū perpetuum: tussis quoq;. Satis de catarrho & causis, quia ventriculus semper laborat post caput, ita causa materialis, & efficiens catarrhi. Verūm febris accidēs inflāmationis & catarrhi, an veram causam habeat separatam? dico quòd vrina talis sequitur magnā in venis ebullitionem & putredinē. Hic putredo & ebullitio, febris pestilens, quo ad causam proximam magna putredo, vt non tantum vapores putridi ascendāt, sed massa etiā sanguinis putrescat, sed nondum in corde, quia vbi

cor

cor corripuerit putredo, omnia destruitur: sed dum in humoribus est putredo, potest curari, sed raro, & à peritis Medicis. De natura febris, catarrhi & pestis, satis sit dictum. Prognosticon. Iam primò omnium, quod ad catarrhū attinet, venit in mentē mihi Aphor. 11. Hipp. 11. sectionis: Branchi & catarrhi in valde senibus difficulter curantur. Et videtur in hanc regulā cadere Domina, vt ratione ætatis morbum difficilis curationis fore satis appareat. Quo ad pleuritidem, raro inflammationes in senibus contingunt: sin autem, ægrè curantur, & præsertim in hyeme. Pulsus ramen etiam est gracilis & tenuis, quod significat multos spiritus non adesse: quare non facile curabitur. Coctionis signa nondum apparent: etiam febris molesta & periculosa: & ista complicatio est pessima, & habet cōtrarias indicationes. Ista relaxantibus lenientibusq; eget, febris pestilens exiccantibus: quin cura eius 111. Epid. exiccatio, quare cura difficilis. Catarrhus etiā vtriq; dispositioni nocet, & auget difficultatē spirādi, & febrē: augent obstructions in vasis, & vbiq; ideo ex istis rationibus morbus difficilis. C V R A. Hic est catarrhus, pleuritis, & febris, quæ sunt separata secundum materiam: dico nullum esse istorum contēnendum, quia omnia habent rationem causæ. Ergo catarrhus principiò diuertendus, & dolor leniendus. Quidnam agendum? Respondeo ad id quod dubitabatur de phlebotomia in febre pestilentiali. An sit secanda? Et assero non secandā venam, idq; autore Gal. 111. Meth. Non enim curamus putredinem nisi sanguinem seruemus, sed in peste maxima est putredo. Vnde dicemus, in principio febris pestilentis phlebotomare optimum, quia refrigeratur corpus: & phlebotomare dico optimum suo tempore. deinde de victu di-

cam. Sumus in quinta die, & indicat virtus, quæ vincet super materiam, quia copiosè egerit, & faciliter. Verumenimvero Hippo. de ratione vict. 1. i. inquit: Vbi incipit coctio apparere, primis diebus debemus augere cibum, vt virtus possit augeri, & maior lenitio fiat sputi, & corroboretur sputum, quod victus commodus facit: sed vbi non signa coctionis adsint, victus tenuis datur. Pulli ius primùm darem: si tolerabit, & virtus fortior sit, darem contusum, vt virtus sustineatur, cui vel soli debemus attendere, sine qua nihil facimus. Pro concoctione, vt adiuuetur catarrhus, & materia inflammationis, vt conferrem cordi, ne putredo augeat, nihil scio melius ad incisionem humorum scilicet quàm syrumpum de succo acetosi simplicis: in oxalide enim virtus incidendi, refrigerandi & corroborandi inest. Et licet Hippo. 1. de ratione victus ab astringētib. & acidis cauendū putat, præterquàm oxymelle: sed ibi est aciditas sine astrictione, quod & Gal. docuit, idq; multò magis si saccharū admisceatur. Pòst aqua farfare, id est, tussilaginis còfert ad tussim. Atq; his pro digestiuis vreretur. Pro peste, an Bolus armenus còueniat, quærit. Si haberemus Gal. bolum, quem tantopere prædicat ob exiccationē sine astrictione, nihil haberē prius, præsertim cùm ille feliciter dederit eundē asthmaticis. Sed noster ille (quem rubricā Synopicam esse inter doctos iam còuenit) exiccat cum astrictione: quare ne periculosus error còmittatur, abstinendum censeo. Ego dicam vnum obseruatu dignū in hoc casu. Quia exiccare volumus pestē & catarrhū, & præparare, vtemur cornu cerui vsti, loco boli armeni, idq; exhibebimus cū zuccharo, vel in iure pulli: nam corborat cor, & catarrhū exiccat, vt si quid aliud. Malim vti ynicornu, si esset eius nobis copia: non enim inuenit̃

inueniri nego, sed in minori copia, & maiori precio, pro quo interea cornu cerui utemur, quod istius æquiualens est. Nō obfuerit etiā subinde uti seminib. acetosis, autore Gale. (quæ astringere aiebat Frisimelica, sed negabat Montanus.) Proderit etiam scordium refractū, cum zuccharo rosato. Placet & cornu cerui, vel in Iulep, vel in succo acetoso: fiat elegma, & teneat sub lingua zuccharum candi quoq;. Quod attinet ad potū, à vino abstineat, bibat aquam hordei cum saccharo, sed prorsus nō frigidā. Emplastro porrò utatur, eius enim felix est usus, quia facile tolerat. reliqua etiam omnia à Clariss. Domino Doctore ordinata, seruetis. In acutis morbis est occasio præceps, quare oportet Medicum prudentem esse, quia in horas quæ non sperabantur, contingere solent, quæ varietatem postulant, & quotidie leniatur venter. Domina in sexto die est mortua.

Ordinata cuidam suffusione laboranti. CXV.

℞. Saponis Damasceni lib. j.

Garyophyllorum

Macis

Cinnamomi

ana ʒ j. s.

Iridis

ʒ ij.

Storacis calamitæ

ʒ j.

Ambraë

Musci

ana gr. iij.

Agarici electi

ʒ ij.

Puluerizanda puluerizent, & reformetur sæpe in forma pilularū secundū artē. Utatur in lotionē capitis.

℞. Floris cassiæ

ʒ xij.

Cum saccharo fiat bolus. Item

℞. Eufrasiaë

Betonicæ

seruetur in vase vitreo bene obturato.

Consult. CXVI. De melancholico Iudæo, inter clarissimos Doctores, Petrum Nauarram, Frisimelicam, & Baptistam Montanum. D. Nauarra cœpit.



Tsi vestra præsentia, Clarissimi Doctores, & casus qui offert, difficillimus, multa requirere videntur, tamen ne tempore abuti videar, seriè rerù ordine & breuiter recitabo, vt facilius iudicare possitis, quæ medicamina in posterum applicanda: neque dissimulabo quid vsq; adhuc egerim. Sextus agitur dies, cùm venerit extra rationem: loquitur nihil, & toruè omnes intuetur. Ante hoc tempus, quod sciam, virum illum non noui, nihilominus tamen breui hac consuetudine & astantium relatu, primo loco quæ me fit de complexionem hominis sententiã, expediã. Sentio eum calidum esse & siccum à prædominio bilis, & sub dominio sanguinis: status etiam corporis indicat, est enim gracilis, color niger, & vigiliã, & promptitudo ad omnes actiones, pronus fertur ad iram, optimi ingenij vir & discursus. Aestimã ad hæc complexio totius ex principalibus, cerebro nimirum, hepate & corde. Præsuppono ista omnia, ne si omnia persequar, tædio vos afficiam, & accedo ad dispositiones non naturales, & accidentia, quæ magis curã me dici ad se trahūt. Dixerūt astantes, quòd semper fuerit extra rationem. Ante hunc diem occupatus fuit maximis occupationibus, timebat multùm, & irascebatur leuibus de causis, exercuit maxima negotia, longa cōfecit itinera, sub diu multùm fuit, exposuit se calori & frigori. Cùm redijt in Italiam, in hæc mala incidit: aderant hæc accidentia, vidi stupidum, oculi impotentis motus erant, irato vultu iracundus,

verberare voluit astantes, seipsum ex lecto voluta-
 uit: loqui voluit, vt ego credo quadam imaginatio-
 ne. Tangebamus brachium contractum, quippe no-
 lebat se exponere tangenti: pòst dimittebat se tangi,
 & membrũ offendimus flexibile satis. In hoc autem
 obseruandum venit, variari symptomata pro diuer-
 sitate horarum. manè loqui voluit, circa vesperas lo-
 quebat incòpositè, postea in prima hora noctis dete-
 rius se habebat: similiter cùm erat in tali dispositio-
 ne, comedere nolebat: succedente deinde tempore
 diuersa & alia inuadebant symptomata, vt in media
 die còpos erat mentis, pòst impos. Heri pulsus ad-
 huc fuit cum bona mensura, tardior quàm frequen-
 tior: vidimus talem mutationem, vt vix tangeremus
 pulsũ cum subtractione. Beneficium ventris ali-
 quot diebus habere non potuit, nec vi enematis. In
 principio, vt referunt illi qui adfuerant, in quodam
 oppidulo missus est sanguis, notabili vt audio quan-
 titate. Alij referunt missum ad vncias sex. Quid præ-
 terea egerit ille, referre non possum: quæ mea fuerit
 sententia exponã. Sensi autè autoribus Hipp. & Gal.
 I I I. de locis affectis, esse melancholicum, quia time-
 bat, aderat perturbatio mentis, leui de causa irasce-
 batur. Febri autem liberatum mirabar, & Doctores
 sine hac esse nolunt, sæpe tamen sequitur. Melancho-
 liæ plures esse possunt causæ, quæ quidem omnes in
 hoc viro valde sunt potentes. Primò extrinsecæ:
 quia sollicitus, timidus, & habuit sæua animi acci-
 dentia. Hęc verò quomodo causant melancholiam,
 clarum, quia impediēt concoctionē, & membra prin-
 cipalia debilitant. Huc accessit etiam victus ratio,
 quia melancholia multiplicat, vt si quis vescatur pa-
 stilijs, carnibus salitis, aibus, autore Gal. I I I. de in-
 teriorib. Similiter & alia causa mali, quia notabiles
 oppi-

oppilationes deprehendunt, & nunc magis quam ante, quia urine minus tincte, feces cholerice etiam sine tinctura, & in splene maxime, que obstructio potens est causa ad generationem melancholice, & quando fit retentio humoris seu euacuationis debita. Splen enim affectus, melancholiam non euacuat. Hepar igitur inimi cum sibi succum retinet, qui vna cum sanguine sursum deorsum fertur, ac vitiat simul totum corpus. Vnde habemus in hoc omnes causas generationis melancholice. Stantibus autem his causis, sequa sunt symptomata secuta. Sed videndum prius, an humor melancholicus in capite per essentiam sit, an per consensum ex toto. Mea quidem sententia est, illam multiplicationem esse principaliter in cerebro, atque insuper eodem ex alijs per consensum deriuari. Nam cum obstructus sit lien, & afficiat hepar, mittuntur inde humores in caput. Quomodo causentur consimilia symptomata docet Gal. in III. de loc. aff. exemplo suffusionis, que est ex crasso humore obstruente opticos nervos: sic melancholia crassa terrestris cum ad cerebrum perfertur, infert rationis perturbationem, idque per consensum, & per essentiam: ea enim membrorum omnium est colligantia. De causis & qualitate accidentium nolo plura adijcere. Ex materia vnde multiplicata melancholia symptomata proveniunt, & diversam qualitate humorum, in presens est febris, a qua in biduo non est liberatus: & febris continua propter materie terrestritatem, & quia intra venas: & urine magis tincte & rubee. Ad tactum modo sentitur non tam caliditas quam frigiditas. Prognosticon. Humor iste qui morbum facit, difficilis est solutionis, & cure longioris. An salubris? Meo quidem iudicio timendum est: videmus enim materiam motam, adesse saeva symptomata, & naturam prostratam. Heri sine pulsu erat, frigida externa. Hucusque

quid factū sit narrabo, vt facilius sit iudiciū. Cū viderem instantiam vigiliarum, quæ potui feci omnia. Euacuare non potui, quia impos mentis. vt eger etiā cibum assumeret, vsus sum alterantibus vsque, cum cordialibus & substātificè humectantibus. Nam nescius non sum, autore Galeno, in talibus dispositionibus principalem curam esse in humectantibus. De di digestiū, syrupū de pomis, de buglossō, de succo rosato. Curam habui cordis, quare electuarium cum syrupo dedi, & pilulis cordialib. Imposui quoque epithemata & sacculos cordiales. Necessè enim est in huiusmodi ægitudinibus permutare. Ad inducendum somnū iussi vt papauere in omnib. cibis vte retur: inunctiones circa tēpora factę, & oxyrhodinū administratū. Et quia propinare nihil potui, tentauit ratione diuersionis & euacuationis vt hæmorrhoides fluerent per sanguiifugas, quæ copiose non eduxerunt, surgere enim non potuit. Quomodo porrò faciendum, ambigo: quia virtute deficiente non valet curatio. In sex rebus non naturalibus antè peccatum est, non solū in quali, sed in quanto etiā. Nūc verò quia mentis compos, ventrem subducere vnā cum euacuatione melancholiæ. Et si autē multa sunt huic intentioni appropriata, non tamen inter cætera prætermitterem decoctionē cum epithymo, sero, & cordialibus, & addere cordialia, vt est parum hæmemech sine diagridio, quemadmodum hīc præparare consueuerunt (valde conueniens est) aut diacatholicon in pauca quantitate, & imponerem aut de manna aliquid, aut de rheubarbaro, propter obstructiones. A principio morbi in hunc vsque diem non habuit euacuationem per medicinā. Postea probarem continuā administrationē alterantiū. Iulep longum facerem, & electuarium. Quid sentiam de balneis,

roget

roget quis. Credo humectatiuū conuenire, autore Gale. quia humectat, diuertit, & inducit somnum.

FRISIMELICA. Casus adeò difficilis nobis proponitur, vt parum spei sit reliquum: & quia expositus est ab excellenti Doctore, non necesse habeo pluribus eum retexere. Iste vir redijt superioribus diebus ex Polonia, defunctus varijs laboribus: affectus est animi perturbationibus, tandem in Italia infaniuit Citadelle: id enim oppido est nomen. Missus illi est sanguis, post quem magis infaniuit. Deinde vt huc venit cōmissus est excellenti Doctore, cuius cura sanguis per hēorrhoidas est euacuatus. Accersitus & ego proximo sabbato, quasi cōtractū vidi: pulsus nullus erat: vigilauerat duos dies, vt dormiret iussi, quare ex populeone fieret inūctio, atq; pro virtute ci baria ordinavi. heri pulsus bonus & magnus: clystere iniectū, nam ventris beneficia nulla. Cholericę feces erāt. Superioribus diebus vrinam nullam emisit: pulsus paruus & contractus iterum. Vt autē vrinam prouocaremus, inunximus locū oleo amygdalino, & chamæmelino, & emisit vrinam quæ rubicunda erat, ostendens icteritiam. Deinde fomenta ex althæa alijsq; facta, vt deijceret: & vt intestina cōfortarentur, rosæ siccæ impositæ. hac nocte male dormiuit.

Quid igitur? Complexio calida & sicca. Supposita hac, credo melancholiam cum mania. Præter hæc videtis, quòd patiatur dissolutionem virtutis ac caloris. Factum est ex dissolutione caloris, & ipsis humoribus adustis, vt sit complexio calida & sicca: conficit enim longum iter, quod calefacit, præter incommoda hospitiorum. Calor dissoluit, & frigora exiccant. Corpus itaque exiccatū, & humores sunt adusti. Huc accedunt & passiones animi, quæ præter cætera exiccāt corpus. vnde illud: Tristis spiritus exic-

eat ossa. In Italia peruenit ad melancholiam cum ma-
 nia, & per essentiam & per consensum caput exicca-
 tum est, & cerebrum patitur principaliter: spiritus
 syluestres sunt & mali, vnde in hoc rixandi studium.
 Humores nanq; adusti si sunt cum sanguine, rident
 melancholici: si verò cum cholera, rixant. Adeò in-
 gens est in hoc adustio & exiccatio, vt morbo habue-
 rit vsq; adhuc taciturnitatē cōiunctam. Probatum id
 alijs quoque signis: oculi concaui, excarnatissima fa-
 cies, adsunt vigilię, quę siccitatem cerebri arguunt:
 pulsus ipse frequentissimus & durus: vnde liquidò
 constat, exiccatum adeò ipsum corpus. Heri pulsus
 bonus, propter naturę pugnam vehementem. Cre-
 do autem propter missionem sanguinis, corpus ma-
 gis exiccatum, vnde propter resolutionem virtutis,
 humores ipsi mali, ita vt nec virtus nec spiritus resti-
 tui possint. Hinc sequuntur inconcoctiones. Vrina
 talis ex obstructione aut multitudine cholera, atq;
 hoc ex fęcibus superiorū dierum. Prognosticon.
 Male spero: moriturum credo, quia tanta exiccatio,
 & corporis est attenuatio, vt restaurari nequeat. Ac-
 cedunt huc ingentes obstructiones, quę nisi abster-
 gentibus curari nequeunt. Illa verò omnia calida &
 sicca: & si hæc curabimus, malum augebimus. Quid
 igitur agendū? an exiccationi & obstructioni atten-
 dendum? Exiccationi certè magis, idq; humectanti-
 bus. Humectant autem autore Gal. somnus, cibus, &
 balneū. Balneū in præsentia non auderē suadere, ne
 virtus amplius dissoluatur, quod fit in balneo aquę
 tepidæ, in qua ipse expiraret: quare somno & cibo in-
 fisterem. Cibus esto ouum forbile. Vinum exiccat:
 darem quidem, sed parum. Conciliatur somnus po-
 puleone, oleo violaceo, & fouerem caput infrigi-
 dantibus. Victus, aqua carnis cum ouo. Vinum cum
 aqua

aqua dilutum, potens, non aquosum. Virtute recuperata curabimus melancholiã: antè non auderè evacuationem moliri. MONTANVS: Quoniam conuenimus huc curaturi immorigerũ virũ, morbi sunt cognoscendi, antequã curacionem instituamus. Obseruamus autem plures operationes læsas, à quibus ad morbos transimus, quas primo loco considerabimus, & symptomata. Operationes autè læsæ & symptomata quæ? Primũ, si rectè considero, nullum reperio genus operationũ, quod nõ intensissimè lædatur. Animalis actio est læsa, passus est enim melancholiã, & corruptionè discursus: & non solũ læsa, sed variè diminuta, corrupta & ablata. Deinde vitalis ita læsa est, vt vix percipi possit. Pulsus verò nullus, qui motus est actio vitalis caloris. Virtutes naturales omnes affectæ. Primò appetitiua non appetit: concoctrix ita læsa, vt corruptè agat: adest multitudo facũ, & D. Frisimelica corruptas vidit. Virtus igitur nihil secundũ naturam. Vrinæ neq; substantiam, neq; colorem, neq; hypostasin laudabilem habent: color enim rufus ad nigredinem tendit, & inficit pannum. Hoc tempore neque per secessum, neq; per urinam egerit quicquã. Quod si ita est, nihil dubij relinquitur, virtutè naturalem esse valde læsam. Ita virtutes tam multipliciter læsæ, varia symptomata efficiunt, propter quæ sumus vocati. Sed quoniam à symptomate nulla sumitur indicatio, nisi causæ rationem habeat, causæ læsarum operationũ inquirendæ. Si considero operationes quæ possunt inducere læsionem operationum, externè conuenient, & internæ item, quæ concurrerent ad symptomata generanda. Externæ quidem, vt longum iter, calor in capite & frigus, quæ in itinere pertulit: labores præter rationè sumpti: vsus deinde est cibarijs &

aromatibus multis, vt mos fert Poloniae, vbi vno die plus aromatum infumitur, quàm hic anno integro. Bibit vina potentia, & alijs rebus vsus est siccantibus & calefacientibus. Quantum verò ad causas exteriores, exiccatum est corpus & cerebrum, vnde deinde secuta est generatio vaporum, qui in capite efferuntur: vnde alteratio mentis, & materiae quae suffocant calorem, & minuunt virtutem. Intrinseca concurrunt, vt corpus facilius recipiat alterationes. Corpus enim siccum est, idque constat ex toto habitu, colore & accidentibus animi. calidum etiam credo, quia multarum operationum. Stantibus his, causae exteriores fuerunt potentiores: vbi calor in capite adauctus, attractae sunt materiae: quare frigidum & siccum caput, quod quidem fieri potest. Quantum ad alienationem, crediderim concurrisse omnes causas exteriores, vt solem ardentem, frigus, iter, & siccitatem cerebri. Accesserunt symptomata in cerebro, impressa siccitas, remota calida intemperie, spiritus redditi tenebrosiores: vnde essentialis laesio cerebri, & multiplicata materia ratione collectionis, & laesa ratio propter ascendentes vapores. In ventriculo materiae corruptae, propter multa incommoda in hospitij, equitatione, & animi perturbationibus, & complexionem. Ex ignea caliditate hepatis generantur humores biliosi, vt videre est apud Galenum, de hypochondriaca melancholia. Plurimi flatu generantur propter caliditatem hepatis, & cruditatem ventriculi, neque etiam contrarijs iuari possunt. Propter temperaturam & causas exteriores materiae corruptae putrescunt, vnde humores innominati. 111. de animal. facul. in fine. Eleuati humores biliosi subfrigidi, vnde variae species melancholiae. Ita habemus melancholiam non solum per essentialiam, sed etiam per consensum, cuius signum vri
na

na subtilis, nō permixta : & tunc insaniebat maximè cum talis esset vrina, quia ostendebat materiam ad caput esse eleuatam, iuxta Hippocr. I I I I. Aphor. L x x I I. Quibus vrinæ albæ & perspicuæ, malum, præsertim si in delirantibus appareant. Et subleuat us nūc est vapor, quia vrinæ tinctæ sunt: dein etiam argumento sunt, plurimorum corruptorum exeuntia: neq; ea tantūm, sed etiā tumor ventris, & vtriusque hypochondrij, ijq; cum dolore.

Consult. CXVII. De uarijs symptomatibus, destillatione, podagra, tremore splenis, alijsq;.



Ostquā clarissimus Doctor omnia ita exquisitè in hoc casu cōsiderauit, & tam diligēter curauit, vt vix mihi dicendum aliquid reliquerit, ego vt loco meo fati faciam, dicam pauca quædam, si quidem & in morbi essentia, & in curatione cōueniam cum Excellentia sua. Obseruaui igitur ex relatis, duodecim esse symptomata, quibus partim consueuit affici vir iste, partim nunc afficitur : & quatuor sunt ea, quæ consueuerunt hunc hominē molestare, quæ sunt causæ istorum symptomatum, quibus nunc molestatur. Nam in tempore pueritiæ passus est fluxum sanguinis narium copiosissimè quidem & frequentissimè. Post quem subsequutus est fluxus hæmorrhoidum, in quibus emanabat plurima sanguinis copia. Nūc autem easdem quoque patitur, sed non cum fluxu sanguinis, sed cum dolore tamen & tensione & grauitate. Tertiò passus est dolorem nephriticū maximum, cui medici quamplurimis remedijs occurrerunt. Quartò dolorem arthriticum, ita vt nullus articulorū sit, qui non infestetur dolore. Et ista sunt quæ cōsueuit

pati, quæ etiam sunt causâ eorû quæ nunc patitur, & sunt octo. Primò percipit dolorè quendam propter materiã à nucha per medullam spinalem ad inferiores partes descendentem, quæ quidem materia actu calida est, à loco vnde incipit, vsq; ad locû quò pertingit, id est, à capite vsq; ad pedes, & alias partes ad quas defluit huiusmodi materia. Secundò ista materia deuenit etiã ad fauces, & gustu falsa est. Tertiò patitur inflammationè insignè in summitate nariû cum rubedine, ex qua emanat materia quædam virulenta, quæ videt esse pus quoddã: quæ materia calida admodum est & feruês. Post exitû verò istius materie, exit sanguis, cuius exitu subleuat ab ea. Quartò habet tumore splenis satis apparentè tactui. Quintò ardore vrinæ, vt non possit liberè exire, & tenuissimè exit, ita vt plurimû temporis absumat in mingendo, nec exitus vrinæ satisfacit virtuti expulsiuæ. Sexto, in vrina sunt arenulæ rubeæ, quæ subsidunt in fundo. Septimò dolores patitur podagricos, & quandoque etiam chiragricos, & quoddam stillicidium aquæ frigidissimæ. Octauo consuevit pati, maximè tempore æstatis, ingentem dolorem capitis. Vltimò imbecillitatem ventriculi maximam habet, addit se vix posse alimenta conficere. Scio Domini, vos admirari quomodo in isto corpore possint tot esse præternaturam: si quidem videtur nullum membrum principale illæsum habere, & vnum ex illis symptomatis videtur alteri aduersari. Sed si cognoueritis temperaturã istius, mores & exercitia, faciliè cognoscetis omnia ista tum ex temperatura ipsius naturali, tum ex viuendi ratione orta fuisse. Incipiamus à temperatura membrorum principalium, & primò à temperatura naturali cerebri, quod quidem calidissimum est, vt licet videre ex multitudine operationû, non dico

dico ex optimo discursu, quia bonitas ingenij non à caliditate cerebri prouenit, sed potius à temperata frigiditate. Sed bene multitudo operationum cerebri à caliditate prouenit. Iste perpetuò cogitat & meditatur. Præterea indicat nobis calidum cerebrum aliud, scilicet quòd non potest in hyeme operimentum aliquod capitis ferre: & si apponatur aliquod, statim inflammatur, & sic semper à calido læditur, maximè in æstate. Color etiam faciei hoc indicat. Qui habent in facie rubedinem plurimam, & in oculis venas apparentes, illi habent temperaturam cerebri calidam: ideo ex istis iudico cerebrum illius esse calidum & siccum. Quòd autem hepar & renes calidos habeat, patet ex colore faciei, ex venarum amplitudine, & nihil calidi potest pati, nec hepar nec renes, sed maximè frigidis iuantur. Quòd etiam cor habeat calidum, argumento est, quia est plurimorum negotiorum: fuit miles animosus & audax: isti mores sequuntur temperaturam cordis. Quòd renes sint calidi, indicatur ex arenulis illis rubeis, & ardore vrinæ, & sic habet cerebrum, hepar, cor, renes calidos. Aliud modò est symptoma illis oppositum, scilicet ventriculus frigidus, quod indicat, quia non bene concoquit cibos: minimum sitis: cum habeat tot membra calida, & catarrhum maximè calidum, deberet multum sitire: parum appetit, & est profundissimi somni: & hoc non nisi à frigiditate ventriculi prouenire potest, in quo generatur plurima pituita, à qua eleuantur vapores frigidi ad caput, & sic causant somnum, licet temperatura cerebri potius super vigilijs indicet, quam vt somnum admittat, quia est calida. Cum igitur habeat ista membra taliter præparata, & tales mores, & huiusmodi exercitium, in quo nihil facit secundum rationem, sed cum sit mercator,

exponit se aëri frigido, & patit̄ frigus pedum, & multa incōmoda in itineribus tum terra, tum mari, & equitat̄ cū non debeat, & edit horis incongruis, & dormit quando potest. Ex hoc igitur vitę genere nō est mirandum, cū talia membra principalia habuerit, si in tot symptomata inciderit: nam scitis quōd dixerit Gale. 11. de loc. aff. cap. de dolore capitis, quōd vbi hepar & totus venarū ambitus calida sunt, corpora illa repletioni parata esse: & ratio est, quia vbi hepar & venę sunt calida, habēt sanguinē feruentem, ex quo eleuantur vapores: & sic cū cor sit calidum, & arterię, in quibus spiritus est feruens, transmittuntur plurimi vapores ad caput, & faciūt ipsum redundare plurimis excrementis, & cū accesserit ad hoc frigiditas ventriculi, eleuātur vapores pituitosi, & replent caput. accedit etiā mala victus ratio. Et sic in hoc sunt omnes causę, quę repletionem capitis faciunt. His ita stantibus, dum adolescens fuit, subiectus erat illis fluxionibus, tum propter temperaturam, tum propter victus rationem, quia expurgabant ipsum, & sic sanus degebat: sed non sunt viginti anni, ex quo sanguis ille destitit, & tunc immutatio subsecuta, nephritis scilicet, id est, dolor renū: quo curato, in dolorem articulorum omnium incidit, & in podagram, & tunc habebat fluxum hęmorrhoidum, ille tamē non sufficiebat, sed iam sunt quatuor anni ex quo suppressę sunt hęmorrhoides. Nūc autem tantam grauitatem, dolorem & inflammationem sentit: & ita à duabus cōsuetis euacuationibus destitutus fuit, scilicet à fluore sanguinis narium & hęmorrhoidum, & perseverant eadem causę aggregantes superfluitates, & inde sunt hęc omnia symptomata, quia annū iam agit x l v. & est in principio senectutis, & iam calor naturalis incipit diminui,
cū

cùm sit destitutus à proprijs euacuationibus. Videndum est an sit vna causa omnium istorum symptomatum. Et dico quòd primum est caput, quod primogeniò est affectum. Et notate, quòd differt dicere aliquod membrum esse primogeniò affectum, & esse affectum per essentiam. Nam membrum dicitur primogeniò affectum, cùm læsio primò apparet in eo, & prius egrotat ipsum, quàm alia. Per essentiam verò dicimus membrum esse affectum, propter vapores ascendentes ad ipsum, quia in ipso læsio primò videtur, postea verò læsum per essentiam. Gale. III. Aphor. XII. Destillatio capiti dupliciter, propriè, & impropriè. Propriè destillatio quæ ad fauces vel pectus descendit, dicitur catarrhus, & sic ille nullum catarrhum patitur, quia nullam læsionem habet in pectore, nec tussim, nec anhelitus difficultatè, de quo etiam mirandum est. Intelligo autè catarrhum impropriè, pro fluxione à superioribus partibus ad inferiora: & ab isto proueniunt omnia symptomata: & ista à capite per varias vias descendit, quia est maxima copia materiæ: primò per viam còmunè ad fauces & ventriculù peruenit. Non autè descendit per asperà arteriã (quod cur fiat, aliàs dicam) sed per venas, arterias, neruos, & sic per omnia vasa, & per spondylos: & refert quod percipit humorè calidum à nucha per spondylos vsq; ad pedes peruenire, & per viam còmunem ad fauces, & sentit falsedinem. Et quotidie bis excernit, & hoc est ratione catarrhi, quia alioqui deberet huic esse aluus strictissima: sed catarrhus descendens lubricat & debilitat contentiuam, & ad ventriculum etiam deuenit, cuius signum est, quòd leui screatu expuit. Quòd etiam eadem materia per venas & neruos descendit, apparet ex tumore illo podagrico, & ex tumore splenis. Et non suffi-

ciunt istæ etiam viæ, ex quibus nunc à capite ad alias partes solet defluere, quia materia est multa, ideo sentit repletionem capitis. Hæc cum ita se habeant, primò videndum quæ sit materia defluens, quia scimus istâ defluere. Ista est calida & subtilis. Quòd sit calida patet, quia ex gustu falsedinem percipit, & caliditatem etiam in defluxu, & inflammationem in naribus: & quod exit, est calidum. tum etiam propter materiam descendantem ad renes, quia in vrina apparent arenulæ rubæ, vt Epidemiorum part. IIII côm. v. & VI. vbi docet ex colore arenularum cognoscere, quæ sit materia peccans. Sunt autem arenulæ rubæ in isto, ergo materia calida. Sed cur est quòd materia ista descendat per neruos, & nō faciat contractionem, spasmus & conuulsionem? Dico quòd hoc non fit, quia non firmatur in neruis, sed quia expulsua virtus fortis est, ideo expellit ad iuncturas, & capita musculorū, vbi prouocat dolorem mordicando, propter qualitatem suam malam, & propter intemperiem quam causat, & facto dolore, attrahitur noua materia, quia vt bene dicebat Galenus II. de differentijs februm, & in tumoribus præter naturam, membrum potest dupliciter debilitari, vel quia priuatur proprio & innato calore, vel quia habet caliditatem præter naturam. Sed in iuncturis est vtrunque: primò sunt debiles ob priuationem proprii caloris: hoc autem cōtingit propter materiam quæ ad eas partes præcipitata fuit, quæ multis de causis ad illas partes magis quàm ad alias confluit: tum etiam quia adest dolor: & vbi dolent, incipiunt tumescere, & tunc sequitur inflāmatio, & apparet tumor quidam nitēs, & color eius est ruber tendens ad purpureum, quod indicat multum sanguinis crassioris ad illas partes per venas descendere, & facere inflam-

mationem, & sic talis podagra est calida, quæ est fem-
 per cum inflammatione. Quantum ad alui exitû, ad
 fauces, & ad ventriculû, quod percipit tum ex gustu,
 quia apparet falsedo, tum quia pessimè cõcoquit, &
 percipit materiã ad ventriculum præcipitari, & per
 venas capitis parum materiæ ad nares tendit, & fa-
 cit inflammationem: quæ quia tumet & rubet, ideo
 est materia sanguinea: & cum materia sit feruens,
 ideo facit vesicas in naribus, post quas exit aqua pu-
 rulenta, & vltimò sanguis ater. A quo modo cau-
 setur tumor splenis? Dico quòd iste habet hepar ca-
 lidissimû, ideo redundat plurimo sanguine sæculen-
 to & crasso: & qui tales sunt, dicit Aristoteles, in pa-
 racmastica ætate, melancholici fiunt, & humoribus
 melancholicis redundant. Cum igitur iste sic habeat
 hepar calidum & siccû, ideo redundat plurimo san-
 guine crasso & melancholico. Quòd ita sit, patet ex
 fluxu hæmorrhoidum, quæ etiam nunc intumescût,
 licet natura propter imbecillitatem expulsiuæ non
 possit sese exonerare, & propter materiæ crassitiem:
 ideo ille sanguis ad splenē defluit, & cum plurimus
 sit & sæculentus, non potest cõfici ab ipso, & ideo su-
 perfluitatib. plenus reddit, & intumescit, vt dicit Ga-
 le. Quòd vbi intumescit splē, corpus marcescit, quia
 tunc redundant humores crassi maliq;. Et sic dico,
 quòd splen intumescit magis propter multitudinem
 alimēti mali & crassi, quàm ex catarrho à capite de-
 fluente. Et dicit Hipp. VI. Epid. cõ. II. Aph. IIII. qui
 subiecti sunt catarrho, nõ incidût in tumore splenis.
 Et Auicenna cap. de catarrho, idem dicit de splene,
 qui videtur contrariari Galeno, quia Galenus af-
 fert tres causas, & primam refutat Auicenna: pri-
 mam accipit tanquã Galeni, & ipsum impugnat, sed
 ipse Galenus eam refutat, & adfert alias Auicenna,

quas etiam habet Gal. & dicit, quòd causã cur catarrhosi nõ fiant splenetici, est, quia patientes catarrhũ sunt frigidi, & plurimis cruditatibus abundant, & non fece sanguinis: & cum non abundant fece sanguinis propter frigiditatem, ideo splen ipsorũ non potest intumescere. Sed Galenus recitat tres causas, & primam quæ Sabini fuit, refutat, quòd qui patiuntur in vno membro, non possunt in alio affici. Hoc non est bonum. Secunda ratio, quæ mihi videtur cum priori eadem esse, quòd natura scilicet non possit excrementa sua transmittere ad tot diuersa loca: sed cum fuerit aliquod membrum debile, ad illud omne superfluũ depellit. Tertia, quam approbat Galenus, & Auic. etiam accipit, est cum dicebat, quòd qui catarrhosi sunt, frigidi essent, & tales non abundarẽt fece sanguinis. Sed cur est quòd ille simul destillationẽ & tumorem splenis patitur? Dico id fieri propter caliditatem membrorum inferiorum: & eadem causã quæ facit destillationem pro parte, facit tumorem splenis, quia generat plurimũ sanguinem crassum & feculentum, ex quo repletur splen. Primò igitur est catarrhus salsus, qui fit propter vapores biliosos, ab hepate & ambitu totius eleuatos ad caput, & cum ipsum calidum reperiãt, magis ibi excoquantur. Vrina acrior, in qua arenulæ rubæ: hoc fit tum propter materiam descendẽtẽ ad illas partes, tum propter aciditatem & acrimoniã. Vrinæ impedimentum & suppressio fit, quia materiæ catarrhales colulum vesicæ & meatus obstruunt, & ita stricta subtilis exit vrina. Et hæ sunt causæ multiplicantes symptomata. Sed quòdnam iudicium facis de hoc homine? quia video, quòd si ista fluxio non fieret, caderet vel in apoplexiam, vel in pessimos morbos. Dico, quòd stante ventriculi frigiditate, quæ est cum propeer ca-
 tar-

tarrhum descendente, tum propter caliditatem hepatis, absumentem pinguedinem omenti, tum denique propter pessimam victus ratione: stante etiam caliditate hepatis & cerebri, concedo quod casus sit difficillimus, tamen minoranda est materia medicamentis, & recta victus ratio prescribenda: credo quod si non sanabitur ex toto, in meliorem tamen statum redigetur. Ideo si possemus refrigerare mandata membra, ne tam calida essent, illi multum prodesset, & maxime continuis alimentis, quibus remoueremus causas, ne materiae de nouo generarentur. Cura igitur ad hoc redigatur, ut causae harum fluxionum corrigantur. Et licet cerebrum mandet, tamen inferiora etiam ad ipsum mandant, scilicet, hepar, ventriculus, & ambitus totius venarum. Ideo debemus incipere a causis proximis, quod fiet prohibendo, ne materia noua generetur: quia si remoueatur materia non generata, & prohibeatur ne noua amplius generetur, remouebitur etiam fluxio. Cum igitur plurima adsit materia generata in hoc corpore, & cacochymia, ideo euacuanda materia. Et notate, quod exquisitè antequam è domo proficisceret, euacuatus est, & postea propter agitationem maris plurimum euomuit: nihilominus aliquantulum euacuarem, & prepararem materias, & rursus euacuarem vel ter vel quater, ut ita exquisitissimè corpore euacuato, alterarem membra, & sic prohiberem ne noua materia amplius generaretur. At cum tria genera euacuationis ab Excellentia vestra sint proposita, videlicet missio sanguinis, cauteria, & euacuantia pharmaca, ego laudarem missionem sanguinis, quia caliditas membrorum inferiorum, est causa omnium istorum symptomatum: & sic euacuarem simul, & refrigerarem hepar, facta prius lenitione alui cum floribus cassiae, quia

semper omnem lenitionē alui volo vt præcedat aliqua lenitio per clysterē cōmunē qui est ex flore cassiæ &c. qui euacuat à vētriculo crassos humores, feruidos & adustos, sine aliqua attractione. quin etiam do minoratiua cum scamoneatis aliquanto fortioribus. Quicquid dicant alij, nunquam ad digestiua descendam: quia si prius digestiua exhibemus ante aliquam minorationem materiæ, humores crudi per venas transeunt, atque eas obstruunt, & sic augēt putredinem, vel eam si non adsit, efficiunt. Ideo à basilica dextri lateris mitterem sanguinē. Syrupi essent de endiuia, de rosis. Intermitterem syrupū de papauere simplicē, quia volumus preparare materias, non sistere. Præterea adderem oxymel (quod licet in ægritudinibus vituperetur, tamen video Hippocratem exhibere in pleuritide: & tertio κατὰ γένος, vbi neruus in profundo est vulneratus, iubet cum medicamenti misceri acetum, vt virtus medicamenti vi ipsius aceti perducatur ad locum, & in transitu annihiletur virtus aceti, maximè quando permixtum est cum melle. Et licet in isto abundant humores biliosi, illi tamen sunt permixti cum pituita: cuius signum præbet falsus humor, qui vel propter adustionem pituitæ, vel vt Auicenna voluit, ob permixtionem bilis cum pituita prouenit) cum aqua endiuie, buglossæ, vel decoctio eorum, aut alijs huiusmodi. Quo ad euacuationem, euacuarem etiam cum cochijis in principio, vt Galenus §. Methodi etiam euacuat cum istis, & Rhazes ab eo accepit, & cochias appellauit. Ibi nanq; curat Galenus catarrhū cum istis in principio: & sunt optimæ in euacuanda materia crassa, pituitosa, existēte in iuncturis, quia à longinquo trahūt: & cum pilulis de hermodactylis, & alijs in quibus agaricum & colocynthis ingrediuntur, quia

quia in hermodactylis est vis trahendi à iuncturis, unde inflant venas: ideo primæ, scilicet cochix, magis placerent. Euacuato corpore deuenirem ad corroborationem membrorum, & ratione podagræ diuersionem facerem. Credo quòd si posset à vino abstinere, cùm tanta caliditas sit in inferioribus membris, quòd præstantissimum hoc esset remedium, licet habeat ventriculum imbecilliorum: fortasse si remouebitur catarrhus, & contemperabitur hepar, melius concoquet: & sic pro potu darem aquam correctam cum zuccharo, vel cum modico cinnamomi & anisorû: & quia etiam Galenus dicit, quòd vinum potens noceat neruis: sed patientibus podagram, vinum prohibetur, non quòd fortè tantum à potentia noceat, sed etiam alia de causâ. Galenus tertio de ratione victus, loquens de vino, ne trahat, inquit, materias fluxioni paratas per vasa: & ideo aquosum & subtile nocet, quia aperit & præparat humorem vt fluat ad iuncturas. Ideo vetamus vinum podagricis, quia timemus nimiam apertionem, & humorum subtiliationem. Sed aqua magis refrigeraret quàm vinum, & non ita attenuaret. Et Auicenna proponit aquam mulsam, abstergit enim, & per vias vrinæ purgat: sed aqua cum saccharo & modico piperis, noceret spleni: dico, quòd quando splen esset tumefactus ex ventositate vel frigiditate, quòd noceret: sed intumuit propter caliditatem, ideo proderit potus. Sed cur est quòd aqua chalybeata exhibetur splenetico indurato propter feruorè sanguinis? hoc fit, quia refrigerat hepar, quod vbi est refrigeratum, minus generat de fece sanguinis. Hinc falsò existimant qui putant ex inflammatione hypochondriorum intumescere splenem. Quòd si vinum voluerit, illud sit delicatissimum, quantum possibile est.

Quod ad cauteria, in capite neque actualia, neq; potentialia facerem, quia vitium non est cerebri, sed membrorum inferiorum, quæ mandant ad ipsum. Si esset catarrhus ex imbecillitate tantû cerebri, quòd non posset concoquere propriû alimentû, forte conuenirent: sed quia tota materia ab inferioribus membris ad ipsum eleuatur, vt non possit cõcoquere, nec difflare, nec reprimere tot vapores, & quia calidum est cerebrum, non exhiberẽ cauteria, sed cum pulueribus frigidis & humidis, quales essent ex flore nenupharis, violarum, rosarû: quia rosæ propter tenuitatem suæ substantiæ, faciût vt talia penetrêt, & sunt frigidæ etiã, & sic vapores reprimerêtur, & contẽperarent temperaturã cerebri. Quòd autẽ cauteria non facerẽ ad talos, in causã est multitudo ibi neruorum, chordarum ac ligamentorû, sed potius intra genu: & plurimos noui taliter curatos, exhibitis prius opportunis remedijs. Nec mihi displiceat, vt assumeret aquas thermarû Veronensium, quas Calderianas vocant, quia conferrent spleni, & refrigerarent membra inferiora, hepar, renes, & ventriculum corroborarent sua astrictione. Ideò si aliqua aquæ conferût, credo quòd istæ conferrent. Deinde in conseruatione vellem vt denuò isto remedio vteretur, acciperet maximam aquæ quantitã, & in ipsã myrobalanos, flores senæ, epithymû decoqueret, in quo decocto infunderent rosæ multoties, & in hac infusione pro vna lib. i i i i. vel v. drachmas rheubarbari apponeret, & factã infusione exprimeret, & faceret syrupû, qui optimè euacuaret materias crassas & calidas omnibus, & refrigeraret hepar, & acciperet vel semel quolibet septimana vel ter in mense $\frac{3}{4}$ quatuor pro vice. Nam ex myrobolanis habemus confortationem iuncturarum, & ex rheubarbaro confortationẽ hepatis.

Consult. CXVIII. De scabie, tinnitu aurium, hæmorrhoidibus.



Accidentia sunt cōsideranda. Primò scabies, quæ habet pustulas magnas, sæpe aquositatē cum dolore, & mordacitatem emanantem: habet & maculas nigras circa pectus, quæ depilat & persistūt semper: habet etiā tinnitum aurium, qui perseuerat, noctu præcipuè, & dolores maxillarū, etiā hæmorrhoides copiosæ: sanguis est copiosus, & post sanguinem aqua exit, quæ mordicat & calida est, causat eundem dolorē in crure: febrem quoque, vt nunc, habet. Materiæ & causæ symptomatum inueniendæ, vt curemus. Sed oportet prius scire temperaturam naturalem, vt sciamus qualitatem lapsus & medicamenta. Procedam per conclusiones. Temperatura calida, & hepar calidum. Color magnū argumentū temperaturæ, nisi sit aliquod accidens, vt in sole versatus. Sed vera temperatura colligi debet ex actionibus & excrementis. Cætera accidentia postea testimoniū & fidem perhibēt illis, sed non sunt tam certa. Actiones secundū naturam quales erant nescio: nam æger ad nos venit, venæ tamen amplæ. Pili & muscoli calidam temperaturam ab initio fuisse significant. Nec curo aliorum temperaturam, vt cerebri, quia nec illud, nec alia membra curabo, non enim ibi est affectus: ex caco-chymia omnia dependent, quæ quidem est ab humoribus in ventriculo & iecore genitis. Hepar est calidū & siccum intense redditum ex operationibus: eos enim qui hepar calidum & siccum habent perpetuò, destitui bonis actionibus in ventriculo necesse est, quia caliditas adurit, & hepar amplectitur ventriculum, & cū calidum est, consumit sua caliditate omenti pin

guedinem, quæ adhæret membris à frigiditate, nec permittit generare adipem omēti, cuius vsus est, vt calorē in ventre conseruet: ideo ibi vulnerati male cōcoquūt. Etiā voracitas facit vt hepar ante tempus cibū attrahat. Inde fiūt circa venas meseraicas crasforū humorū obstructions, deinde in vētriculo generat pituita, & ita vna causa alteram iuuat. His stantibus, cognita hepatis & ventriculi temperatura, ratione hepatis calidi multū bilis & fēcis sanguinis generatur, quod est naturale. Ad hæc accesserūt exercitia importuna, & labores: est venator, pedes ambulat, nūquā quieuit, semper magnis laborib. deditus, coiuuit, ingessit cibos quoscūq;, & vina potentia bibit. Incidit in aliam calamitatē. Sunt x i i. anni cūm coiret cū scorto, incidit in pustulas, dixit Medicus: passus morbum Gallicū, dedit linimentū ex argento viuo: per os spuit, & membra neruosa parata ad fluxiones reddidit. quæ inde incōmoda sequunt? Auic. dicit argentū viuū inducere stuporē, paralyfin &c. & tota sua forma naturæ humanæ cōtrariari. Hęc igitur omnia accesserunt: primò temperatura hepatis a natura fuit calida: secundo victus, exercitatio & consuetudo anxia: tertio, argentū viuū omnia membra debilitauit. Scabies est ex fluxione, non ex cōtagio, in illo viro, omniaq; accidētia præter febrem, tinnitus, grauitas capitis, hæmorrhōis &c. secūdo de diff. febriū. Cūm est fluxio, videndū quod sit membrum mandans, quod recipiens, viæ per quas, & quæ materia fluens. Hęc est regula. Cutis igitur membrū recipiens est & occasio, quia debilis, & accidens ei aduenit nouū ratione cutis, trahit &c. Contagium quod cuti intemperie & putredinē affert, cuius ratione trahit ad se humores, qui parāt fluxionē. Vbi igitur abstergitur putredo illa, non fit attractio vltterius. 2. de dif.

differ. feb. In hoc viro non est causa membrum recipiens, sed interior causa est membrum mandans, quod ipsum recipit aliunde. Ideo & hæmorrhoides habet, quia venæ illæ recipiunt humorē alium defluentem. Oportet igitur esse membrum mandans. Sic tinnitus aurium fluor est. Necesse igitur est aliquā esse materiā, cum omnia symptomata ad fluxionem sunt reducta. Scabies propria cutis, quæ recipit membrum mandans musculi: & reliquæ partes interiores quæ debent nutriri, mittunt nutrimentū suū, quo nutriri debēt, ad cutim, quia alimentū non est bonū, ideo quod fundamēta, hepar & chylus non sunt secundū naturā, vnde malū generari sanguinē necesse sit. Musculi igit trahunt dulciore partē, & quod reliquū est mittunt ad cutim. Porrò is humor in substātia vel tenuis est, vel crassus, vel falsus, vel acris, aut mordax, & semper diuersa facit. Humor falsus diuersificat in substantia, facit scabiem cum pruritu. Si est pruritus tenuis, natura facilè euaporat: si est materia crassa, exsculptura non euaporat, sed facit pustulas, & ibi putrescit. hæc vera causa scabiei. Materia subtilior pruritū generat, crassa scabiē: hoc voluit Auic. Materia igit huius scabiei est humor falsus, qui transmittit ad manus & crura, quia maior copia materiæ: & exit cū dolore aqua, quia humor calidus soluit cōtinuū & alterat. Concurrūt igitur duæ causæ, quæ sunt causa doloris secundū Gal. licet alij male dicūt vnā esse. tinnitus in cerebro, & grauitas capitis, ex materia fluenti nascit. 3. de loc. aff. cap. de dolore capitis. Qui habēt calidū hepar, & totū ambitū venarū calidū, subiecti sunt repletioni capitis: & si accessit cruditas per viā cōmunē, repletur caput, & ita fit nō tantū ob hepar, sed etiam ob vētriculū, sicut hīc cōcurrūt hæc duo, non tamen ob naturā hepatis, sed ob victū etiā malū

facientē crudum ventriculum. An caput calidum sit, non habet instructionē: potest tamen esse calidum, & causam habere, quòd facilè ascendāt vapores, qui postea mouentur in aure, & faciunt tinnitum.

Consult. CXIX. Ad melancholiam hypochondriacam.



Q̄seruata victus ratione, vellem quòd in anno bis, vere scilicet & autumno, se purgaret. Vere mitteret sanguinem à vena basilica cubiti sinistri. In intermedijs vero temporibus acciperet ter aut quater in mense infra scriptas pilulas:

℞. Epithymi Cretenfis ʒ vj.

Agarici electi ʒ iiij.

Corticis ellebori nigri ʒ iiij.

Specierum hieræ simp. ʒ iiij.

Cum melle rosato fiat magdaleon, de quo singulis vicibus ʒ j. accipiat, & formētur pilulæ tres cum melle rosato, & eo vespere quo assumet pilulas has, accipiet scutellam vnā panis loti, seu panatellæ, & aut nihil, aut parum admodum bibat, accipiatque sapiissimè per horam ante prandium Cōseruæ florum borag. atque buglossæ parum. Ante syrupū sumere poterit elect. lenitiui ʒ x. cum zuccharo, fiat bolus. Pro syrupis:

℞. Syrupi de fumo terræ ʒ j.

De buglossa

De pomis ana ʒ s.

Aquæ boraginis ʒ iiij. Misc.

Pro purgatione:

℞. Confect. hamech ʒ iiij.

Syrupi ros. solut. ʒ iiij.

Cum aqua betonica fiat potus.

Post medicinam:

℞.

℞. Sacchari rosati $\frac{3}{4}$ ij.
 Conferuæ florum boraginis $\frac{3}{4}$ ij.
 Buglossæ $\frac{3}{4}$ ij. Misce, fiat electuarium.

PILULÆ PRO MELANCHOLICO.

℞. Epithymi Cretenfis $\frac{3}{4}$ j.
 Aloës optimæ $\frac{3}{4}$ s.
 Garyophyllorum
 Nucis muscatę ana 3 ij.
 Corticum ellebori nigri 3 vj. Cum syru-
 po de corticibus citri fiat magdaleon, de quo fiant
 pilulæ, pro singula drachma tres: sumantur ante cœ-
 nam per horam, bis in septimana.

PRO QUARTANARIO PURGATIO.

℞. Florum boraginis, buglossę, ana 3 iij.
 Radicum ellebori nigri 3 v.
 Polypodij $\frac{3}{4}$ s.
 Fol. senæ
 Epithymi ana $\frac{3}{4}$ s.
 Radicum boraginis
 Buglossæ
 Capillorum Veneris ana 3 iij. Bulliant
 in sufficienti quantitate aquæ ad cõsumptionem ter-
 tiæ partis, colentur & exprimantur, colaturæ postea
 addantur,

Succi fumi terræ
 Boraginis, buglossæ ana $\frac{3}{4}$ j. s.
 Succi pomorum $\frac{3}{4}$ iij.
 Zucchari albi $\frac{3}{4}$ xv. Fiat syrupus, su-
 mat per quinque dies.

Consult. CXX. De scabie.



Rat puer laborãs febre putrida & hydro-
 pe, cuius cutis aspera erat, qui habebat
 dispositionẽ ad scabiẽ, de qua Monta-
 nus hoc dedit consilium. Scabies est de

genere fluxionum, & semper deducenda est ad fluxiones: sed in qualibet fluxione quatuor sunt consideranda, scilicet membrum mandans, membrum recipiens, materia quæ transmittitur, & viæ per quas. Ad quam partem hic transmittitur? ad totam cutim, quæ recipit, propterea quia imbecillior est à propria natura. Semper enim videbis ad cutim fieri crisin in fine ægritudinis, cum scabie, pustulis, sudore, in adolescentibus, & non rarò etiã in alijs. Est præter hæc debilitatus admodum, quia perpeffus magnû frigus, & aquas, vt penè exhaustus sit calor, nec possit concoquere alimentû propemodû, nec expellere excrementa. Propter paupertatem & ingluuië cibos multos ingessit & varios, nec boni succi, nec nutriti cõmodi: vnde in venis & hepate materia multa. Viæ quoq; latæ sunt, quia cholericus: habet latas venas, & poros amplos. Scabies, rigor, sudor, lepra, pruritus simplex, siccus, sub cute ab eadẽ materia nascuntur. Ita omnes fluxiones sunt, sed tantum secundum diuersum modû substantiæ & virtutis expellentis variãt. Si materia tenuis, & pori aperti, nullû fit symptoma, quia materia exhalat: si verò materia crassior, virtus non fortis, & cutis resistit, fit rigor. Est etiam rigor sine febre interdum, vt Gal. lib. 2. de diff. febriû, & lib. de rigore, ostendit. Si materia crassior, virtus fortis, & viæ latiores, peruenit ad cutim, ac ibi contrahitur, & pustulas generat: estq; materia pituitosa, aliquando salsa. Est ægritudo in compositione, quia cutis asperior est quàm esse deberet. Gal. 2. de causis mor. Morbus est quãdo impedit operationes: quãdo verò non impedit, est symptoma. In hoc puero sunt pustulæ, nec est simplex pruritus, sicut vbi materia tenuis est. Extinctione cessat pruritus, quia dilatatis

poris

poris euaporat: hinc cutis aspera est, & facit desquamations, quia materia multa quidē, sed tenuis est, & apud antiquos propriè lepra dicit. Nam apud medicos hodie lepra longè alia est, quàm quæ apud antiquos elephantiasis dicitur, & desquamatur ferè vsq; ad ossa. In hoc puero est ex humore falso, pituitoso, adusto. Si ex melancholia, faceret elephantiasin, & veram lepram. Auicenna dicit falsedinem ex duabus causis provenire, vel cum bilis cum pituita miscetur, vel quando aduritur materia pituitosa. Prima causa habet difficultatem, quia nunquam ex tali mixtione facietis falsedinem, rem scilicet amaram cum insipida miscendo. Nam falsedo etiam differt ab amaritudine, vnde non scio qua experientia ductus hoc dixerit. In secunda causa verum dixit: quia ubi calor adurens occupat materiam terrestrem & crassam, & eam exurit, salsam facit. Sic etiam falsedo maris, ob adustas partes terreas, mistas cum humore aqueo, vt Theophilus ait de saporibus. Salsedo in terrestri substantia fundatur, sicut & amaritudo: habent enim eandem causam materialem, materiam scilicet crassam & adustam, & efficientem, vtrunque à calore adurente, nisi quia amara sunt magis adusta, ita etiam, vt si quæ salsa vltèrius aduruntur, fiunt amara, sicut nitrum est salis genus excoctum. Cura à materia rei. Primò ponamus corpus esse purgatum. est falsedo, & est fluxio, que quandoque sola euacuatione curabitur, vt materia cum nõ sit iam amplius, mundetur: vnde etiam dicit Galenus, sæpius se fluxiones sola euacuatione curasse. Abstineat à rebus falsis, acetosis, carne bouina, vino crasso, potenti, & omni re calida & adurente: vtatur vino subtili & tenui. Si adhuc medicamentis indigeat, vtendum

abstergentibus, exiccantibus: quia si illa quæ adhærent, abstergantur, corpus reddetur æquale. Asperum cum abstergentibus curantur: sic cōueniunt omnia acida, vt succus limonū, acetosa, oxylapathum, &c.

Consult. CXXI. De scabie humida cum pruritu.

℞. Floris cassiæ ʒ x. Cum zuccharo fiat bolus, sumat hora ante prandium. Item

℞. Succi boraginis, fumi terræ

Cichoreæ ana ʒ iij. Purificentur & seruentur pro tribus vicibus. Sumatur ergo tertia pars huius syrupi, & feri caprini ʒ vij. Misce, & sumatur in aurora loco syrupi per 14. aut quindecim dies, prout magis conferet. Item

℞. Rheubarbari electi ʒ ij.

Macis ʒ j. Incidantur & aspergantur vino aromatico, postea infundantur in aqua lactis caprini per horas vigintiquatuor. Facta diligenti expressione & colatura,

℞. Confect. hamech ʒ iij.

Syrupi ros. solut. ʒ ij. Misce, fiat potio danda in aurora, cum custodia. Item,

℞. Sacchari rosati ʒ vj. Utatur ante cibum mane & sero, & sumat ʒ s. singulis vicibus. Post assumptionem medicamenti, post duos præcedentes syropos, mittatur sanguis à vena hepatis dextri lateris, & extrahantur circa ʒ viij. Item peractis his omnibus ingrediatur balneum aquæ dulcis, & primò sudet, & fricetur, deinde lauetur: postea in secundo loco balnei mittatur sanguis per cucurbitulas, applicando eas tibijs, brachijs, spatulis & natibus, postea illinantur manus & totū corpus linimēto sequenti.

℞. Therebinthinæ lotæ ʒ iij.

Olei rosati

Buty-

CONSULT. MEDICIN. 653

Butyri recentis	ana	℥ ij.
Storacis calamitæ		℥ j.
Succi limonum quantum pondus est omnium.		
Salis nitri		℥ s.
Salis communis		℥ ij.

Misce omnia simul, & bulliant in olla noua ebullitio ne vna, deinde remoueatur ab igne, & vbi tepuerit, adde vitellos ouorum recentium numero iij. comisce omnia simul ad formam emplastri, & vttere. Antepurgationem nullas lotiones aut vnctiones faciet: si tamen omnino lauare vellet, faceret id cum decocto althææ, maluæ &c. & inungeret manus cum succo arantiorum medijsaporis. Pedes tumescebant, lauit ex rosis, althæa, camomilla, salua, maiorana, pulegio, in vino & aqua coctis.

Pro scabie post purgationem:

℞. Radicum ellebori nigri		℥ vj.
Lapathij acuti	man.	x.
Radice ellebori albi		℥ ij.
Limorum cum radicibus suis in frustra incisorum numero xv.		
Therebinthæ		℥ iiij.
Salis nitri		℥ ij.

Contundatur omnia simul, & fermententur per dies quatuor in vase mundo & bene cooperto, ne transpiret, sepelianturq; in fimo equino: post fermentationem quatuor dierum extrahatur primò aqua, deinde oleum: vtrunq; optimè scabiem remouet, & cutem ab omni labe mundabit.

Vnguentum ad lepram datum, seu scabiem ortam, ex vitio uirtutis assimilatiuæ, purgato antea toto corpore, CXXII.

℞. Radicum lapathij		℥ iiij.
---------------------	--	---------

Radicum ellebori nigri & albi ana $\frac{3}{4}$ ij.

Hordei fracti pug. iij.

Bulliant omnia in suff. quant. aquæ ros. ad consumptionem duarum partium, deinde facta diligenti expressione & colatura,

℞. Salis nitri $\frac{3}{4}$ iij. Olei rosati

Butyri recentis ana $\frac{3}{4}$ ij.

Bulliant omnia simul ad cōsumptionē aquæ, deinde

℞. Succi limonum $\frac{3}{4}$ iij.

Terebinthæ $\frac{3}{4}$ ij.

Misce omnia simul, & cū refrigerari incipit, addito vitellos ouorum recentium nume. iij. & serua: inungatur scabies, scalpta prius.

Consult. CXXIII. Pro tremore manus.



Robabile est hominem ab ineunte ætate cudendis nummis occupatum, vehementissimo motu, & magno malleorū pondere, brachia ita exercuisse & calefecisse, vt plurimo alimento indigerent, quod etiam cōmodissimè attraherent per vasa abundantia calore dilatata, tum optimè cōficeret, ob bonum habitū, & caloris redundantiā: sed vbi postea à consuetis laboribus desijt, consuetū quidem alimentum ad brachia deriuasse, sed otio ac desidia effectū, vt sublata pristina distillatione & excrementorū expulsionē, calor naturalis paulatim suffocaretur, temperatura brachiorum frigidior redderetur, excrementa colligerētur, meatus constiparentur: vnde imbecillitate in iisdem brachijs parata, præterquàm quòd propriū alimentum nō rectè conficeretur, etiam aliunde defluuium pateretur, sicut perpetuò comparatū est, à fortioribus ad imbecilliora defluuiū fieri. Ergo & totū corpus languidius, segnius, obesius effectum, & brachia præ

pre frigiditate acquisita, & humorū cruditate, in tremorē insignem incidisse. Curatio esset, vt quamaximè corpus exerceret in aëre temperato, frictionibus lōgis & assiduis, & balneis vteret, parcissimè vueret, à vino quāmaximè posset, abstineret, sed decoctum saluix, cinnamomi, & garyophyllorum, addito zuccharo, potaret. A cibis crassis, frigidis, humidis, glutinosis prorsus abstineret, comestationes potationesq; tanquam pestem euitaret. Singulis septimanis pilulis vteretur in hunc modum confectis.

℞. Agarici electi	3 vj.
Colocynthidis	3 ij.
Aloës hepaticæ	3 j.
Garyophyllorum	
Muscata	ana 3 j.
Salis gemmæ	3 iij.

Cum oxymelite simpl. fiat magdaleon, ex quo fiant pilulæ iij. singulis vicibus pondere 3. j. sumendæ in aurora. Post aliquot purgationes, brachia assiduè lauentur oleo quod ex benzoi ab vnguentarijs conficitur. Cinnamomo optimè condito cum zuccharo, ante & post cibum assiduè vescatur.

Consult. CXXIIII. Pro quodā iuvene, qui post longam quartanā patiebatur magnā splenis duritiem.

℞. Fol. senæ	Epithymi	
Polypodij		ana 3 ij.
Myrobalanorum chebulorum		3 j.
Aloës optimæ		3 iij.
Corticis rad. Capparum		3 j. s.
Myrrhæ		3 ij.
Croci		3 j.

Puluerizētur omnia per se, deinde misceant, ac cum syrupo de Epithymo fiat magdaleon, de quo fiant

pilulæ: pro singula vice tres sumat 3. j. hoc ante cœnam semel in septimana. Ordinatus victus ratione utatur, & si vult, potest inungere locum lienis oleo de capparibus: sunt enim obstructions, ut ex totius corporis colore apparet. Hic adueniente vere, quia his vsus non erat, & inordinate vixerat, in febrem incidit. Montanus cassiæ 3 x. cum 3 ij. specierum hierę exhibuit: pro syrupis postea serum lactis caprinę, cum succis fumi terrę, boraginis, cichorij ana 3 j. Post secundum syrupum sanguinẽ misit: vltimò medicinam dedit ex confectioe hamech, & syrupo rosato solutiuo. Pro aperiendis deinde obstructionibus syrupum ex succo chamædryos & agrimonie, cum infusione corticis mediani fraxini 3 s. Cetrach, 3 vj. Infundantur in sero lactis, & modico aceti, bibat mane, ex sero lactis Caprini ad cyathum vnum. Chamædryn & agrimoniã addidit, quia ex malo regimine in obstructionem alterius lateris inciderat.

Pro splene ordinavit hoc vnguentum.

℞. Bdellij

Ammoniacy ana 3 iiij.

Dissolue in aceto squillitico: deinde adde

Oleum amygdalarum amararum

Axungie porcine ana 3 j. s.

Agarici optimi puluerizati 3 vj.

Corticum rad. Capparum 3 v.

Corticum ellebori nigri 3 ij.

Cum modico ceree fiat linimentum, pro splene. Si pingua pauca sunt, duplicentur.

Consult. CXXV. de Gallo quodam laborante quartana triplici.

Nescio



Nescio adhuc quomodo laboret, quare faciam ut docet Auicenna, subtiliabo regimen, donec morbus appareat. Primò rationem victus præscribã. Sumpsit heri electuarij lenitiui drachmas duodecim, cum saccharo in boli forma. In fine accessionum habuit magnam sitim: quare laudo talem potionem.

℞. Syrupi acetosæ multæ acetositis $\frac{3}{4}$ iij.

Vini granatorum $\frac{3}{4}$ j.

Aquæ boraginis lib. j. Misce, & vtatur profiti, & bibat cyathû vnum in fine paroxysmi, dum sitit. Pro syrupo, quia obstructions habet, vt serè semper videbitis in febricitatibus, cum occurretis post vigesimû diem ægritudinis, hypochondria tangentes, percipietis tensionem. semper habet obstructions, quæ aperiendę sunt, aliàs nunquã curabitis febrem. Sed noluit in principio progredi cum amaris, & per se aperiensibus.

℞. Oxymellis simp. $\frac{3}{4}$ j.

Mellis rosati $\frac{3}{4}$ s.

Aquæ cichoreæ $\frac{3}{4}$ iij. Misce, & detur manè pro syrupo. Iste Gallus habet quartanam quotidianam, quod sæpe contingit. Exemplum habetis apud Galenum de Eudemo, primo Prognost. etiam de differ. feb. Sed circa febres putridas multa essent dicenda, quæ oportet supponere: nihil enim dicam ex obseruationibus, sed principijs, sicut fieri debet: quod cum hîc non possumus, vbi supponendo sine arte loquimur, in solis fundamentis docendû. Quatuor sunt humores qui putrescunt: bilis putrescens tertianas facit, pituita amphimerina. Sed an sanguis putrescat, & quomodo ex eo fiat febris, dicamus in scholis. Nunc tres humores sumamus. Melancholicus humor putrescens, facit quartanam. Cum tali-

bus occurritis, quomodo debetis agnoscere? Non sunt expectandi dies paroxysmorū: hoc ridet Galenus 2. de Crisibus: possunt enim decipi, cum variat pro ratione adustionis humorum. Si ex paroxysmis hanc vultis iudicare, erit quotidiana. Optimum igitur erit febres cognoscere à proprijs signis, differentijs, & accidentibus: quorum signa trademus. Humor melancholicus est crassus, sæculentus, frigidus, mordax sua aciditate, & potius astringens, exasperat ac si mespilum comederetis, sicut acida, austera, acerbata, quæ Arabes pontica dicunt: ergo à natura rei, cum humor ille ab interioribus ad exteriora mouetur, facit frigus magnum, quia humor in se frigidus tangit musculos: & est humor naturæ inimicus, calori oppositus, ideo natura prosternitur, & fit maxima contractio caloris, etiam frigus magnum, quod est signum quartanæ. Differt enim à frigore bilis: nam ipsa quoque frigus facit, & motum cōcussionis: sed quartanæ frigus maius est, ac si quis aëri valde frigidus occurrat: dicunt se tantum frigus sentire, ac si quis nudus versetur in niue: frigus verò à bile est ac si alicui mordicaretur.

Quotidianæ etiam frigus ab alijs facillè distinguitur: est enim rigor eius tanquam cum sono, & hoc est primum signum prognomonicum, cum quibus discernuntur febrium pulsus. Deinde ob humorē frigidum non ita inæqualis est sicut quotidiana, magis tamen quàm tertiana: & ratio est, quandoquidem qui quotidianam patitur, habet singulis diebus paroxysmum: & quia pituita multa est, quæ multitudine sua extinguit calorem, supra modum aggrauat naturā, & fit pulsus inæqualis, sicut de baculo exemplum dat Galenus.

In quartana licet melancholia sit pauca quantitate,

te, nec tam abúdet in corpore quàm pituita in quotidiana, parum aggrauatur grauitate propria, & ita ratione ponderis fit pulsus inæqualis.

In tertiana magis augetur necessitas euentandi, ideu maior est pulsus, & velocior quàm in quartana aut quotidiana: & quia humor leuis est valde, non ita aggrauatur natura, & ideo pulsus non est ita inæqualis. Habet igitur pulsus in quartana se mediocriter inter tertianam et quotidianam, in æqualitate & velocitate, & magnitudine. Est præterea rarior, ob materiam scilicet humoris terrestris, & propter duritiem seu siccitatem instrumenti, quæ etiam ad paruitatem facit. Est & aliud signum discernendi ipsa, quinta accessio febris, principium paroxyfmi & augmentum longiora quàm in reliquis, quia est tardæ putrefactionis, nec habet statum nec declinationem, ut quotidiana. Patitur igitur quartanam, ergo ex humore melancholico putrescente. Sed hic noster ægrotus quotidie patitur, quia natura aggrauatur multa materia, raro siquidem sola & simplex contingit. Sæpe videtur quotidiana vel quartanam puram, quia semper aliquid pituitosæ admiscetur melancholiæ. Frequentius verò exquisitas tertianas videre contingit: hæc aliquando minorem frigiditatem, & propter pituitam admixtam quandoq; maiorem habet: & uidetur vnus dies quasi quartanæ deditus esse, reliquis duabus mouentur alij dies. Habet autem febrem propter obstructionem viscerum: non habet quibrem duritiem tympaniticam, sed tensionem, quia febrem habet quæ calorem naturalem mutauit in igneum ideo facit coctiones deteriores. Sunt ergo alendi cū uictu tenui, quia dum manet febris, manet cruditates, & sic fiunt tensiones. Oportet autem has obstru

ctiones etiam curare, quia habent causam sine qua non potest curari febris. Item dedi Syrupos aperientes, & iam apparet coctio aliqua ex parte, quæ quamuis sit laudabilis, nondum tamen est status, donec exactissimè signa appareant. Cura est materialis: ergo stante actione vrina, euacuare oportet, cum appareat in signa coctionis. Humor melancholicus est: quod erit igitur instrumentum? Mihi semper familiaris, quo vtor, est confectio hamech aurea, quæ conficit Mesue magna arte: ideo extollo Arabes, quia habebat methodum de compositione medicamentorum. Sed nescio quid sit, alij à Græcis ad Arabes, alij ab Arabibus ad Græcos confugiunt, qui huc atque illuc vagantur, quod fit, quia ferunt sine ratione. Qui ratione procedunt, hæc non faciunt, quia vtrique errare potuerunt, & Arabes & Græci: aliquando boni sunt, aliquando mali: id quia non discernimus, & nos erramus, & alios errare facimus: ita oportet vnum onera portare alterius. Sed ad agrum nostrum. Constat vires in hoc, & est iuuenis, & locus temperatus, ideo totam dosim dabimus. Integra autem dosis pro viribus est 3 iij. Et hic habet obstructions, in quibus difficilius educuntur humores, & tensa hypochondria: sed non nimium obstructi sunt meatus, ita ut materia educi non possit, alioqui non darem.

℞. Confectionis hamech 3 iij.

Trochiscorum alhandal gr. 5.

Misce, fiat bolus cum saccharo. Habet quartanam principaliter, quia habet accessiones de quarto in quartum vehementes, postea alios quatuor dies mittiores. Hodie magnum habuit paroxysmum, sudavit, & est refrigeratus, & sudor etiam linteamina fecit frigida, unde augetur putredo. Oportet ergo adhuc aperire obstructions, & concoquere materiam.

riam. Quomodo concoquenda materia melancholica? an cum incidentibus? Auicenna acetum proponit, sed nõ soluit: at humor melancholicus maiori indiget preparatione. Quomodo concoquuntur humores? Humores semper concoquuntur calore moderato. Reducendus ergo calor ad temperaturam: si acutus est, faciatis benigniorem: si acris, retundetis eum cum frigidis: si obtusus, & minorem habet calorem, reducatis eum ad temperiem: nam omnis coctio fit à calore temperato. Finis coctionis est separare bonum à malo, vtile apponere membris, inutile excernere: ea sunt propria opera naturæ, quæ per calorem temperatum semper tentat coctiones in humoribus: quia omnes humores habent aliquid boni, quod separat, ingratum verò expellit. Quomodo præparantur humores? Hic alijs instrumentis opus est: non enim hic est coctio, sed quædam ad coctionem præparatio. Cùm crassus est humor, incidimus: si viscosus, abstergimus: cùm qualitas aliqua peccat, præparamus cum contrarijs. Nos ergo materiam imitabimur. Volumus præparare humores, & concoquere? duo ergo facienda, quæ iubet fieri ubi peccant humores, Galenus lib. 4. de tuenda sanitate. & primo therapeut. Primò admouet quæ iuuant coctionem, fouet ventriculum & hypochondria, dat diatrionpipereon, postea præparat humores, & vias aperit. Ita hîc quoq; humor melancholicus peccat, frigidus est, crassusq;. Primò ergo cum linimentis ventriculus & hypochondria fouenda, vbi fiunt principales coctiones: & præcipuè lateris sinistri rationem habeatis, ubi splen concoquit: ex hoc habebitis coctionem humorû. Ego in febribus putridis post purgationem vtor oleo chamæmelino vel anethino, cum vino aromatico, qua vntione pori aperiuntur.

tur, & adiuuatur coctiones. In principio vero quietos humores relinquo, donec euacuentur, postea phlebotomia facio. Si non bonum est fouere ventriculum uel hypochondria, ut circa partes principales bene fiant coctiones, euacuamus humores: fiant ergo frictiones, cum ligamento, ut pori aperiantur (est enim consipatio hic,) & ut crudi humores concoquantur. Post coctionem curemus preparationem. Quia sunt crassi, debet ergo fundi. Si esset pituita, facilis ratio foret, quia humida est: humor melancholicus crassus est & siccus, & ea que incidunt, exsiccant etiam: oportet ergo querere madens, quod unam humectet. Quare nunquam preparabitis humorem melancholicum cum simpliciter incidentibus, nisi alternatim exhibeatis, ut per tres dies humectetis, per duos exsiccetis. Potestis igitur uti sequenti. *℞* Liquiritiam, passulas, sem. altheæ & camomille, poma dulcia, decoquantur in brodio pulli, est delectabile, & humectat. Vel rapas dulces decoquo ad ultimum, postea decolari facio, & substantia raparum abiecta, in prandio & cœna exhibeo loco feruli. Sic potest humectari humor melancholicus. Quinto die postquam ita humectastis, potestis exhibere, vel miscere etiam humectantibus,

<i>℞</i> Syrupi de pomis		℥ j.
Oxymellis simp.		
Mellis rosati	ana	s.
Decoctionis infrascriptæ		iiij.
Liquiritiæ rasæ		j.
Polypodij		s.
Passularum		ij.
Boraginis	man.	j.

Decoquant in lib. iij. aque cisternæ ad consumptionem tertiæ partis, & diuidatur ipsa decoctio pro 6. syrupis, Pro linimentis

℞. Olei

℞ Olei anethini
 Chamæmelini ana ʒ ij.

Misce, & fricetur leniter totum corpus, & illinatur
 manè & serò per horam ante cibum.

℞ Olei de absinthio ʒ ij.
 Chamæmelini j.
 Ceræ j.

Misce, fiat linimentum pro toto stomacho, ventre
 & hypochondrijs, applicandum in fine paroxysmi.

Consult. CXXVI. de feбри continua, cum ca-
 tarrho, & leui quodam spūto sangui-
 nis, ac suspicione hecticæ.



Abemus hic nobilissimã matronã, quæ
 vexatur plurimis dispositionibus præ-
 ter naturam, quæ omnes quidè verend-
 æ sunt. Repetã breuiter causas, & ex
 earum dispositione curam inueniemus. Vexatur
 primùm febrī, quæ videtur continua: præterea de-
 scendit catarrhus ad pectus, & ad quædam mem-
 bra alia, ad scapulas, ad oculos, in quibus dolo-
 rem sentit, præcipuè tamen ad pectus fluit. Hic ca-
 tarrhus præterquàm quòd habet guttulas sanguinis
 interdū, apparet etiam cum putredine non vulgari,
 quod est notandum: præterea habet obstructionem
 in membris naturalibus, præsertim in lienis regio-
 ne, vt & tactu percipiatur, sicut ipsa dicit, nos au-
 tem eam nondum attigimus. Habet & obstructio-
 nes circa cotyledonas & venas vteri, & menstruor-
 rum non quidem omnimodam suppressionem, ali-
 quam tamen diminutionem patitur. Hæ dispositio-
 nes omnes magnæ sunt, ergo & causas habent ma-
 gnas: non enim sunt affectus magni, nisi à causis ma-

gnis: & quia causæ deducūt nos ad rationē curandi, illæ primū sunt inquirendæ: & quia causæ partim sunt extrinsecæ, partim intrinsecæ, utręq; quærendæ: omnes enim concurrunt in hac nobilissimā matrona. Intrinsecæ causæ dispositiua sunt, quæ corpus ad tales egritudines aptū & dispositū faciunt. Neq; enim quodlibet patitur à quolibet, ut in 1. & 2. dicit de generat. Aristot. sed in habentibus symbolū facilis fit transitus. Videndū igitur an corpus præparatū sit ad has dispositiones, an verò non: hoc autem sciemus ex temperatura naturali, & constructione totius corporis. Totum igitur corpus primò rarę texture, & rari habitus est, caro mollis, & quę facilè cedit tactui, & semper macilenta fuit & gracilis: fuit ergo corpus maioris habitus. Præterea audio fuisse summi ingenij, quod arguit subtilitatē sanguinis & spirituum, ut Galenus in lib. Quòd animi mores &c. ex Arist. confirmat. Ideo & Aristoteles, molles carne, aptos mente dixit. Quia igitur est talis habitus qui facilè resoluitur, & patitur à quibuscunq; causis extrinsecis, habuit causas extrinsecas dispositiuas ad hoc, ut facilè incideret in varias dispositiones præter naturam. Præterea temperatura, licet reuera eam non possumus dicere talem vel talem, propter diuersitatem membrorum, quæ facit ut totum corpus non possit dici simpliciter calidū & siccum, hepar tamen calidum & siccum habet, sed ea cruditas non ita insignis est ut sanguinem gigneret crassiozem, consistente præsertim sanitate: quia promptitudo ingenij & morum, non patitur illam crassitudinem sanguinis, quæ fit à caliditate ignea, ut fit in leonibus & canibus, (reperiuntur enim omnia genera animalium etiā inter homines) non conuenit istis moribus mitioribus, qui sequuntur temperatu-

peraturā, vt Physicus & Medicus probat. Credo igitur esse quidem calidum & siccum cor: calidum, sed non vehementer, vnde generet sanguinem calidiorē quidem, sed subtilem, non crassum: ideo facile alteratur, sicut omnes substantiæ tenuiores paratæ sunt ad mutationes. Audio enim magnanimā & constantē, sed eadem ratione vt in hepate diximus: non excedit valde, quia facile placatur. Hęc duo membra totū quidē corpus calidius reddunt, sed propterea non potest dici calidæ & siccæ temperaturæ, quia membra hæc inæqualia. Cerebrum semper paratum fuit ad defluxiones: semper solita est pati defluxum ad partes intrinsecas. An modò id sit ratione frigiditatis in capite nõ concoquentis alimentū proprium, an verò ratione caliditatis attrahentis plurimam materiā, ignoro: non enim noui eam hæcenus, sed nunc primum uidi: sed quæcunq; causa sit, certū est eam abundasse excrementis in capite, & laborasse catarrho. Ventriculus naturaliter frigidus, multiplicat humores crudos, quia ferè omnes qui sunt calidioris naturæ, qui raræ texturæ, habent ventriculum frigidum: sunt enim graciles, & non habent omentum infarctū pinguedine solita, quæ secundum Aristotelem facit caliditatem positiuè, secundum verò Medicos primitiuè, quia non permittit diffuari caliditatem innatam ventriculi, & tutatur eam à frigore, & reliquis nocementis extrinsecis. Hęc nobilissima Domina priuata est vtraq; utilitate, imò habet ventriculum imbecilliorē, vnde plurima pituita & cruditates generantur, & excrementa in mulieribus ad vterum deueniunt, qui receptaculum est omnium excrementorum: qui cum sit membranofus, & per se frigidus, sanguis tenuior non potuit eum calefacere, vt concoqueret ea, sed

aucta frigiditas ab excrementis extinguentibus calore naturalem. Habetis modò causas extrinsecas dispositiuas, totum verò corpus facillè alterabile ab extrinsecis, quia rarus habitus, & sanguis subtilis & inæqualis membrorum, hepatis, ventriculi, & caput perpetuò depilans. Si modò vult, addam etiam ex parentibus, qui laborarunt catarrho, & phthifici mortui sunt. Videbitis hos morbos ortos esse à semine, & hæditarios à natiuitate. Corpus igitur tale ita præparatum, incidit in causas extrinsecas sex, qui alterant corpus, vt aër, cibus, potus, & reliquæ: omnes enim excefferunt. Aër diuersus & pessimus nunc: fuit in festis Clodiani in aëre crassissimo & pessimo, vbi etiam circa cibum & potum commisit errores. Vescebatur piscibus palustribus, qui pessimi in quocunque, præcipuè tamen in tali corpore, quod facillè alteratur. Vsa est pastilibus & leguminibus, & cibo sine electione, crasso, qui his corporibus maximè nocet, imò facillè incidit in sæuas dispositiones. Ac cum ita peccasset in cibo, potu & aëre, accesserunt etiam accidentia sæua, dolores scilicet, quos habuit ex morbo filia. Hæc omnia maximè prosternunt hominem, & exterminant ab ea essentia in qua est maximè. Si quando spiritus etiam sunt tenuiores, qui facillè resoluntur, hæc accidentia facilius & plus lædunt, & quo plus ea dissimulauit, & exterius dolorem monstrare noluit, eo magis interius afflicta est. Hinc sunt secute deterrimæ dispositiones, cumque tot morbis conflictata fuit, quibus fortè corpus etiam non ita debile superari poterat. Item multiplicati humores in corpore, ex mala ratione victus, aëre crassiore, impediende distensionem corporis, & corpus refertum est humoribus ob causas
 intrin-

intrinsicas et extrinsicas. Crudi sunt, ob ventriculū malè concoquentem cibos crassos. Aduſti verò sunt ob accidentia animi, qui cibaria quæ generant humorem melancholicum, corrumpunt: & retentio menſtruorum non omnimoda ſuppreſſa, ſed diminuta excretio, facit multiplicari humores diuerſorum generum in corpore. Ex his igitur habemus cauſas intrinsicas efficientes, & diſpoſitiuas etiam, vnà cum extrinſecis occurrentibus. His præſuppoſitis contingit primū catarrhus moleſtiſſimus: neq; id mirum: quia generatæ ſunt multæ ſuperfluitates, pituitosæ primò, deinde bilioſæ, hepar calidum, ſanguis ſubtilis, corpus vaporabile. Galenus libro I I I. de locis affectis: Qui ſanguinem ſubtilem & hepar calidum habent, repletionibus capitis ſubiecti ſunt. Et hîc ex ventriculo quoque vapores crudi aſcendunt: hinc catarrhus, qui non ſimplex eſt, ſed fit ex materia plurimorum humorum, qui nec frigidi abſolutè ſunt, nec calidi, quia mixti ex cruda bilioſa & etiam aduſta materia: & deſcendit à capite, quod etiam ex ſe ſubiectum eſt deſtillationi: & quia propter multitudinem deſcendit ad varias partes, varios etiam affectus mouet: ſed maxima pars ad pectus & pulmones deſcendit, quæ excernitur per tuſſim. Eſt autem materia quæ eijcitur, quo ad ſubſtantiam craſſa & viſcoſa, partim non putrefacta & alba, partim verò ſuaua, non qualis eſſe ſolet ex admixtionibus, ſed qualis eſt cum materia exiſtit putrida. Non autem habet ſaporem aliquem, quia pituita ſuperat. Si uel bilioſa ſuperaret, vel æqualiter mixta eſſet, appareret amaritudo, vel ſalfedo (ſi credimus Auicennæ, qui ex mixtione bilis cum pituita, ſalfedinè oriri dicit, quod nunc non determino.) Superat igitur pituita,

quia nullus fapor: sed quia talis catarrhus putrescit in pulmonibus, & interdum admixtum habet aliquid sanguinis, dubitatur, & meritò quidē, excernatur ne ille sanguis ex vena rupta uel erosa, an refudet per panniculos, uel ex capite defluat per nares, uel quoquo modo. Solet & aliud contingere: quia cum per tussim continuò violenter erumpat & reijciatur materia, & orificia venarum illarū capillariū faciliè aperiuntur, ex quibus prodeat sanguis, non cum magno periculo, quia tenues sunt venæ, faciliè aperiuntur et clauduntur, imò cessat statim post paucas guttulas. Ego hic crediderim nō ex capite, quia sanguis niger est & crassus, non admixtus sputo, sed separatus, ut sit suspicio quòd veniat à capite. Heri tamen ramulos paruos & viuacioris coloris sputo permixtos vidimus, & posset venire ex illis venis capillaribus abrasis ex violentia motus. Vel hoc erit vel illud, in alterū incidit suspicio. Venam ruptam, vel factam corrosionem non credo, nec refudari (quanquam hoc facilius fieri possit, propter panniculorum raritatem) nam illa fieri solent in maiori quantitate: non tamen contendo, cum nihil habeamus nisi coniecturas: potest esse ex tribus his: vnum quodq; iam non determino, & hactenus nihil refero, sed in futuro referri potest, quia sanguis per os reiectus, est malus, vnde cunq; veniat. Hæc de catarrho, vnde generetur, & vbi, & per essentiam modò in capite faciliè intelligitur, quia semper fuit subiectū destillationibus, sed fouetur etiam ab alijs membris inferioribus. Nunc ad obstructions quæ sunt in liene & matrice, & ut ego credo, in hepate. Hæc fiunt immediatè ab humoribus multiplicatis in corpore, propter rationem victus, crassus & biliosus, & ita miscella est, prædominante tamen pituita, quæ
venas

venas obstruit, sed magis circa lien, quia illud attrahit crassiores humores, & non est tam nobile vt sic possit resistere sua caliditate obstructionibus, sicut hepar. Sunt & obstructiones circa vterum & cotyledonas: sanguis enim menstruus excernitur quidem, sed in parua quantitate: non est perfecta obstructio, sed ex insigni parte effluunt menstrua, sed non vt solent. Credo igitur obstructiones etiam circa vterum, & in mesaraicis ad iecur, sed maiores circa lien, & per venas in toto corpore, humores crassos & mixtos sanguini, vt non possit euentari calor, quia vrinæ sunt crassiores, quæ sunt colamentum sanguinis, & attestantur supra dispositionibus quæ sunt in venis: vrinæ crassescunt, rubræ, plenæ omni genere humorum: ergo & venæ repletæ, & excrementa eodem modo repleta varijs humoribus sunt: citrina ergo bile redundat: & crassissima sunt, ergo pituita: & ita totum corpus repletum est materia diuersa. Non igitur mirum est adesse febrem illam vniuersalem, cum tot sint causæ, quarum singulæ solæ possent facere febrem: & est principio febris putrida, propter prohibitam euentationem: & cum sint in corpore iuvene, natura fortis expulit materiam ad exteriora. adeo frigus insigne sentit cum intensione, vt indigeat plurimis operimentis: & heri præcipuè sentit. Quæ eius rei causa sit, petetis ex Galeno de rigore, & 3. de causis symptomatum: nunc non est tempus illa dicere. Incipit igitur à frigore, & quidem extensiuo, quia mittitur foras à virtute. Materia enim crassa est, non facilè putrescens, & ideo calor non statim sequitur. Quod autem perdurat, ita vt vnus paroxysmus inueniat alium, fit quia materia multa non potest ita resolui statim. Nec propterea continua est, quia cum rigore: quia proprium conti-

cam? Mitterem igitur sanguinem, sed non à saphe-
 nuatú non rigore fit. Et putrescit extra venas, quod
 ex eodem patet, quia incipit cum rigore. Habetis
 naturam & locum febris huius putridæ, an modò
 cum hac putrida sit etiam alia occulta in membris
 solidis fixa, vt hectica? Vt ingenuè fatear, non pos-
 sum certum aliquid asserere: bis enim vidi eam, in-
 ueni pulsum inæqualem, qualis est febris hectica.
 Sed si per cōiecturas est agendú, corpus gracile est,
 & aptissimú vt inflamment membra solida: habuit
 febres præcedetes putridas tam longo tempore: de
 inde hic morbus hæreditarius ei videtur à parenti-
 bus: calefit item magis post prandiú, quod est signú
 quidè perpetuæ hectice: sed non sibi conuenit, alio-
 qui cōcluderet necessariò. Nunc nõ possumus certi-
 ficari, sed suspicionè facit, quia à cibo incalescit. Est
 & alia cōiectura: non sentit calorè, quod signú est fe-
 brè iam esse in habitu: sed id etiã signú non est para-
 gnomonicú solú, quia in alijs etiã morbis est cõmu-
 ne, vt in febribus laticis, vt vocat Auicen. Etiam nõ
 percipitur caliditas, & ideo hecticis maximè similes
 sunt, & laticæ vocant: has ob causas non possum cer-
 tò concludere, adesse hecticã, licet magna sit conie-
 ctura. Sed quicquid sit, agamus omnia sic, vt non le-
 datur hectica: si quæ est ad reliquas dispositiones, pu-
 to nullã præteritã. Diximus de omnibus, præterquã
 de ventriculo, qui imbecillis naturaliter: sed ea im-
 becillitas aucta magis, quia in longis ægitudinibus
 semper redditur imbecillior, præsertim vbi pituita
 dominañt, vt Auerrois testatur. Nihil tam efficax ad
 debilitandum ventriculum, quàm febres quæ à pu-
 tuita pendent, & habet æquales paraxysmos, non si-
 bi inuicem de tertio in tertium correspondentes,
 sed magis accedit ad quotidianas amphimerinas,
 cet bi-

quod signū est magnā copiam pituitę putrescere, licet bilis etiam in maxima quantitate accedat.

De prognostico. Ex quo patitur has ægri-
tudes propter dispositiones in mēbris principalibus,
non tantū ob multitudinē materię, sed etiam dis-
positiones membrorum, difficilis erit curatio, ma-
ximē cū transire videatur ad id quōd naturaliter
est disposita iure hæreditario: habet sputa putrefa-
cta, cum suspitione hecticæ: & cōstitutio anni, quæ
morbo indicat, vt ex Hippocrate iam audiuitis, in-
dicat morbū longum. omnibus igitur modis ægri-
tudo longa est futura.

Curatio. Habemus membra naturalia affecta, quæ
fuerunt causę dispositiue ægri-
tudinis, sed in has nō
incidit nisi propter causas alterantes, igitur res to-
ta redigit eō, quōd humores in magna copia genera-
ti, in corpore sint causę dispositionū. Primum igitur
corpus mundandum ab omnibus excrementis,
non enim potest aliter agi. Iam corpus redundat o-
mni genere excrementorū, & à natura etiā euacua-
tur per omnes vias, quia vndiq; multa euacuant: sed
quia omnes euacuationes particulares præcedere
debet vniuersalis, ideo ab ea incipiendum erit no-
bis, quæ fit vel per pharmacum, vel per missionē san-
guinis. Missione sanguinis, si remoueantur impedi-
menta, nihil magis necessariū. Si vrinæ crassæ, phle-
botomei, dicit Auicenna. Hic vrinę crassæ & rubrę,
& humores plurimi permixti sunt, ideo credere o-
portet necessariā esse missionem sanguinis. Et reue-
ra, etsi habemus suspitionem hecticæ, tamen hæc æ-
gri-
tudo certa est, cuius euacuatio non dimitti de-
bet propter dispositionem incertā. Et quid esset in-
cōmodi, stante etiam hectica, si euacuaremus sangui-
nem malum, & refrænaremus calorē facientē hecti-

na, quia non credo quòd propterea fluant menses per vterum. Omnes venæ obstructæ sunt, & repletæ, ideo non flueret si aperiret saphena, hancq; ob causam abstinere: oportet enim prius vias aperire, antequàm fiat diuersio. Ego attenderem ad causam causarum, & mitterem à basilica, vt proximè ab hepate euacuarem, & si sanguis crassus, quòd multa euacuatione opus esse ostenderet, neq; vna vice possem tantù extrahere quantù vellem, & virtutis ratione etiam liceret, iterarem vices, quia vtilissimù est, & maximè laudatur à Galeno & Auicenna: ideo reputerem eam, & credo quantò citius, tantò melius. Dicebat Francasanus, missam venã ante duos menses, & obijciebat suspicionè hecticæ. Montanus voluit replicari, quia etiam putrida habet rationem causæ, ea remouenda, & postea facilius hectica iudicabit, quia non est eo gradu de quo sit curandum. Est in principio, non accessit adhuc ad ipsum gluten membrorum: lenirem igitur aluum, & mitterem sanguinem, postea per medicamenta euacuarem, & procederem sicut solet procedi à morbis pendentibus à materia crassa, viscosa & frigida: & quia curatur in hyeme, non possumus cum fortioribus, quia humor crassus est, & fumus in hyeme, ideo paulatim concoquerem, & euacuarem, & iterarem: darem syrupos, postea florem calsiæ, & euacuaret bilem. Ab vsu horum non discederem, sed frequentissimè iterarem. Licet enim dicantur nõ transire venas mesaraicas, nisi dentur in magna quantitate, idest, intensiue & extensiue, tamen per crebriorem iterationem etiam medicinæ benedictæ euacuant omnes humores contentos in toto corpore. His euacuationib. iteratis, euacuabimus materiam, roborabimus ventriculum, aperiemus obstructiones, & consulemus ventriculo, cui

lō, cui confert vsus hieræ, teste Galeno: prouocabi-
 mus vrinā etiam, quod euacuabit humores conten-
 tos in venis. Ideo singulis septimanis exhiberē hie-
 ram cū cassia. Diebus intermedijs quibus non vte-
 retur cassia, fumeret syrupum ita confectum:

℞. Syrupi de rheubarbaro

De betonica ana ʒ j. s.

Decocti capillorum Veneris

Cetrach ana ʒ iiij.

Misce, confert ad obstructions lienis, pectoris &
 hepatis: & ita hos syropos haberem, quod respice-
 rent omnia membra affecta, & acciperem capillorū
 Veneris & cetrach in magna quātitate ad decoctū.
 Circa caput proposita sunt electuaria quæ laudant̃
 à modernis: sed dicam id quod sentio. Ego maximè
 abhorreo ab eis, vbi imbecillitas vetriculi suspecta.
 Vidi homines sepe, dum illis volumus catarrhū cu-
 rare, ex frequenti & nimio vsu electuariorum inci-
 dere in hydropem: dum enim illa frequenter su-
 munt, die nocteq; impeditur coctio, vt nunquā re-
 ctè fiat: augetur catarrhus, quia propter inconco-
 ctiones multiplicatur materia, nec ipsorū electua-
 riorum vis ad pulmonem, sed ad stomachum perue-
 nit. Vellem igitur horū loco semper teneat aliquid
 sub lingua in ore, cuius vis dum attrahitur aër, etiā
 paulatim attrahitur, & descendit sensim per asperā
 arteriam: & licet parū descendat vna vice, tamen si
 fiat continuè per 24. horas facit magnū effectū. Ad
 hoc bonū esset zucharū rosatū, violaceū, & si quid
 hoc modo per cesophagū descēderet, quia licet tar-
 dius id fieret, per poros tamen aliqua eius portio
 transfret ad arteriam. Quod ad curas particulares
 attinet, quæ post vniuersalem euacuationem ad ro-
 borandū caput & ventriculum, itemq; ad leniendū

pectus faciendę sunt, si vellem propinare nunc, vide retur ineptum. Quę sunt proposita circa pectus leniendū, laudo, quia fit maior preparatio muscilorū, qui mouent continuē. Ideo oleum amygdalarū dulcium, chamęmeli, violarū laudo, sed ita componant, ne superent frigida, sed sint moderata omnia. Inungatur ventriculus oleo mastichino, item oleo de capparibus, & similibus. De vino dicerem, necessariū esse vt demus in egritudine longa, & ventriculo imbecillo: sit autē albū, pauciferū, non flatuosum, etiā cum aqua factū. Montanū etiam laudo vinū cum aqua mistum: quia vina quę in planis crescūt, sunt crassa, flatuosa, & maligniora. Notandum, oua in febribus continuis nunquā danda: imò in tertiana: ea tamē die exhibet Gale. qua sine paroxysmo est: ratio est, quia faciliē alterantur, & ideo faciliē putrescūt, adeò etiam, vt in sano corpore, si ventriculus sit paulò calidior, statim vertantur in bilem.

*Pomum odoriferum, ordinatum Vuolf-
gango à Vuerter. XXVII.*

℞. Nucis muscatę electę

Garyophyllorum ana ℥ ij.

Cinnamomi ℥ j.

Macis ʒ s.

Ambraę, Musci ana ℥ j.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur cum aqua rosata, in qua dissolutum sit gummi tragacanthi, & fiat pasta.

In morbo Gallico euacuatium. XXVIII.

℞. Aloës optimę ʒ vj.

Agarici electi

Rheubarbari electi ana ʒ j. s.

Corticum rad. ellebori nigri ʒ j.

Tro-

CONSULT. MEDICIN. 675

Trochiscorum alhandal	℥ ij.
Myrobalanorum Indorum	ʒ j s.
Epithymi Cretensis	ʒ vj.
Succi glycyrrhizæ	ʒ ij.
Sem. citri	℥ ij.
Musci	gr. iij.
Garyophyllorum	℥ ij.

Puluerizentur omnia per se, deinde misceantur cum syrupo de corticibus citri, fiat magdaleon, de quo formentur drachmæ vnius pilulæ iij.

Pulueres pro catarrhosis à cœna, post quorum usum non bibendum amplius. XXIX.

℞. Cinnamomi electissimi	ʒ s.
Fragmentorū lapid. preciosorū ana	℥ s.
Osis de corde cerui	℥ j.
Sem. melissæ	ʒ s.
Zucchari ʒ s.	Fiat puluis. Vel:

℞. Cinnamomi electi	ʒ s.
Coriandri præparati	ʒ j s.
Sem. melissæ	ʒ s.
Rasuræ cornu cerui vsti	
Corallorū rubeorū ana	℥ j.
Sacchari ʒ vj.	Fiat puluis. Vel:

℞. Cinnamomi electissimi	ʒ s.
Sem. melissæ	ʒ j.
Coriandri præparati	ʒ j s.
Pellicularū ventriculorū galli	ʒ j.
Sacchari ʒ j.	Fiat puluis.

Consult. CXXX. Pro dysenterico.



Alenus autor est nono. Meth. cap. 14. medicatorias indicationes peti à morbo, à corporis temperamento, & aëre ambiente. Hoc itaque in medicatione insti-

tuenda, primùm diligenter consideranda & perpendenda sunt. Nos à téperatura initiũ sumemus. Eam verò calidã esse, & ea quæ essentiã consequunt̃ probant, & symptomata. Color citrinus, significat cholericã dispositionẽ: accedit iuuentus, quæ est sicca: consuetudo verò repugnat, nã pro arbitrato suo vixit, & obuia quæq; ingessit. Aër ambiẽs & hyemalis, frigidus & siccus. Ab horũ consideratione, quæ partim naturalia sunt, partim non naturalia, ad ea accedimus quæ sunt præter naturã. A symptomatis verò incipiendũ est, quia hæc notiora sunt nobis, vt effectus morborũ, qui nos in morbi cognitionem deducunt: cognoscit enim ab exeũte mutato, vt hîc sunt egestiones inconsueta ipsius sanguinis, cui bilis est admixta: & operatio est læsa, quæ in hoc est læsio sensitivã, id est dolor, autor Gal. lib. 1. de sympt. cap. 6. Locus doloris est venter ipse: species doloris est pungitiua, quæ humorẽ peccantẽ arguit, & inde est quod tenasmus accedit. adfunt & vigiliæ, & sitis, quorũ causa est febris. Pendet autẽ à morbo læsa sensitivã, id est, dolores, per vnitatis solutionẽ, per humores ab hepate, ab intestinis, quæ solunt̃ & abradunt. causa bilis supercalefactio hepatis, & diætã nõ bona.

Consult. CXXXI. Pro monacho cholico.



Inciderat monachus in febrẽ: medicus qui tũ accersitus erat, ante coctionẽ mouerat materiã, & hæc quia non erat satis euacuata, in intestinis coaceruata, dolores cholicos excitauit. antè verò quàm quicquã fieret, censuit Frisimelica clysterib. subducendũ aluũ, & cõmunib. ad eam rem vtebat, cupiẽs post euacuationẽ incidere venã, vt hoc pacto febrì quoq; medere facilius. Pulsus erat magnus & tardus, ob virtutẽ oppres-

oppressam à multitudine materiæ: quare illi hoc iu-
bebat parari clystere.

℞. Olei chamæmelini

Amygdalarum dulcium ana ʒ ij s.

Cassia nouiter extracte ʒ j s.

Hieræ picræ ʒ ij.

Mellis rosati ʒ ij. Misce, fiat clyster.

Clystere supra modū duras squibalas eduxerat, &
copiose: sed quoniā pulsus valde inordinatus erat,
& rubra vrina & crassa, vt quæ materiæ multitudinē
in venis quoque contineri significaret, iussit denuò
idem clystere administrari, in cibis seu iusculis de-
coqui radicē cichoreæ, propter attenuationē & in-
cisionem materiæ grossæ. Eademq; intentione exhi-
bendum censuit syrupum cichoreæ & betonicæ ana
ʒ j. vnà cum decocto.

*Erysipelas phlegmonodes. Consul-
tatio CXXXII.*



Ancillæ cuidam crus circa genu vltro ci-
troq; intumescebat, cum dolore inten-
sissimo, & non tam rubore perspicuo,
quàm flauitie conspiciebat: tactui reni-
tebat. Quia verò erysipelas ex bile est, principiò nō
venæ sectionem, sed purgationē admittit, vt autor
est Galenus 13. Meth. Potuisset tamen & sanguis de-
trahi, quia phlegmone huic adiuncta est: tamen in
hoc vti maluit purgatione Montanus, & ordinauit:

℞. Diacatholiconis ʒ vj.

Electuarij de succo ros. ʒ ij.

Cum zuccharo fiat bolus. His copiose admodū pur-
garat totum corpus, post præcipit inflamationi suc-
cum semperuiui apponi, cuius propriū est repellere
& digerere.

Cœliaca anus. Consult. CXXXIII.



Anc anum nō lienteria, sed cœliaca laborare, vel illud erat argumēto, quòd instar pultis excerneret: & quia vtriusq; eadē est cura, primò Montanus ordinabat fomentū, quo abdomen foueret spongia illo imbuta.

℞. Corticum granatorum

Balaustiarum

Gallarum

ana man. j.

Rosarum

Absinthij

Foliorum Myrti

ana man. s

Misce, decoquant in vino austero. Deinde pro confortatione ventriculi & intestinorum vtatur hoc puluere in panno muricibus primum tincto, deinde maluatico consperso, postremò inspergatur puluis, & abdomini calidus inponatur.

℞. Pulueris mastiches,

Garyophyllorum

Rosarum

Foliorum labruscæ, id est, œnanthis ana ʒ j.

Puluerisent & cōmiscēant. In cibo verò decoquant

Seminis sumach

Fœniculi ana ʒ j. Contundantur grosso

modo. Misce. His ita ordinatis, altero die magis cōcocta excernebat, & pauca. Pulsus itidē tranquillior erat, quanquàm vrina liuiditatem eandē præ se ferret, quā Doctor in Gonorrhœam, qua anus antea laborarat, referebat. Cæterum in lienteria ex vlcere nihil præsentius medicamento sequenti.

℞. Succu granatorum vel diacydonitis ʒ iij.

Boli armeni ʒ iij. Misce, ac interius sumatur, exiccat enim vlcus. Et si succus non sit, agresta
vti

vti possumus & succo, quanquã gustui grata nõ sit. Victus erit siccarũ carniũ, sed nõ difficilioris coctio nis, vt sunt perdices, phasiani, aues montanæ, & non aquaticæ, neq; proximẽ partui. Vinũ non acetosum. In cibis decoquant genera fumach, & cinnamomi, quòd illud corroborat & astringit, hoc maximẽ confortat totũ corpus, autore Galeno lib. 8. κατὰ τέππς.

Consult. CXXXIII. Pro puerpera
tussiente admodum.

N puerpera admodũ tussiente, ita vt suffocari videret ob catarrhũ descendẽtẽ ad spiritualia, Montanus nulla purgatione utebatur, purgata enim erat fluxu mēstruo, sed corroborantib. caput & pectus, & quæ in grossarent fluxum, vt tragacanthi, rad. liquiritiæ & mastiches partibus subactis, quæ in ore tenebat. Die xxij. cum scholaribus apud eandem fuit, & quia materia crassior erat, atque inæqualior, vt spuitio citaretur ordinavit, & quo intra vteretur, & quo pectus vngeret.

℞. Loch de pino	ʒ j.
Sani & experti	ʒ s.
Syrupi de hyssopo	
Myrthini	ana ʒ vj.
℞. Oleorum sesamini	
Amygdalarum dulcium	
Mastiches	ana ʒ s.
Puluerum anisorum	
Cumini	
Mastiches	ana ʒ s.

Ceræ parum, fiat linimentũ molle, quo pectus inungatur. Oleũ mastiches addit, vt corroboret pectus.

Consult. CXXXV. De surditate &
tinnitu aurium.



Magnificus quidam surditate & tinnitu aurium laborabat, quare premissa totius euacuatione, caput deinde purgabat per nares. Nam attrahere cogebat in caput brodiū pulli indito calamo in nares, cui admixta erant:

R. Succi blitis	℥ iij.
Aquæ maioranæ	℥ ij.
Olei amygdalarum dulcium	℥ j.

Nam cum succus blitis sit calidus, resoluit & attrahit: & ne uis restinguatur, addita est aqua maioranæ: denique ad erosionem prohibendam, adiectum oleum. Purgauerat plus phlegmatis, quam quisquam facile credat, & surditate atque tinnitu liberabatur. postremò caput calidis & exiccantibus lauari uolebat triduo post.

Consult. CXXXVI. De febre, cum præ-
focatione matricis.



Udei cuiusdam uxor laborabat dolore uentriculi, cum præfocatione matricis & febre: superioribus diebus laborabat febris: quare medicus qui tunc fuerat vocatus, primū leniuit ventrē, deinde basilicā incidit: & quia nō attēderat ad principalē causam febris in hac muliere, quæ pendeat ex matrice, interim illa in febrē incidit, & malū est auctū: sed quomodo, post dicit. Febris inuasit cū sanis symptomatibus. nam in syncope incidit, & dormire nequiuit, propè delirauit, melancholica. Vocatus ad eā, corporis dispositionē primò cōsideraui, & ceteras deinde causas ægritudinis diligenter inquisiui. Ipsa autē quia admodū formosa,

mosa, calidæ & humidæ est téperaturæ. Totius natu-
 ram sequitur pars: quare & matrix calida & humi-
 da, quæ propterea etiam libentius vapores generat,
 qui deinde euaporant, & sursum feruntur, & ventri-
 culum perturbât, caput replent, vnde insomnia, &
 melancholica deliramenta: ad hæc cum accederet
 mala diæta, illa aucta sunt, corpusq; debilitatum est
 magis: neq; menstrua, vti par erat, purgata, vnde &
 febris hæc causata est. Lex prohibet, ne à purgatio-
 nibus menstruorum antè cum viro coëant, quam se-
 se frigida abluerint. Necdum purgata satis, in frigi-
 dam insilierat, quam lotionè obstructio est sequuta,
 atq; hanc febris, qua nunc laborat. Accessit etiam
 strangulatio matricis: nam lotionè sequuta est etiã
 intemperatura matricis: generati in ea propter in-
 temperaturã vapores: deniq; fortiter clausa est ma-
 trix, vt etiam purgationes sisterentur, quæ deinde
 doloris ventriculi causæ: & ipsa febris inde facta est
 auctior. Sed quoniam necesse erat hanc suppressio-
 nem menstruorũ, & matricis præfocationem solui,
 propter maiora pericula, quæ timeo, & præsertim
 syncopen, dedi illi Mithridati D ij. cum rosato, vt
 Mithridatũ calefaceret matricem, & materiam va-
 porum exiccaret, deniq; vias aperiret, atq; vt rosatũ
 confortaret ventriculum. Sed dicat aliquis, augeã fe-
 bris: concedo, sed maius ex matricis præfocatione
 periculũ impendet: necesse est igitur hanc primũ
 omniũ curari: febrem curabo paulò post facilius sy-
 rupo rosato, & de cichorea, causis etiã sublatis, sed
 solutis obstructionibus, & reducta caliditate ad té-
 peraturã. Ad hanc præterea dosin Mithridati cum
 rosato, adhibuit etiam frictiones pedũ, vt prouoca-
 rentur iterũ menstrua, & res pulchrè successit. Ne
 verò spe nostra frustraremur, iussi lauari pedes in

decocto betonicæ, saluiæ &c. item vt ex herbis illis fumum acciperet: præterea dedi decoctū radicū fœniculi, petroselini, & anisi, & cœperunt iterum fluere menstrua. Nam nisi redijissent menstrua his medijs, cucurbitulam etiam saphenæ applicassem, vt ad inferiora sanguinē menstruū propter cōmunicantiā venę ad matricē retraxissem, quanquā frictio ipsa ad hæc prouocanda satis sit efficax. Atq; inde facile est æstimare, quantū nocuerat prior medicus, qui basilicā incidī curuerat. Incisio enim basilicæ menstrua fursum attraxit, vnde omnis mali labes. Nunc autē cūm fluāt, ne quid accidat quod sistat menstrua, diligenter cauebimus, imò quoad poterimus naturam eius adiuuabimus expulsionē. Hac autem nocte nihil dormiuisse se conquerit: neq; mirū, frictio namque, quia corpus calefecit, febrē adauxit, & fluentibus mēstruis omnia mouent in corpore, vnde inquietudo: postremò vapores caput calefecerunt. Quare ad cōciliandū somnū, iussi vt nares oleo violaceo inungerent, & tēpora: hoc si nihil profecerimus, perueniam ad vnguentū populconis. Sed roget quis, cur nihil exhibeā per os, quod somnū cōciliet. Respondeo, quia omnia cōciliantia somnū, frigida esse & humida necesse est, & frigida morbi materiā grossiorem reddūt, & expulsionī ineptiorē: quare nihil exhibeo.

Consult. CXXXVII. De febre putrida in hecticam mutata.

Harmacopola putrida febre laborauerat propè menses duos, postea ad hecticam venit, putrida nō rectē curata. Hæc quia requirit humectationē totius corporis, & caloris præternaturalis restrictionē, voluit oleo amygdalarū dulciū inungi corpus, quo nihil est præ-

est presentius, & antea Montanus in Doctore Bassiano fuerat expertus. Lógo tēpore cum eo nō fuit Frimelica: hodie ad eum visendū adiit. pulsus erat minutus, durus: in vrina sedimentū ex aduisione nigricans. Minutus autē pulsus dicit, nō vehemēs: quod euenit, aut propterea q̄ virtus est imbecilla, dissoluit enim calor ob humidū nutrimentale exiccatū, quod calori naturali semper est adiūtū, haud secus ac siccitas semper comitat̄ praternaturalē: aut propter instrumentū, id est, arteriā, cuius tunicæ exaruerē nimio calore, ac propterea motui minus sunt idoneæ. Minutus itaq; pulsus est, quia neq; vehemens, neq; frequēs: & durior, propter siccitatē totius. Ita pulsus argumēto est bonū virū peruenisse ad febrē hecticā. Huc accedit quoq; consumptio totius corporis. Quid igit̄ amplius faciendū? Sedulò cauendū venit, ne qua ratione febris augeat̄, & deniq; in marasmū, seu tabidā hecticā (versat̄ enim adhuc in prima specie hecticę) incidat, pereatq;. Quibus autē medijs id fiet? Infrigidantib. ratione febris, & humectantibus, propter corporis siccitatē. Humectabimus autē substantiue corpus dilapsū in tabē, cibo, & rebus alijs externis. Quia verò ptisana substantia sua multū humectat, nō fuerit inutilis: sed quia parū aut nihil nutrit per se, operæ precii fuerit decoqui eā cum iure pulli & carniū. Vtile quoq; foret auxiliū syrupus violaceus. Cōtrā, viola tantū qualitate infrigidat, ergo inutilis est. Respōdeo, sola quidē viola qualitate humectat, at syrupus propter saccharū & decoctionem humectat substantiue. Cur nō vteris decocto & carnib. testudinis, quod alij faciūt? Ab his in præsens abstinendū duco, propterea quòd ventriculus fit imbecillis, & corpus obstructionib. nō vacet. Sed vtať decoctis farfarę, id est, capillorū veneris, endiuia, &

aliarum herbarum: postremò inungatur foris oleo amygdalino dulci &c.

DE AQUIS DISTILLATIS

*per Alembicum: etiam à calidis herbis esse
frigidas demonstrationes.*



On est difficile monstrare, nec multi operis, si supponamus quæ Galenus docuit, & nos in methodo nostra simplicium, prima diuisione, ostendimus, quasdam medicinas à propria substantia, seu à forma specifica agere, quasdam verò qualitatibus manifestis. Quæ à propria substantia agunt, nõ operantur quia calidè vel frigidè, sed quia tales propter formã suã, vt Mesue dicit & Gal. 3. de temper. Exemplũ similitudinis: Quando per os accipitur rheubarbarũ vel diagridiũ, euacuatur bilis, non à qualitate manifesta, sed quia talem habet formã, quæ conuenit cum bile. Quod vituperat Auerrois, lima Galeni, per simile à ferro probã attractionẽ non fieri à simili: sed indignũ Auerroẽ argumentum. Secundum mentem Galeni, forma diagridij, quæ assimilatur bili, attrahit per similitudinem formæ, aut per contrarietate operatur. Exemplum: cùm quis cicutã aut hyosciamũ sumit, vel aliud venenum, vt aconitũ, vel saliuam viperæ, hominem forma sua specifica interimunt: at morsus scorpionis interficit hominem ob contrarietate formæ. Sed quæ à proprietate & forma specifica operantur, hæc dimittamus, quia non faciunt ad propositum. Medicinæ agentes specifica forma, vel per contrarietatem, vt saliuã hominis scorpionem necans, vel qualitatibus manifestis operantur. Hinc tota res pendet, & est manifestum, quòd non possent operari, nisi præsentẽ qualitate. Verbi gratia:

tia: sicut gubernatori remoto remone, etiam gubernatio remouetur & cessat, sic remota qualitate, remouetur etiam vis medicaminis. Demonstratio in secunda figura. Nulla aqua destillata, præter paucas, habet qualitates sui simplicis proprias, quibus operatur. Sed quod non habet qualitates quibus operatur, non potest operari: Ergo &c. Maior probatur per inductionem. Si de eo quod magis inest, non est, ergo nec de eo quod minus. Sumantur potentissimæ herbe in qualitate, ut absinthium, calamentum, feniculus, maiorana, flammula Iouis, quæ causticam vim habet: destillantur per alembicum, videbitis aquam non habere saporem, nec qualitatem simplicis, sed præ se ferre dulcedinem. Calamentum incendit linguam: si aquam bibes, senties frigiditatem in ventriculo, id quod ego sum expertus in rusticis. Accepi frondem seu ramum calamenti, dedi rustico, habuit calorem & æstum semper in ventriculo: postea accepi phialam etiam huius aquæ calamenti, dedi eidem rustico, sentiebat magnam refrigerationem. Ergo ubi non qualitas, quæ operatur, tanquam medium adest, non fit actio. Sed aqua rosata non habet eandem rationem. Nam si alia simplicia talem aquam facerent, dicerem calidas aquas. Rosa enim recens, in qua dulcedo, amaritudo, astrictio percipitur, odorem habet, vim corroborandi: sic in aqua rosata dulcedo, amaritudo, astrictio percipitur, odor suauissimus: si non æqualem habet superiori, tamen easdem habet qualitates: stantibus qualitatibus, stat etiam virtus. Quod autem absinthium amaritudine corroboret, excuset, vermes necet, Gal. cap. de absinthio fecit fundamentum. Calamentum quoque sua caliditate erodit linguam, & acrimonia penetrat, incidit, resoluit, discutit ventositatem per qualitatem: sed remotis qua-

litatibus, remouetur & effectus eorum: sed in illorum aquis nihil nisi insipiditas. & sic de alijs discurratis. Imò si accipiatis de herbis quas speciarij appendunt, in quibus exolefcit vis herbarum, nullam habent efficaciam, quia operantur à qualitatibus, non forma specifica. Diceret aliquis: Inuenio apud Arabes, quos laudas, quod illis utantur & laudent: certè non erant alij etiam decepti. Respondeo: habebant virtutem magnam, & non sunt decepti: sed quæ ab Arabibus celebrantur, & viris excellentibus, non sunt aquæ quas nos habemus. Sunt fortasse duceti anni, in quibus doctrina inoleuit sophistica, à fratribus qui versabantur in sophistica, non circa simplicia & composita. Ego recordor summos medicos nugas docuisse. Noui magnam virum qui hic publice legebat de destillatione, vocabatur Chrysothomus Aretinus, & non magis cognouit fortasse lactucam, quam ego nunc scio quid agat in India: imò ferè omnes senes. Non miror si aquas postea destillarint, & non intellexerint. Miseri impostores aromatarij, ut lucrentur, extrahunt tantum aquam substantiam, imò aliquas herbas irrorant aquis frigidis per aliquot dies, & postea destillant. Ante annum contigit meo patienti, dixi ut parentur ei 100. lib. aquæ endiuivæ, miserat ad quandam mulierem, quæ accepit aquam puti sine herbis & destillauit, & illa sic misit quoque Venetias. Quare non est vitium in senibus, qui & sophisticam & medicinam ignorat. Patres nostri sophisticam optime sciebant: sed moderni, non oportet, inquirunt, ut curemus veram medicinam. Arnoldus de noua villa, & Raymundus, fuerunt insignes, illas aquas extollunt, & merito. Ego expertus sum cum diligentia, habent odorem & saporem. Volo destillare aquam: primo vires habebam amaritudinis, acridinis, id est, qualitates quibus operari debet: secundo tenuitatem substantiæ, quæ

quæ nō habet simplex. Ego noui Episcopū Laudensem, ex familia principū Mediolani, delectatū in destillationib, nō tamē vires extrahit. Etiā medicamēta destillat, electuaria, confectionē hamech, succū rosarum, qui purgat optimè. De hac re à me sedecim scribunt libri, octo de destillationib. naturalib. qui iā ferè perfecti sunt, & octo de artificialib. vbi fortasse omnia ista docebunt: interim legite Raymundū, & Arnoldū de noua villa, & Arabes. Ante duos dies quidā Germanus Ioannes Phrisius, doctissimus iuuenis, destillauit oua sorbilia: delicatū erat, quæ ego dedi ægro pro restauratione. Est res certè magna, & multi præmij, quæ nō est vituperāda. Sed quia nesciūt præter aquā rosarū, nō inuenietis fortè aliā. Quare non debetis adeò aquis confidere. Dicer aliquis: Cur tu illis vteris? Respondeo, ego vtor illis, quia vapor extrahit, qui lōgè tenuior est quàm subiectū: & vt aqua fit instrumentū per quā syrups penetrēt. Aquā calamēthi ideo do, nō vt calefaciat, sed vt penetret. ego rem vtile facio nūc ad penetrādū: si volo calefacere, addo calida. Liber græcus antiquissimus habet Venetij magnæ altitudinis in S. Marci bibliotheca, de arte destillādi. Alter liber Democritus, nō Democriti philosophi, carmine heroico optimè scriptus. Hic ego corruptelas, nō artē seu destillationē vitupero.

Laborans febre continua ex bile & pituita crassa. Consult. XXXVIII.



Miles quidā natus annos quadraginta, circa vesperū passus est maximū rigorē, ita vt vir robustus difficulter ob imbecillitatem domum redire posset. Durauit rigor 4. horis, & secutus maximus calor per totum corpus, qui continuò durauit, vsque ad quartum diem.

diem vocatus est Montanus, qui reperta febris continua & feruentissima, pulsu magno & inæquali & pleno, vrina rubicunda, & crassa, sedimento crasso, considerata summæ virtutis constantia & morbi quoque vehementia, aperuit basilicam dextri lateris, & eduxit ferè 3. viij. sanguinis subnigri crassiq; cum multo liquore cholericò: aderat ingens sitis, dolor capitis vehemens, defluxus à capite ad pectus & ventriculum. Quinto die egritudinis iussit sumere cassiæ recentis, & electuarium de sebesten, ana 3. vj. in bolo cum saccharo, què antè exhibuisset, nisi audiuisset eum pridie beneficiù ventris ter vel quater habuisse. At minoratiuo, multa cholericà, ac vitro similes humores crassos viscidosque eduxit: & quia à prima statim febris inuasiõne, tamè ad dormiendù se componebat, & claudebat oculos: videbatur alienatus, & secum murmurabat, putabat se plurimos videre homines ambulantes in cubiculo: ideo eum statim vino abstinere iussit, & ei ordinauit potum ex aqua cum saccharo cocta, & pro cibo panatellam, & modicum ex carne vituli, quòd tempore sanitatis fuisset vsus ampliori cibo. Sexto & septimo egritudinis die accidentia mitiora fuere, præter sitim: hæc enim in dies magis ac magis eum premebat: dormiuit tamen mediocriter absq; alienatione: syrupos biberat quos ipse ex decoctione hordei plurimùm in aqua purissima & saccharo confecerat, eius singulis diebus manè sumpsit magnam scutellam, quòd nollet confidere pharmacopolarum negligentia, præcipuè in compositione: sed quia siti plurimùm premebatur, clam post discessum Doctoris sumpsit haustus plurimos aquæ frigidissimæ, & post euomuit cholericà & simul phlegmatica, viscosa: post quem vomitù cessauit sitis, & reliqua accidentia. Octauo die liberatus fuit
à fe-

à febre, voluit tamen Montanus vt 12. die fumeret medicamentum.

℞. Confect. hamech ʒ iiij.
Trochiscorum alhandal gr. x.
Syrupi rosati ʒ ij.

Cum aqua cichoreæ fiat potio, sumenda in aurora cum custodia. Et sic liber euasit. Potus aquæ rectè successit huic: quia corpus antea euacuatum fuit & per secessum & missionem sanguinis: tantùm hærebat in corpore præternaturalis illa caliditas, quæ opposito facilis erat curatu, cum constaret virtus, & corpus esset validissimum, in ipso ætatis vigore, quæ omnia potuerunt aquæ resistere.

Febris quartanæ cura. Consult.

CXXXIX.



N febre quartanam inciderat homobiliosus ex iracundia & exercitio in caloribus, maloq; regimine victus. Acciperat cassiam ante dies aliquot. Utatur igitur bona diæta: vesperi exhibeatur burseta, postea manè secetur vena, bibat deinde syrupos.

℞. Syrupi de absinthio
Oxymellis squillitici ana ʒ j.

Decocti capillorū Veneris & cetrach in aqua
absinthij destillata ʒ iiij.

Misce pro vno, & sic pro alijs. Sequit̄ purgatio, quã tamen vesperi præcedat burseta.

℞. Syrupi solutiui ʒ iiij.
Confectionis hamech ʒ iiij.

Cum aqua sumi terræ fiat potio quæ detur in aurora cum custodia. Biduo sequenti semper bibat manè brodium pulli, in quo decoctum sit hordeum, & expressum, cui imponatur saccharum: postea singulis

diebus bibat brodium in quo decoctum sit coto-
neū, borago, petroselinum, cetrach, man. j. & imme-
diatè ante id sumat ex trochiscis sequentibus.

℞. Polypodij recentis

Liquiritiæ rasæ

Corticis rad. Capparum

Anisorum

ana ʒ ʒ.

Succi de absinthio

Aloës optimæ

Rheubarbari electi

ana ʒ j.

Puluerisentur omnia per se, deinde misceant, & cum
melle rosaceo fiant pilulæ pondere ʒ j. sumat vnâ
singulis vicibus. His cum diu vsus esset, nec aliud
proficeret, quàm quòd ex duplici quartana, quam re-
gimine malo sub initio contraxerat, simplicem tamen
sentiret, Montanus hoc ei ordinauit :

℞. Myrrhæ

Croci

Aloës elect. ana ʒ ij.

Cum melle rosatæ

fiant pilulæ.

℞. Syrupi pomorum dulcium

ʒ iiij.

Aquæ rosatæ

ʒ iij.

Musci

Ambrae

ana gr. iiij.

Sacchari ʒ xiiij.

Misce, fiat electuarium.

Item ℞. diachilonis cum gummis ʒ iiij. extenda-
tur supra corium pro emplastro splenis. Hæc cum ter-
tiò iterasset, sanatus est.

De feбри interpolata.



Vm acceditis ad ægrum quem nunquam
vidistis, & vultis loqui cum eo, semper ita
faciendū, vt ego soleo. Primò ab eis quæ
manifestè apparent signa colligite, ex qui-
bus

bus postea occulta, quæ interiorius sunt, & quis sit morbus, percipietis. Postea cognito morbo subiecto, ad virtutem accedendum, denique ad materiã. Primò igitur quæ exterius sensibus apparent, consideranda sunt, pulsus, vrina, &c. Non faciendum vt imperiti faciunt medici, qui suspicantur tantùm talem febrem, in suo cerebro fingunt & applicant signa consona, cum plerunq; nõ ad sint. Caueatis à talibus, si vultis esse medici digni Hippocrate. Nec recedimus ab ijs quæ apparèt. Primò pulsus in hoc iuvene satis equalis & magnus est: in frequentia non multùm excedit, imò potius ad raritatẽ tendit: non etiam velox multùm, sed temperatus, fortis, validus, nullam habet inæqualitatẽ. Hæ differentia sunt in hoc pulsu, & sensui apparèt. Vrina citrinæ substantiæ, crassa, perturbatur facillè: non multa, quantùm ad quantitatem: quoad liquorẽ, satis lucida: odorem non habet, nec fœtet. tetigi hypochondria, præcipuè sinistrum, quod tensus est quàm dextrum. habet scabiem crassam & humidam, multùm vigilat, dolet caput, circa paroxysmos quotidie affligitur, sed alternis diebus plus fit. Omnia eiusmodi debetis colligere & considerare, vt ex ijs quæ exterius apparent, ad ea quæ interiorius sunt accedatis. Incipiamus igit à primo signo à nobis collecto, nempe à pulsu. Pulsus magnus est, nõ velox, nec frequens. Quando pulsus magnus, velox, creber, tunc febrẽ indicat: & putridam, si inæqualis. In hoc iuvene pulsus magnus, quia est sanguineus: quare ratione tẽperaturæ & ætatis etiã magnus est: & ea magnitudo ei est secundùm naturã. Quòd si esset ex calore putredinali, esset auctus motus & velocior: nec virtus aggrauata est à materia, quod solet indicare inæqualitas pulsus. Exemplum dat Gal. de portatore, quod sæpe retulimus. Et bene sequi-

tur, nō habet inæqualitatē in pulsu, ergo natura non est grauata à materia, quod etiam pulsus attestatur, super calorem naturalem auctus vel non auctus, mutatus vel non mutatus. Hæc de pulsu colligere debetis, non esse febrem cōtinuam, sed interpolatā, quia non habet differentiam attestantem super cōtinua. Vrinæ color hic nō est naturalis: debebat esse palea-
 ris, id est, sicut palea hordei, sic esset naturalis: sed hæc vrina transcendit eum colorem. Nec est extrinseca causa, non equitauit, nec se exercuit multū, ergo est à causā intrinseca. & is color super humore attestat, quia aliqua bilis potius tenuē vrinæ facit substantiam: pituita verò crassā, vel sanguis etiam pituitosus: sed pituita proxima causa vrinæ crassæ: ergo concluditur, quia humores crudi, crassi & pituitosi sint in illo corpore. Est ergo bilis & pituita, possunt enim simul dominari, propter diuersitatē membrorum, vt cūm ventriculus frigidus pituitā multiplicat, & hepar calidum bilem, quod non rarò fit. Est & pauca vrina, quia fit cūm quis vel parum bibit, vel ex obstructione in vasis vrinarijs, vel ex siccitate & caliditate multa. Hic credo (debemus enim cautè iudicare) potius est ex obstructionib. multis, quòd venæ obstructæ ob crassos humores: non quòd caliditas exiccet, quia haberet febrem maiore, sed ob obstructionē. Est sine hypostasi vrina, quod significat sanguinē esse crudum, & nullam habere coctionem, vnde tempus morbi significatur, quia videlicet fit in principio. Sic igit ex signis colligitis: ex pulsu, quòd febris interpolata: ex vrina, causam materialem: ex bile & pituita, quòd tempus morbi fit in principio. Hypochondriū inflatum indicat materiam in eo latere collectam esse, vel in musculis exterioribus, longitudinalibus vel transuersis, &c. vel in venis, quod ma-

magis hic credo, & in corpore splenis, quòd humor in profundo percipit. Habet porrò vigilias & sitim. quid inde iudicamus? Omnia concurrunt. Audiuitis hic bilem esse, & paroxysmum qualibet nocte. Est autem causa vigiliæ primò siccitas, secundò caliditas: somnus enim præter naturam primò fit à frigiditate, postea ab humido: sed somnus naturalis primò fit ab humido, postea à frigido. Hic vigilat, quia vapores sicciore & adusti magis ex bile ascendunt ad caput, quia tenuiores. Iam ex illis plus nocenti habet quàm ex pituita, & cerebrum etiam incalcescit, propter paroxysmos quos habet noctu. sitis etiam concurret & attestat: habet enim bilem & siccitatem causantem sitim. Dolor etiam capitis conuenit, sit enim is ex vaporibus calidis. Ex his igitur omnibus colligitis vera esse, quæ ex vrina & pulsu antea collegimus.

Consult. CXL. De febre continua. Collegium D. Montani.



Asus puellæ octodecim annorum, complexionis calidæ & siccæ, optimæ perpetuò valetudinis, quæ ex curis & affectionibus animi, quas in fratris sui aduersa valetudine habuit, in ægritudinē incidit. Menstrua diminuta sunt, & febris eam corripuit cum horrore, & alijs accidentibus: adest dolor capitis, & circa regionem ventriculi, nempe circa orificium, præcipue versus hypochondriū, tensiones percipiuntur: adsunt insomniæ seu vigiliæ, oris amaror, non tamen cum siccitate notabili: calor mordax percipitur, & velox pulsus. Accessionū principia hactenus notari non potuerunt, ideo continua putatur, quæ tamen de tertio in tertiū magis exacerbatur. Adest lassitu-

do vehemens, ita vt se vix tollere queat. Rugitus itē in ventre superiori & inferiori auditur. M O N T A N V S: Oportet primū videre quæ natura sit morbi quo affligitur: postea, quæ causæ: demum modus curandi inquirendus est. Primū hanc laborare febri putrida, manifestum est ex signis: pulsus frequentior, inæqualis magis, ac velox. quod ad putredinem sequitur, inuentæ vrinæ crassæ, cum hypostasi per totum corpus sparsa, calor mordax in superficie cutis. Hæc igitur febris est morbus in temperie. An verò præter hanc alia sit ægritudo? Credo quòd sic: est alia in compositione. Circa orificium & regionē ventriculi tumor est cum dolore quādo tangit, neq; dolor notabilis: & in anhelitu quandoq; percipitur, & à nobis tumor ipse tangitur. Ita duplex est ægritudo. Possit aliquis dicere, adesse etiam tertiū, obstructionem circa vterum, quia actiones eius læsæ in excernendis menstruis, ergo & membrum læsum. Sed quia menstruorū diminutio non ex obstructione tantū, sed ex mala etiā temperie in ipso vtero, vel ob sanguinē crassiorē contingere possit, non posuerim pro certo, id quod est in dubio. Iam morbi causæ inquirendæ: nō enim scimus curam, quādo scimus talem vel talē esse morbum, sed ex causis cura petenda est. Esse putridam, ex dictis signis constat, pulsu, vrina, calore mordaci. Sed in quibus humoribus est ea putredo, & vbi? Hoc etiam ex signis est inueniendū. non habet motū velocissimū. Hæc febris fit quando putrescit humor calidus qui & subtilis, vt bilis, vel sanguis: qui quia velocissimi motus sunt, terminantur septima, vel ad summum decimaquarta die. Et habet sæuissima accidētia: nec tarditatē habet eam quæ fit cum putrescunt humores frigidi, vt pituita, & humor melancholicus. Nec calor ita remif-

sus est, & vrinę magis tinctę, & dolor occipitis. Ergo humor qui putrescit, nec calidus est nec frigidus simpliciter, sed mixtus: quia accidentia mixta sunt: motus medius inter tardum & velocem: & reliqua signa media. Sitis quidē, sed non maxima: nec dolor capitis nimium intensus: ideo humorem putrescentem etiam medium crediderim inter calidum & frigidum, & mixtum ex plurima pituita & bile. Sed ubi putrescit humor? Audio febrem continuam sine typo, & semper æqualem: ergo humor putrescit intra venas. Est enim febrium continuarum proprium, non horrere. Sed si haberet aliquem typum, aliter dicendum esset. Quod ideo dico, quia in pulsu hoc vespere sensu aliquā contractionē: & ipsa etiā coope- riri voluit: quę duo cū concurrāt, maximē indicium faciunt esse aliquem typū. Et saepe hoc contingit, vt in febribus cōtinuis post aliquot dies incipi- ant apparere in pulsu, vel quia natura fortior in expellēdis superfluitatib. facta est, vel quia coctio aliqua facta, & materia subtilior exhalat. Ideo enim cōtinuę febres periculosę dicuntur ratione signi, & cau- sę. Ratione signi, quia indicāt naturā debiliore, quę permittit materiā vt inimicū putrescere in proprio domicilio, nec potest extra venas expellere. Ratiōe causę, quia ea materia putrescens faciliē inficit mas- sam sanguinis, ad quod sequuntur febres pestiferę & exitiales. Fieri igit potest vt hactenus nō habuerit, & nūc incipiat habere typū, idq; bonū esset per viā signi, & per viā causę. An modo incipiat nūc mate- ria putrescere extra venas, vel sit adhuc intra venas, facillimē videbit Excell. V. per ea quę succedēt. Si nullus typus succedit, erit intra venas: si erūt aliquę periodi, erit extra venas. Ideo nolo determinare in re ambigua: tēpus ostendet, nec propterea tolletur

modus curandi, siue intra siue extra venas sit, cum certissima sit inuenta ratio humoris peccatis. potest quidem augere difficultatē. His stantibus facile est nunc videre causas symptomaticas. Vapores ascendant in caput, & dolores excitant: quia admixti ex pituita & bile, excitatos quidē faciūt, nō intentos tamen, propter pituitā obtudentē. Eadē causa est vigiliarū, quę ipse propter pituitam admixtā non sunt continuę: & quod nō multum sitiāt. Licet hæc omnia eam quoq; infestent propter humores permixtos contrarios, quorū alter excitat, alter restinguit hæc symptomatica, & mitigat. Ita omnia sibi concurrunt, vrinę rubrę, & tamen crassę, quia duo humores, pulsus inæqualis. Ergo non est biliosus humor, qui velocem quidem facit, sed pituita magis inæqualem. Hæ sunt causę omniū symptomatum quę consequuntur morbū. Id est modò obstructio: quę vbi fit, ex tumore & dolore apparet. Quare & Gal. & Auicenna testant, quod vbi dolor, ibi est ægritudo. Sed vnde ea est tensio? Non est ex apostemate (alia enim sequerentur, & multò sæuiora symptomatica) sed ex materia flatulenta, quę facit tumorem, propterea quod flatuatur: nam propter suam multitudinem comprimeret diaphragma & suffocaret: deinde perseveraret tensio, nec ita facilē resolveret à quocunq; extrinsecus applicato. Hic dolor facilē remittit, ergo non est ex abundantia materię, sed propter ventositates, ob quas intumescit: hincq; est quod comprimitur & impeditur in dilatatione, ideo adest difficultas anhelitus, sed nō durat, quia flatus citò discutiuntur. Hic tumor est morbus in compositione, quia facit intumescere locū vt non faciat operationes debitas, & est ea tensio ex presentia materię. Hæ igitur sunt duę ægritudines, & puto vtranq; habere

bere separatas causas, nec vna remota alteram remoueri. Sed quia adest & retentio menstruorum, videndum est an vna etiam ea sit ex his causis. Cùm considero præcedentia, & temperaturâ huius, puto hanc diminutionem menstruorû potius esse ex crassitudine menstruorû & sanguinis, quàm ex obstructionibus matricis. Et si enim sanguinem habet humidiorê ratione ætatis & sexus, & quia in otio vixit & delicijs, & albi sit etiam coloris (sicut solent esse fœminæ quæ non exercentur vt viri) & ob has causas facile aliquem decipere possit, vt videat frigidior quàm sit, habet tamen venas magnas, & arteriarû motum fortè & magnum, & frater ipsius qui ex eodê semine est, est calidus & adustus, ideo credo eam generare multam bilem & sanguinem adustû. Deinde est in decimo octauo anno, qui in puella citius crescente & senescente est ipse flos ætatis, & eadem quæ viginti octo annorum ætas, quia tunc maximè viget sanguis. Accessit ægritudo fratris, quem amabat plurimum. Habuit vigilias, curas, & accidentia animi, quæ adurunt sanguinem, ita vt inde homines etiam melancholici fiant, quia sanguis aduritur. Est igitur sanguis crassior, & multiplicata excrementa pituitosa, quæ fuerunt causæ febris, quæ ipsa etiam sanguinem magis adurit: ideo rebellis eductioni, vt non possit liberè exire per meatus angustiores. Exiuerunt quidem menstrua, sed diminutè: ideo causa nô in obstructione erat vteri, sed sanguinis potius crassitie. Et cùm sint tres causæ diminutionis menstruorum, debilitas virtutis excernentis, obstructiones viarû & sanguinis crassities, ego hîc terciâ esse credo. Hęc de essentia & causis horû morborû. Quod autem ad mores attinet, febris nulla habet signa malignitatis: habet sua accidentia, quæ pendet à putredine, si-

ne deliquijs & egestionibus putridis, & vrinis mutatis & feruantibus malignitatem: sed habet ordinarios affectus cognitos, ideo ordinariã crediderim, & non malorum morum. De tempore febris.

Non quidem video signa coctionis, non tamen arbitror nos adhuc esse in principio morbi: non enim ita perfecta coctionis signa expectanda sunt in ægris sicut in sanis. Non igitur dicendum, adhuc esse in principio: fit enim aliqua coctio, non quidem qualis in sano, sed qualis in ægro: & hanc ob causam in augmento esse crediderim, non in statu tamen, vbi coctio fit perfectior. Prognosticon. Nisi aliud superueniat, quia in itinere multa possunt contingere, vt dicit Hippoc. in febribus acutis non esse certa signa prognostica: & addit rationem Galenus, quia faciliè mutari possunt vel ad melius, vel ad peius: tamen prout talis est, non est lethalis. Nã quod dicit Hippocrates, febres non intermittentes quæ tertia die exacerbantur, periculosæ: verum est, quia faciliè in deterius incidunt si negligantur: sed propterea non sunt lethales per se, sed ad optimum finem deducunt si medicus non delinquat, & æger obediat: quæ cum ambo hic sint conuenientissima, faciliè sanabitur. Cura. Videmus naturã morbi & principium affectuum pendere à materia putrescente: materia igitur euacuanda, & putredo remouenda. Materia crassa est, mixta ex pituita & bile, & maxima parte intra venas, quia non sunt visæ periodice igitur remouenda. Sed Hippocrates non tantum præcipit, Si talia purgentur qualia oportet, confert, & leuiter ferunt, &c. sed alibi etiam: Quocunq; natura vergit, eò maximè ducere oportet. Quærendum igitur, quomodo, & per quem locum: quia quid sit vacuandum, faciliè videmus, pituita scilicet &

& bilis. Sed ex quo loco? ubi putrescit, in venis, propterea quòd perspiratio prohibetur, & calor naturalis opprimitur à multitudine materiæ: ergo euacuanda. 4. sanit. tuendæ. Si putrescit materia intra venas non aliena à sanguine, mitte sanguinem copiosissimum: si non multum aliena, mitte, sed parcius: si omnino aliena, abstineas. hæc sunt verba Gal. Hic humor non est admodum alienus, quia pituita mixta cum bile sapit caliditatem, & omnino tardi motus est: nec rebellis est calori, quia inflammatur. Est ergo permixta sanguini, & putrescit, quia prohibetur euentatio, & facit obstructiones. Venæ igitur sunt euacuandæ, & quærendum vt transpiret corpus, & vacuetur materia, quod neque melius neq; citius fieri potest quàm per missionem sanguinis, ideo eam in febribus laudo semper, quia vel antecedentem vel proximam causam tollit: siue humor sit extra, & tunc antecedentem tollit: siue intra venas, & tunc proximam. Mittendus igitur est sanguis, idq; statim antequàm morbus ad statum perueniat: neq; restitandum, quia periculum est ne æger moriatur. Vidi omnes sic curatos, & credo nil præstantius nisi vt mittat sanguis. Nec à saphena educerem: si enim sint obstructiones, non exibat sanguis, cum præsertim materia sit crassior. Ideo à basilica mitterem, quæ ad educendum sanguinem crassior est aptissima. Refrigerabit hepar, vt generet sanguinem magis æqualem, non tam crassum, qui postea sponte euacuabitur materia insurgente, sublato hoc modico impedimento. Si igitur cras non erit summe debilis propter maximum paroxysmum, aut vigilias huius noctis, vt magis indigeat alimento & restoratione quàm missione sanguinis, omnino fieri phlebotomia à vena basilicæ suadeo quantum sufficit, quæ præsens medicus iudicabit: si sanguis niger & cras-

fior, permittatur exire: si pulcher, clarus, lucidus, stam
 rim obstruatur: ideo enim laudat Galenus missioñẽ
 sanguinis præ cæteris medicamentis per os exhibi-
 tis, quia semper reprimi potest, & vel parũ vel mul-
 tum educi, secundum astantis voluntatẽ: quod non
 ita potest moderari in medicamentis per os exhibi-
 tis. Et video quotidiana experientia, quòd vbi præ-
 termittitur sanguinis missio vbi fieri debebat, mor-
 bi fiunt lethales aut longi. Nec ideo timeat quòd sit
 prima phlebotomia: habet ætatẽ conuenientem: aut
 quòd inde futura sit sterilis: istæ sunt aniles fabulæ,
 & figmenta sine fundamentis. Si tamen sudet copio-
 se, aut per aluum egerat, vel per nares sanguinẽ red-
 dat, vel aliqua fiat vacuatio, vel plurimũ laborarit,
 vel virtus defessa sit admodum, omittetẽ. Si nihil ho-
 rum contigerit, mane summo, clystere exhibito, sub
 horã præterea xvij. aperirem venam. Circa alteratio-
 nem postea (quia in putridis nõ solum sanguis mit-
 tendus, sed etiam alia facienda, quæ Auicenna duob.
 verbis diuinẽ docet, cùm inquit, lauare aluũ, prouo-
 care vrinam: hæc qui facit, curat febres putridas) la-
 uatur aluus clysterib. & est magis dilectus vsus cly-
 sterũ, quia fit quotidie sine strepitu, quàm prouoca-
 re vrinas. Syrupus ex capillis Veneris optimus est,
 aperit obstructions. Syrupus de cichorio & cetra-
 cho Nicoli, omnes sunt optimi, eligatis quos vul-
 tis. Postea si vellet tolerare decoctũ in hyeme hac,
 melius esset: acciperem aquam endiuix, capill. Vene-
 ris, quanquam in his non confido multum. Ideo si
 haberemus herbas bonas, capill. ven. cetrach, eas de-
 coquerem in aqua endiuix & boraginis, & esset eo
 maior subtilitas, & facilitas prouocandi vrinam.

PRO OBSTRUCTIONE.

Si singulis diebus vel alternis acciperet vna pilulã
 aloẽs

aloës, vel hierę simplicis scrup. j. Nec metuerē febrē, quia euacuat bilem, & restringit sitim, refrigerat, & educit materiā facientē obstructions, & calfacientem. & potest dari lota aloë, vt minus calida sit: educit humores. Sed si essent imbibiti intra tunicas ventriculi, melior esset hiera, vt inquit Galenus. Potest igitur exhiberi aliquot diebus, vt videamus quomodo conferat: si enim non cōducit, poterimus alia exhibere: sed credo quòd in his optimè habebit.

RATIO VICTVS.

Nescio an consueuerit vinum lymphatum bibere: si possit, credo vtile fore vt abstineat à vino. Galenus tres recenset causas in quibus sit abstinentum à vino, in epilepsia, in adustionibus, & humorib. crudis. Hic sunt humores crudi, &c. Sed darem aquam coctam cum cinnamomo vel pipere, quam Gale. dabat, & fortè melius esset: quia enim eius caliditas nō transit ad hepar, potest poni vel piper, vel cinnamomum, vel quatuor garyophylla cum modico sacchari. Comedet iuscula, panatellam, & modicum carnis. Si habebit paroxysmos, mutabit ratio victus, & non ita cibabitur sub noctem, quòd eo tempore soleant magis exacerbari symptomata, vt iam etiam accessio manifestè se ostendit.

Consult. CXXI. De melancholico.



ACCIDENTIA quibus affligitur hic nobilissimus vir, sunt manifesta sensui, de quibus non ambigere potestis. Primò percipit stuporem manifestum ferè in omnibus corporis partibus, præcipuè tamen circa tibias: & obtusionem ferè omnium sensuū, tactus, gustus, &c. Dicit etiam aliquando ita sibi diffidere, vt non ausit egredi domum, metuens ne deficiat, & in

cursu etiam detrimentum quandoq; percipit: non
 audet interdū loqui, ita defectus totius discursus re-
 ferebatur ad diffidentia. Est & aliud insigne, macule
 nigrae circa omnes partes corporis in ipsa cuticula,
 non profundę, sed superficiales tantum: & illa sunt
 cum pruritu magno, ut conent scalpere: estq; ipsum
 genus quod & Diosco. & Gal. *lepidias* vocant, quasi
 a sole contractas: sunt enim nigrae, quales sunt homi-
 nes multū in sole ambulantes: haec contingunt per
 interualla, & solebant redire singulis mensibus: sed
 postquā est curatus Venetiis ab excellentiss. medico
 & fratre meo, nō tam saepe redeunt interim illa, ut
 nunc post duos menses aut vnū cum dimidio rede-
 unt. Addit, quod licet rarius veniat ea symptomata,
 tamen in interuallis non ita prorsus ab ijs liber sit ut
 ante: nunc quasi semper sentit aliquid quod ante il-
 lam curationē non senserat. Haec sunt accidentia ab
 eo recitata, quae omnia sunt facilia cognitu: sed in
 causis indagandis est summa difficultas, nec possum
 mihi satisfacere. Circa stuporem maxima difficultas
 est. Stupor est actio diminuta: ergo a frigiditate. 3.
 de causis sympt. Actio corrupta a caliditate venit,
 diminuta ab intemperie frigida: hic actio diminuta,
 ergo a frigiditate, idq; vel positiuē, vel priuatiuē. Di-
 minuitur actio, cum sit frigiditas in mēbro, propte-
 rea quod virtus animalis seu calor ac spiritus veni-
 ens ad membrum illud non accedit: ita membrum
 priuatur calore debito, refrigeratur priuatiuē. Sic
 refrigerantur membra in timore, quando spiritus &
 calor ad cor refugiūt, ac cessant motus & sensus. fri-
 giditas positiuā est cum refrigeratur membrum, vel
 quia in propria essentia & in temperatura laesum est
 ac refrigeratum, vel quia materia affluerit, atque
 ita in ipso membro sit quod laedit. Haec ergo est dif-
 ficultas,

ficultas, quòd non scio vnde possit esse stupor. Si
 à causa priuatiua, ea est vel ob obstructionem, vel
 ob paucitatem spirituum, seu ob aliud accidens su-
 bitum: in his omnibus debebat antè lædi motus, ad
 quem longè maiori & vehementiori calore & spi-
 ritu opus est: quia motus est in actu, sensus autè in
 pati. Secundò, natura magis sollicita de necessarijs,
 semper reseruat id quod magis est necessarium: igitur
 cum alterum est amittendum, potius motus
 quàm sensus aufertur, vt in paralyfi. Propter has du-
 as causas non credo, neque ob paucitatem spiritu-
 um, neque ob obstructionem, esse imbecillitatem in
 sensu alicuius membri, & non in motu. Sed dicat ali-
 quis, diuersi nerui sunt, nam nerui sensus sunt humi-
 diores, & facilius lædi possunt quàm nerui motus.
 Responso: nerui motus duriores quidem sunt, &
 propterea etiam non ita facilè implent à spiritu pau-
 ciori, vt nerui sensus, qui humidiores sunt & parui.
 deinde nerui circa quos ipse sentit maximã imbecil-
 litatem in sensu tactus prope tibiã, non sunt tam hu-
 mido, quia nõ à cerebro, sed nucha & spondylis dor-
 si oriuntur. Nec ob frigiditatem positiuam hoc fieri
 posse video. Si enim dicas factã frigiditatẽ quia flu-
 xerit materia ad neruos sensuum, & nõ ad neruos mo-
 tus, quia diuersi sunt, & quidem sensus nerui imbecil-
 liores non ita resistant læsionibus extrinsecis: re-
 sponso: verum, facilè posse pati eos neruos, vt Gal.
 i. de sympt. cau. de his qui in sensu tactus impedimẽ-
 ta habent, & non in motu: sed id nõ videt esse in hoc
 viro. Si enim intèperies esset in illis neruis, perpe-
 tuò esset, nec aliquãdo cessaret: hic verò sentit quan-
 doq; quandoq; non: si esset ibi fixa materia perpe-
 tuò, nõ sentiret. Et ita restat difficultas apud me ma-
 gna, quæ sit causa. Præterea si tantum esset ibi humi-

ditas obtundens calorem, & non frigiditas quædã, sed caliditas quæ obtunderetur quidem ab humiditate, non posset tamen extinguï, non sequeretur diminutio actionũ, sed corruptio. Galen. 2. p. ait: In temperies cerebri calida humida corrumpit actiones: & si esset tanta humiditas cerebri quæ obtunderet calorem, non bene discurreret, nec memoraretur: hic optimi sensus & exactissimi, memoriter refert omnia quæ contigerunt ei per totam vitam. Scitis autem dictum Heracliti: Spiritus siccus, anima prudentissima. Non igitur possum imaginari quomodo humiditas sit impediens & obtundens calorẽ in hoc viro: atque ita plenus sum difficultatum. Audiat processum, quo in rebus ignotis deducã vos per coniecturas. Suppono temperaturam: à natiuitate abundauit in hoc corpore caliditas cum humiditate: id conijcio ab habitu corporis in hac ætate: est enim viginti annorũ, obesus & crassus seu pinguis. & video signa manifesta: est subniger, & non habet pilos indicantes frigiditatem: deniq; abundat multo sanguine, ex quo hepar est calidum & humidũ generans multum sanguinem. Habuit autem pessimam rationẽ victus Venetijs primũ: præterea xvi. natus annos iuit in Dalmatiam, vbi crassus & meridionalis aër: vescebatur carnibus & piscibus crassis. laborabat animo & corpore sub sole, & in negotijs circa quæ non erat assuetus: inde contraxit cacochymiam ratione temperaturæ, & causarum extrinsecarum, & congregauit multam materiam melancholicam: quia qui calidi & humidi, generãt multum sanguinem, & plurimum etiam sæcum: quia vbi multum est de sanguine, præsertim crassiore, ibi etiam multum est de sæce sanguinis: & tales fiunt facile melancholici cum accedit causa extrinseca, sicut hic omnia

nia conspirant: multos noui tales. Est etiã manifesta coniectura ex Gal. 4. de san. tuen. tale esse dominiũ humoris, qualis est color cutis: hinc sunt macule coloris admodũ nigri, quæ cooperiũt ferè totam cutim, quæ significant dominium humorũ eius. illæ maculæ pruriunt plurimum: excitatur autem ille pruritus à difflatione, quia diffilatur humor melancholicus: deinde etiam, quia humor est acidus: semper enim aliquid pituitæ admixtum habet, quia melancholia frigida est, & extinguit calorem naturalem hepatis, & repletus est splen eo humore, intumescit, & sua frigiditate minuit calorẽ hepatis, & impedit coctio- nes, ita fit vt genereĩ multa pituita. Ideo multi qui abundant melancholico humore, sunt hydropici & splenetici, ob extinctionem caloris naturalis, & multitudinem phlegmatum. Hinc est quòd apud veteres, omnes medicinæ euacuantes humorem melancholicum, semper habent admixtum aliquid euacuans pituitam, quia nunquam separantur: vt in confectio- ne hamech, elect. Indo, & alijs antiquis. Nec credo esse succum melancholicũ adustum, quia faceret vlcera: sed credo naturalem esse, non enim est malignus. Pruritũ autem facit propter adustam pituitã: abundat succus melancholicus naturalis, qui generatur in hepate, & transit per omnes venas: quod mihi manifestum est, quia maculæ sunt per vniuersum corpus: ex venis autem succus ille transit in corpus, & ad cutim, & facit illas maculas. Quia igitur in toto ambitu venarũ est, ideo perpetuò euaporat ad caput, & suis certis periodis corrumpit actiones cerebri, prout magis vel minus augetur à mala ratione victus. Sunt enim certæ periodi & variæ, pro ratione humoris, vt apparet in quartanis: & actiones variè diminuuntur, prout vapores ascendentes diuer-

fas cerebri partes occupât, vt tertio de causis symp-
 nunc discursum, nunc imaginationem, nunc memo-
 riam. Et est varietas magna in eo præcipuè humo-
 re, nam refert Galenus, quendâ imaginatum se esse
 gallum, alium se habere caput ex olla fictili. Nec ha-
 rum rerum causæ certæ referri possunt, cur vel hæc
 vel illa actio impediatur. Hic homo illud, aliud ali-
 us imaginatur. Vidi quendam qui totam mundi su-
 perficiem imaginabatur esse ex subtilissimo vitro,
 & subtus esse serpentes, se in lecto tanquam in in-
 sula, vnde si egrederetur, frangeret vitrū, & incide-
 ret in serpētes, ideo nolebat ex lecto egredi. Credo
 autem totū hoc imaginationem esse, & quòd omnia
 illa symptomata imagineat, & quòd non sentit in ti-
 bijs: si pungeretur fortiter, fortasse sentiret. Ita ima-
 ginatur, vt nō possit discurrere: aliquando ita diffi-
 dit sibi, vt non possit exire domum. Timet, quod est
 propriū melancholici. Vidi plures tales Venetos.
 In oculis bene credo defectū aliquem. videtis quàm
 latā habet pupillā. Reliquū totū credo esse imagina-
 tionē. & fit interdū reuera vt homo nō sentiat, cūm
 est intentus in aliud, vt ait Aristot. in proble. & 2. de
 anima, quæ alio occupata nō percipit obiecta. Hipp.
 ait, Vbi aliquis dolorē nō sentit, mens laborat: quod
 admodum quadrat ad propositū nostrum. Iste dolo-
 res nō sentit, ergo mens ægrotat. Nec (meo iudicio)
 possumus referre alias causas, sed credo totum affe-
 ctum melācholicū, & ponere illū in capitulo de me-
 lancholia, vt dicunt. Est autē humor melancholicus
 non per essentiam in capite, sed per consensum exha-
 lat ex hepate, & ex ambitu venarum. Est enim du-
 plex humor melancholicus. 3. locorum affect. quan-
 doq; in capite, quandoq; in ambitu venarum. Cre-
 do quòd sit hic per consensum in capite, per essentia
 in

in venis, idque eò, quòd certas periodos habet. Si in capite, semper & perpetuò talis esset. His stantibus credo quòd difficulter curabitur, quia omnes affectus melancholici diu durant, ex Gal. sententia, qui ex Diocle refert de hypochondriorum dolore, qui per còsensum tamen est: quantò hìc cura difficilior? Nihilominus si quis toto studio quærat euacuaciones, & curet ne generetur alius nouus morbus, melancholiam vel curabit, vel ad meliorè statum reducet: quia interim ex quo euacuari cœpit & curari, leuius nunc inuadit, & per longiores periodos, si præsertim talis euacuatio fiat cum elleboro, qui verè euacuat melancholiã: videmus enim effluere cùm exhibetur, non aquea & humida, sicut fit cùm dantur folia senæ & epithymum: nam elleborus verè & sine difficultate melancholiã euacuat, si debito modo & iusta quantitate exhibeatur. C V R A.

Quia igitur in toto corpore & ambitu venarum est, primò minuerem sanguinem, præmissa leui purgatione materiæ còmunis, quæ est in ventriculo & intestinis. Darem igitur cassiam, vel hierã: præterea euacuarè sanguinem copiose ex basilica vtriusq; lateris ad 16. vel 20. etiam vncias, duabus vel tribus vicibus, quia corpus est plenum sanguine. Post missionem sanguinis darem præparantia, syrup. boragbuglossæ, lupuli, & decoquerem in quindecim vel sedecim vncijs aquæ casei cum modico oxymellis, ad purgandum, leniendum & coquendum succum melancholicum: tandem euacuarem cum leuioribus, primum quæ succum melancholicū & pituitam simul educūt, vt còfectio hamech, & alia: postea vbi semel aut bis hoc factū esset, ad decoctū ellebori accedere cum alijs: vt, omne genus myrobal. contusum infusum in aqua fumi terræ decoquas: coctioni

præterea addant folia fenæ, epithymū, polypodiū, glycyrhiza, & semen citri, $\frac{3}{4}$, semis ellebori: & $\frac{3}{4}$ vi. huius decocti sumantur: idq; ter vel quater facerem, prout & humorem educi, & ægrum melius habere viderem. Videbit proculdubio se iuuari hac ratione. Præterea vtatur victu optimè nutriente: comedat carnes iuuenes generantes bonum sanguinem; vinum bibat maximè nigrum aut subruffum: sit cum socijs lætus & hilaris: viuat in aëre puriore, æstate præsertim, qualis est in Foro iulio, vel ad montes Vincentinos. Hæc omnia si quo ordine debet, agat, vel curabitur, vel saltem minus laborabit.

Consult. CXLII. De ophthalmia.



Onqueritur hic de quadam dispositione præter naturã circa oculum, & maximè quòd in sinistro oculo sit imbecillitas videndi, videt enim quasi per quandam nebulam: in alio oculo est quædam punctura. In sinistro oculo adest etiam quædam macula circa corneam, maximè vbi terminatur ad pupillã. Petit consilium. Et cum omnis dispositio præter naturam indigeat curatione sibi propria, ideo inuestigandæ causæ illius maculæ. Et quæ sit causâ illius nebula apparentis in visione, inuestigabo ego ex his quæ vidi. Iste Nobilis vir vbicunq; versat, aut aspicit aliquid circa aërem tenebrosum, pupilla fit maior: vbi autè in luce aliquid videt, redditur pupilla constrictior. Hoc est vnum, quod est inuestigandum, & hoc vidimus heri. Adest igitur nebula, id est, videt quasi per nebulam: hoc est ab vna trium causarū, vel ab instrumento, vel à virtute illustratè, vel à spiritu: his enim tribus fit visio. Ergo apparet nebula, vel propter instrumentum, vt in cataracta, quia in ea in spatio est quædam

quædam aqua obscura, quæ impedit transeuntē spiritum, & reddit spiritus obscuros: hoc nō est in hoc viro: nam hæc aqua appareret ad sensum, imò in utroque oculo pupilla est clara, sine aliquo nocumento. Non etiam est materia obstruens in nervo, quia spiritus liberè transit, & pupilla dilatatur, cum alter oculus clauditur, quod & Auic. ponit. Vnde arguit quòd sit liber transitus spirituum. Ergo nullam uideo obstructionem in vijs, per quas vel virtus vel spiritus non possit pertransire. Ergo hæc partes sunt liberæ, & oculus, quantum ad hanc visionem impeditam. Igitur vel virtus erit affecta. Sed hæc etiam non est affecta: quia licet sit in cerebro, & postea determinatur ad ipsum oculum, non apparet aliqua læsio: ideo nec ad virtutem hoc referendum. Ergo relinquitur, quia ex tribus his aliquid esse necesse est, quòd hæc obscuratio sit in spiritibus, & ad hoc refero omnem hanc obscurationem: & hoc est præcipuum: nam dum est in obscuro aëre, dilatatur pupilla ad oculum, & videtur cornea constringi ex dilatatione pupillæ. Contrà in aëre claro & lucido pupilla constringitur, & cornea dilatatur. Hoc indicat spiritum quidem esse multum qui deueniat ad oculum, sed tamen crassum. Ergo dixerim ego, spiritum emanantem esse propter aliquam materiam crassam admixtam, factum crassiore. Vnde in loco obscuro, cum non adiuuentur spiritus ab aliquo extrinseco illustrante, hinc natura illud quod non potest agere, facit ex multo spiritu, & hinc ex multo conatu dilatatur pupilla, propter multitudinē spiritus aduenientem. Sed in luce clariore illustrantur spiritus à luce: ergo minor spiritus requiritur ad operationē videndi, & inde pupilla redit ad propriam suam naturam & magnitudinē: & hoc etiam videtur in illis

qui habent crassos spiritus. Ex illa igitur manifestissima dilatatione in obscuro loco, & cōstrictione pupillæ in luce, dico quod sit hæc læsio visionis propter crassitudinem spiritus, & non propter crassitudinē corneæ. Et quod hic spiritus sit crassus, sunt multa signa. Patitur etiam in oculo sano dolores. Oculus qui patitur est imbecillior. Et quia quælibet impressio fit fortior in subiecto disposito, ideo ille oculus resistit quidem plus, sed non ita oculus affectus. In oculo sano non potuit se defendere, quia descenderat materia stimulans & acris, & ita se defendit quantum potest. Ergo uterque oculus affectus: sanus, quia est destillans. Oculus autem affectus duobus modis. Et spiritus deuenientes ad oculum affectum, patiuntur. Hæc videtur esse causa. Et non possumus imaginari quidem quæ causa sit in instrumento, Hoc quantum ad nebulam & obscuritatem, quam percipit videndo. Hoc in ebrijs videmus manifestè, & quibus vapores ascendunt ad cerebrum: nam spiritus illi sunt crassi in eis. Et quod illis in pauco tempore contingit, fit in his perpetuo propter causam intrinsicam.

Nunc de macula. Non constat apud me certi aliquid de illa. Si dixerit aliquis, quod ibi sit cicatrix, propter aliquod vlcus, quod processit: verum est quod contingunt quidem sæpe ex vlcere: sed an hic ita sit, in hoc est difficultas. Si fuisset vlcus, vidissent illi qui curarunt. Sed hoc nobis non est indicatum: nam an successerit vlcus ex illo tumore, non est nobis dictum. Hoc ergo apud me est ignotum. Si non vlcus, ergo nec cicatrix: si non cicatrix, ergo aliqua materia viscida & crassa in causa erit huius maculæ: sicut & in reliquis corporis partibus hoc euenire videmus, ut in cute, in qua sæpe oboritur talis topus aut macula: & in oculo hoc frequentissimè

simè accidit. Ergo ego potius crediderim hoc esse ex materia tali, viscida & duriore, nisi audiam de vlcere. Sed hanc maculam non curo. An autem sit in superficie vel non? Heri vidi, & sum quidem iam senex, & visum debiliorem habeo, tamen vidi esse in superficie. Hoc tamen relinquam in dubio, & relinquo hoc conscientijs vestris: & pro nunc pono in dubio, quia variat cura prout est ille locus. Modò est videndum de illa obscuritate visus, quia de hac plus refert, quia in deterius veniet proculdubio.

Supposito quòd sit propter obscuritatem spirituum, propter materiã mixtam: & cum materia fluat per oculos, primò quærit quæ sit illa materia: secundò, vnde, an sit in oculo. Quo ad primum, dico esse materiam mixtam, partim pituitosam, quod apparet ex consistentia & crassitudine, gummositate & visciditate. Ergo est pituita. Sed percipit puncturas aliquas & corrosiones, ergo est & biliosa. Dominatur quidem pituitosa quo ad quantitatem, sed non quo ad vires. De secundo, vnde deriuatur? In oculo non generatur, cum sit copiosa. Et si esset tanta intemperies in oculo quæ generaret hanc materiã, essent alia symptomata in oculo, & oculus nõ esset tam clarus. Sed an caput, an partes inferiores transmittant? Credo quod nõ sit referendũ ad caput. Illud membrũ sanũ est, cuius operationes sunt sanæ. Sed hoc caput non est affectũ, nam haberet vitiatas operationes. Sed adest grauitas, & adest materia. Dico, quod hoc est propter ascensum vaporum. Non nego ibi esse materiam, sed an ibi generei, videte Gal. lib. 2. de. diff. feb. de causis periodorum, & de natura fluxuum &c. Ergo non nego à capite materiam fluere ad oculum, sed non video vitium in capite, vnde generei in capite. Primò igitur dico quod est imbecillitas ventriculi.

Et hepar habet valde calidū, cū cōqueratur quòd nihil possit tolerare. Item quòd hepar calidum habeat, manifestissimum est ex habitu corporis, & habitudine venarum. Stantibus his duobus, quid mirū repleti caput? Ex ventriculi imbecillitate multiplicatur pituita: ex hepatis caliditate ascendunt vapores ex toto ambitu venarum, vt Galenus de dolore capitis. 3. sympt. Ergo cū sint hę duę causę, non mirum si patitur destillationes multas & catarrhum: & cū oculi sint imbecilli, expellitur materia ad oculos. Et videmus omnia consona rationi. Ex ventriculo sunt vapores crudi, ex caliditate hepatis vapores calidi: ergo materia mixta, quę habeat diuersas mineras. Concludo ergo caput non affectum per essentiam. Sed est repletum, dolet, grauitatē habet capitis. Dico hęc omnia esse per consensum. Itē plurimum dormit. Dico, hoc fit propter multitudinem vaporum ascendentium. Vnde ebrij qui aliās sunt vigiles, & omnino parum dormiūt, tamen tunc cū ebrij sunt multum dormiunt. Vnde credo, vt apparet ex toto habitu & operibus optimis, quòd fit in se calidi & sicci cerebri, & quòd non sit deductum ad aliquam intemperiem: sed est quidem affusio materię refrigerantis, sed nō in essentiā est mutatum cerebrū. Ergo credo quòd fit propter materiā pituitosam & biliosam, & quòd deueniat à capite, sed non generetur ibi, sed à toto ambitu corporis.

His suppositis de cura dicendum. Potest ne curari? Duo sunt hic: primò macula, secundò obscuritas visus: & si tollatur materia, ille spiritus remanebit in propria substantia. Tamen cū spiritus sit nobilissimę naturę & oculus, facilè accipiunt nocementū: & quòd hęc affectiones perseuerantes non bene curantur: & Auic. dicit, post sex annos non esse curabiles.

les. Ego credo quòd cura erit satis difficilis, sed præseruandus tamen est. Si illa macula est ex vlcere, non potest curari. Si à re quadã dura, vt diximus, & nec tunc etiam. Nam si res illæ duræ, & tophi in cute vix possunt curari, quid fiet in membro tam nobili? Ergo hæc cura impossibilis. Sed quia petit præseruationem, & curationem etiam, si fieri potest, natura rei indicat nobis quomodo sit curanda. Quia repletur perpetuò caput ex causis inferioribus, ergo materia primò est auertenda. Si materia est aggregata, euacuanda erit: quæ continuè ascendit, erit auertenda: & quæ generat, prohibenda ne generet: quo ad partem generatã euacuet. Ergo euacuandũ corpus. Nò toletat fortia. Ergo faciamus vt baiuli, vt Gal. z. de caus. pulsũ, portant pluribus vicibus quod alius fortis quidam portaret vna vice. Ita & nos sæpius & leniter purgemus, vt cum hiera, cum pilulis mastichinis, quas dicit se ferre posse, propter agaricum, quia in capite est materia: euacuant etiã ventriculũ propter aloën. Item tolerare poterit pilulas de tribus, vt Rhabarbaro, agarico, & aloë, quia materia est in hepate, ventriculo, & capite. Ergo hæc pilulæ optimè conuenirent hepati propter Rhabarbarum: capiti, propter agaricum: & ventriculo, propter aloën. Exhibeantur syrupi qui non tamen attenuent materiã crassam, sed etiam quibus clarificentur spiritus: & ideo faceremus ex succo sceniculi, verbene, euphragiæ &c. Item betonicam possemus addere, & facerem ita syrupum magistralem, qui attenuaret materiam, & clarificaret spiritus. Et hi syrupi exhiberentur inter pharmacum primum & pharmacum alterum. Euacuato toto corpore, & diuersione etiã simul facta per ipsum pharmacum, tamen necessariæ etiam sunt postea continuæ diuersiones, & hæc fiant

per pilulas, licet Galenus damnet hunc continuum
 vsum pilularum, tamen non est inconueniens. Face-
 rem ego quidem cauteria, non in capite, quia attra-
 heretur materia: nec in brachijs, quia tunc etiam at-
 traherem ab inferioribus ad superiora: sed in tibijs
 facerem, scilicet in vtroq; crure. Et hæc puto suffice-
 re pro auersione, non pro deriuatione: hanc enim
 non intēdimus. Hæc cauteria teneant̄ aperta nō per
 menses, sed per annos. His factis nō puto caput mul-
 tum corroborandū esse: si tamen videtur quod sint
 faciendæ lotiones, ne recipiat materiā, possent fieri
 cum decocto ex rosa, pro confortatione, & chamomilla,
 & parū gummi sandarachæ diluti, & aliquid
 etiam agarici addi potest, vt fiat mundificatio capi-
 tis. His peractis ego nollem molestare virū: nō cum
 aqua balnei, quia sicci habitus, & calidi hepatis. A
 stillicidio abhorrerē vt à peste, propter intemperie
 illius capitis, & credo quod pessimè inde haberet si
 vteretur eo. Quo ad oculū, nō indigemus vna in-
 tentione. Nam non est verisimile, quod cū semper
 aliquid ascendat, q̄ non aliquid infideat. Ideo corro-
 boretur calor innatus oculi, vt concoquat̄ materia.
 Ideo cū Gal. nihil præponat scēnugræco, hoc enim
 concoquit sine attractione, & corroborat calorē, &
 distillare facit si ibi est aliquid crudi, ergo vterer fre-
 quentissimè decocto scēnugræci. Quo ad abster-
 sionem & mundificationē præcipuè illius pustulæ, ca-
 uerem tanquā à peste, à re mordicante. Tutia si re-
 ctè præpararetur, & veram haberemus, laudarē: sed
 quia nō rectè præparatur, & semper videmus quod
 quotiescunq; vtimur excitet dolorē, cū tamen ipsi
 antiqui dicant eam minimè esse mordacē, ideo omit-
 titur. Soleo ego parare albumen oui cum zuccharo
 candi ros. & ponere in solē in aliquo vase donec exic-
 cetur,

etur, & postea contūdere & cōterere in marmore,
& de hoc puluere inspergere oculū. Vel si volumus
facere collyriū, & diluere cū vsus postulat, cū mo-
dico decocti fœnugræci: hoc abstergit sine mordi-
catione, est enim mordicacissimū medicamentum.
Et cōfortat etiā hoc collyriū exiccando, ne recipiat
nouā impressiōnē. Et caueat à fortib. remedijs, præ-
dico enim ei, si multa remedia adhibuerit, q̄ efficiet
totus cæcus. Hoc eū admonitū volo, & credat mihi.

Consult. CXLIII. De Ophia-
si & Alopecia.



Larissimi atq; doctissimi viri, occurrit
nobis nobilissimus adolescētulus, cum
quibusdam dispositionibus præter natu-
ram, quæ apparent sensui. Duo sensu de-
prehendunt circa cutem, qui affectus cū sint con-
tigni, tamen videntur diuersi & contrarij. Primò est
priuatio omnimoda capillorū: quæ siue sit alopecia,
siue ophiasis, siue caluitium, nunc non dicam, sed in-
frā. Secundò est tumor quidam præter naturā, cum
crustis & pustulis apparentibus. Est ibi raritas, &
ideo etiam priuatio capillorū. Primò vident esse af-
fectiones contrariæ. Defectus pilorū solet esse ex ni-
mia siccitate. Crusta et ἀχάρες proueniūt illi ex depra-
uatione humorū. Causæ igit horū considerandę. Pri-
mò quo ad priuationē pilorū, dico hęc nullo modo
esse posse ex siccitate, sed ex redundātia aliqua mali
humoris: & ab eadē causā prouenire has affectiones,
scilicet à deprauatis humorib. Nam pilorū conueni-
ens materia, teste Gal. & melius Arist. 2. de gen. ani-
mal. prouenit ex humore adusto cum quadā pingue-
dine, & substātia aërea: vbi talis materia deficit, defi-
cit etiā materia pro pilis. Hęc illa materia nō est talis

qualis esse debebat, sed corrupta & deprauata. Eodē loco dicit Aristot. quòd pili sunt passio cutis, & requiritur etiam ad generationem pilorum temperamentum cutis: & ex superfluitatibus cutis tantummodo generantur pili, & non ex alia superfluitate: vnde secūdum cutim affectā afficiunt pili. Ergo talis materia est propter duo: primò, quia ista materia nō est idonea ad pilos generandos, sed corrupta. eundē, propter locum non bonum, quia temperies cutis est valde humida, quæ non potest producere pilos. Nam & nimia humiditas & nimia siccitas prohibent generationem pilorum. Fortassis contraria etiam quædam affectio est in ipsiſ meatibus, nam & horum ratione sæpe non nascuntur pili: sed hoc nō est manifestum, dicamus tantū de ijs quæ apparent. Ergo hæctenus habemus intemperiem cutis, & materiam malam, ratione quorū videntur duo contraria fieri. Primò, priuatio pilorum in parte commissuræ coronalis, vbi plurimæ sunt transpirationes vaporum. Euaporato plurimo humido propter amplitudinem meatuum in illa parte capitis, non potest materia aggregari. Gal. probat vapores diuersos effectus facere pro crassitie & materiæ & meatuum. Nam si possunt transpirare, nihil mali aut incommodi inde euenit in cute. Sed si vel propter crassitiem vel densitatem meatuū cutis nō possunt transpirare, fit vel pruritus, vel scabies, vel *αχρόψις*. Ergo in illa parte futuræ coronalis vbi meatus sunt aperti, non potest illa materia detineri, sed transpirari, & nihil aliud incōmodi facit quàm priuationem pilorum: non tamen alopeciam facit, quia nulla ibi abrasio est cutis. Ophiasis est cum decorticatione cuticulæ, quia fit propter humores deprauatos. Alopecia etiam ex siccitate. Hic videmus in hoc puero, vbi

vbi deficiunt pili, esse asperitatē: ergo est ab eadem
 causa, à qua fiunt crustæ. Nam vbi cranium est cras-
 sius & densius, ibi materia non potest transpirare,
 sed fiunt crustæ. Ideo circa posteriorem partem ca-
 pitis apparent illæ pustulæ, & videtur esse dispositio
 quædam proxima ad *acropas* & tineam. Ergo hæ duæ
 affectiones licet secundum sensum videantur diuer-
 sæ, tamen ab eadem esse causa videtis, scilicet humo-
 ribus deprauatis & intemperie cutis, quæ in hoc
 puero est maxima. Sed vtrum illi humores depraua-
 ti ibi generentur, vel aliunde deueniant, inquiren-
 dum. Dico, vtrunq; potest contingere: potest enim
 aliquando fieri, q̄ nihil patiente cute, tamen mate-
 ria ad illam demandetur. Sed in hoc puero video ip-
 sum optimè esse dispositum quo ad habitum corpo-
 ris, calorem, & omnes operationes: vnde non video
 vnde debeant multiplicari humores tam depraua-
 ti. Nam si humores aliunde demandarentur, & in
 membris naturalibus, vt hepate, splene, ventriculo
 &c. esset quædam mala dispositio, tunc circa cutem
 apparerent maiora symptomata: & nihil est quod
 magis attestetur dispositioni hepatis & lienis quàm
 color, quem in hoc puero videmus esse optimum,
 clarum & lucidum, propter spiritus bonos & luci-
 dos quos habet. Vnde non video, vnde possit deri-
 uari humor ad cutem ex alijs partibus. Ergo dicen-
 dum quòd membrum intemperie laborat: & tunc
 contingunt duo. Primum, quòd alimentū etiam bo-
 num transmissum ad cutem corrumpitur, quia mem-
 brum est distemperatum, & calor eius proprius de-
 bilitatus, & humidum radicale consumptū, & ideo
 non potest pars illa exercere suas actiones natura-
 les, vt expellere, concoquere, attrahere &c. quæ sunt
 propriæ cuiunq; membro. Secundò contingit pro

pter hoc, quòd scilicet sunt aliqua excrementa in vicinis partibus, quæ necessariò generantur in corpore humano etiam optimè disposito in omnibus quatuor coctionibus: & hæc semper expelluntur ad partes debiliores. Ergo duo patiuntur incòmoda hic puer, propter intemperiem cutis. Primò, quòd alimentum deueniens ad cutim non potest confici: secundò, quòd partes vicinæ pellunt sua excrementa ad cutim tanquam partem debiliorẽ, vt solet in corpore humano contingere. Ergo in ipsa cute est affectus, & est intèperies cum materia. Non dixi quòd ipse principio contigerit intemperies sine materia, sed quòd ex defluxu illius humoris elisus est calor proprius illius partis, propterea humidum radicale semicorruptum. Ergo habemus intemperiem propter humores, vnde & habemus quare loco pilorum generentur crustæ. Quid modò fuit in causa, quòd ad cutim magis transmissa est materia, quàm ad alias partes? Audio nutricem fuisse infectam, & generauisse pessimum lac, vel propter intemperiem aliquã naturalem, vel aliàs propter malum regimen, vt solent istæ: vnde incidit iste puer in febrem longam, quam habuit vsq; ad annum quartum. In ea ætate pueri solent habere maximã debilitatem capitis, vnde etiam non possunt se bene erigere illo tempore, propter nimiam humiditatem, & etiam caput tunc temporis videtur illis esse maius. Vnde plurimæ ægritudines capitis tunc temporis illis accidunt, vt sunt epilepsia &c. Et quia membrum imbecillum, natura defatigata longa ægritudine, fecit crism circa quartum annum: nam quartus annus est criticus morborum chronicorum. Et sic materia transmissa ad caput. Non tamen adeò fuit imbecillum caput, vt materia reciperetur ad cerebrũ, sed natura istius pueri

pueri existens fortis & valida, expulit ad cutim partem ignobiliorem, & ubi semel incœpit occupare cutim, mansit ibi & imbibita est: & sic subsecuta est ophiasis in vna parte, & crustæ in altera parte, vt videtis. Habemus ergo causas propinquas & remotas huius affectus, & non cōtingit ratione alicuius membri principalis, vt solet plerunq; accidere in his fluxibus. Quibus ita suppositis, apparet statim quid possim iudicare de euentu huius ægritudinis. Credo quòd possit curari. Aegritudo est tantū in parte, & non habet radicem, nec in cerebro, nec in partibus naturalibus, quamuis possit quidem cerebro communicari nocumentum aliquod propter vicinitatem, sed tamen non insigne: quoniam illud membrum est sanum, cuius operationes sunt sanæ. Sed in hoc puero operationes cerebri sunt sanæ, vt apparet, ergo & cerebrum non est affectum. Sed tamen non facilè poterit curari, quia intemperies illa est fixa & confirmata, & habitus iam factus, qui est difficilè remouibilis à subiecto in quo est, vt & logici dicunt: durauit à quarto anno usque ad xiiij. Sunt ergo decem anni: sed tamen potest curari. Natura rei indicat nobis curationem conuenientem. Nos scimus, quòd vbicunq; est aliquid præter naturā in loco, medicus debet attendere an hoc pendeat ab alio, an non. Si ab alio, illud erit curandum: sin minime, accedendum ad locū. In hoc puero nullū membrum est deprauatum, & ideo non credo esse opus curatione membrorum mandantium. Et ita tollimus totam illam historiam. Ideo credo quòd non multum debemus laborare circa euacuationem. Bene verum est quòd tutius & sine dispēdio erit, quòd totum corpus antea euacuetur, sed non multis euacuationibus, quia corpus est bene præparatū. Ergo

euacuetur aliquo modo, & præcipuè cum simus in vere, in quo etiam sana corpora purgari solent. Leniatur ergo venter cum cassia & hiera. Infrigidetur corpus, & ideo syrups sint non admodum eleuati in caliditate, nec ita incisui. Nam illi humores sunt falsi, quod testantur crustæ, quæ non fiunt nisi ab humoribus calidis & adustis. Ideo autem non nego esse pituitam etiam, sed tamen dico quod etiam adustos humores habet, præcipuè cum sit calidi hepatitis, vt apparet, & temperatura declinet ad calidum & siccum, & fortasse nutrix generauit in illo humores calidos, & solent bibere vina calida, & fortasse etiam habuit malos & corruptos humores: & vtinam sciremus etiam aliquid de hoc, Deus nouit. Ergo darem ergo syrupum de Cichorea, vel de endiuia. Vel ita facere: darem syrupum de cichorea, & loco aquarum, serum lactis caprini darem: hæc facerent apertionem, abstersionem, & etiam infrigidarent: & credo hoc genus syrupsorū esse optimum pro hoc puero. Pro pharmaco darem agaricū cum cassia, quod est medicamentum conuenientissimum, & potest educere omnes humores. Factis euacuationib. omnis spes mea (vt ingenuè dicam) esset circa localia, & rectificarem intemperiem cutis. Calor est elusus & suffocatus, & tollendi sunt humores prauis. Primò igitur amouendi humores qui sunt in ipsa cute, scilicet exiccantibus. Secundò confortarem cutim, ne amplius reciperet vel excrementa membrorum, & conficeret propriū suū alimentū. Confortatur autē calor cū moderatè calefacientib. Remoueanť humores illi mali abstersgentib. & exiccantib. Chirurgus fricet locum vel cum pannis asperis, vel cum squilla: sed cum pannis asperis condensantur meatus: frictio cum squilla est mitior, & maximè conferret. Et
postea

postea fiant lotiones quæ subtilius penetrant, & magis in profundum. Adderem & sulphur, sed cum lixivio acri, in quo esset nitrum & sulphur: in principio enim non est statim utendū astringentibus. Postea facerem etiam linimenta abstergentia, ut est oleum amygdal. amararū, cum iride, centauryo minori & maiori, & Gentiana, pane porcino, itē clematide altera, & aristolochia rotunda. Factis absterfionibus, leniter exiccandum & confortandū, & tunc deuenire possumus ad illa quæ recipiunt alumen, & etiam calchantum, si opus esset maiore exiccatione. Factis mundificationibus credo quòd pili per se generabuntur. Sed si non oriantur, confortare locum, & nihil magis expediens ad hanc rem quàm linimentum factum ex oleo amygdal. dulcium, ladano, & capsulis Veneris puluerifatis, & ponatur super locum: nam plurimum facit ad pilorum generationē, & ad tollendum quicquid est circa radices pilorū. Oleū amygd. dulcium humectat cutem, si fortē ex medicamentis superioribus nimis exiccata esset. Et hæc sunt mutanda prout videbitur, & affectio mutabitur. Victus sit exquisitus, quia hic maximam partem curæ sibi vendicat. Sic puto emendari posse, Deo volente, hoc vitium.

Consult. CXLIII. De morbo Gallico, podagra & hectica, unà cum pruritu maximo.



Multa sunt symptomata in hoc nobilissimo viro, tria tamen sunt præcipua, quæ veniunt consideranda, & de his etiam maximè conqueritur: ideo de his dicā, reliquis prætermisissis: tamen ea etiam ut signa quædam & causas referam. Prima dispositio præter na

turam sunt dolores podagrici, & tumores circa partes extremas pedum & manuum. Secunda, consumptio totius corporis. Tertia, pruritus vehementissimus, & maximè circa extremas partes & pudenda. Et quia nullus morbus nec cognosci nec curari rectè potest nisi ex cognitione suarum causarum, ideo singularum naturam & causas videbimus. Primò dolor & tumores necessariò proueniunt ab aliquo defluxu materiæ, & sic habent omnino causam aliquam materiale: & in hoc semper quatuor concurrunt. Primum, locus qui patitur. Vbi considerandum, an patiat per se, an per consensum. Secundum, materia quæ defluit. Tertium, vnde deueniat. Quartum, per quas vias. In dolore podagrìco si hæc quatuor rectè considerentur, medicus poterit & rectè prognosticari, & rectè etiam curare. Primò quo ad locum, an hic defluxus & dolor sit ratione loci affecti? Dico, quòd locus ipse principaliter afficitur, sunt enim ibi omnia præter naturam: nam corrupta est figura membrorù & forma, & destructa est quãtitas, nam tumor est insignis: itè est solutio cõtinui in illis partibus, & ista omnia procedût à mala tẽperatura, cui insint tot malè compositiones. Ergo hæc loca cùm sint extra naturalem suam dispositionem, sunt affecta, & sic nec attractio, nec cõcoctio, nec vlla virtutum naturalium fortis est. Item est impedimentũ in virtute motiua, & sic secundum omnẽ modũ, compositionem & temperaturã, patiunt illa membra. Et video quòd quamuis ad illa loca nihil affluat aut de mandetur, tamen non esse sana, sed corrumpetur etiam nutrimentũ influens optimũ. Secundo, perpetuò influit materia, vnde dolor semper renouat per x v. dies, ex accessu scilicet nouæ materiæ: & hæc materia inquirèda est. Et plerunq; quelibet materia podagra

dagrę est duplex, pituitosa & biliosa, cum aliqua parte sanguinis. Vnde videmus podagricos primò rubescere, deinde autem tophos illos & materiam fieri albam. Ergo supponatur nunc talis materia, & infra etiam probabo. Et intelligo bilem tum eam quę est ex permissione pituitę, & etiam vitellinã quę ex aduisione. Tertiò, vnde deueniat ista materia quę influit. Ex habitu corporis, & propria eius temperatura, & etiam ratione viuendi hoc colligi potest. Primò est calidi & sicci hepatis, & talis natura duo solet maximè pati: primò, quòd in ventriculo generantur plurima excrementa pituitosa: cum enim habeat graciles musculos abdominis, & inde priuatur instrumento calefaciente ventriculum, & sic plurimę pituitosę superfluitates generantur propter imbecillitatē ventriculi, & coctio ventriculi fit elixatione, id est, humido calore, non sicco, & præternaturali. Et conquerit ipse quòd habeat tarditatem concoctionis, & cum sit concoctio diminuta, erit ex frigidityte. Quo ad hepar, est calidum, & hoc clarum ex pruritu & habitu corporis, & vsus est multis exercitijs & nimis potentibus, & vixit in otio, vnde aggregati multi humores, qui non potuerant dissolui tuo consueto exercitio: præterea medici malè eum curarunt, mittendo in tempore calidissimo ad thermas. Et licet bibat aquas de Villa, quę sunt frigidę, tamen Gal. dicit q̄ omnes thermę exiccāt, licet sint frigidę. Item totum cerebrum est deductum ad dyscrasiam ex illo stillicidio, vt Gal. 6. de tuen. valet. describit incómoda illa quę sequuntur ex intempestiuo vsu illorū, quę videmus etiã hęc, vt Gal. in eo loco descripsit, scilicet maxima destillatio, & fluxus diarrhicus. Hęc destillatio per neruos defluens, facit dolores, hepar generat biliosos humores, ventri

culus frigidior pituitam, & cerebrum etiam catar-
 rhum facit, cuius calor consumptus est ex illis em-
 brochis: & licet habuerit naturalem temperiem ce-
 rebri calidam, vt apparet ex facie mercuriali &c. ta-
 men ex consumptione huius caloris naturalis est fa-
 ctum frigidum, & facta quædam dispositio senilis,
 vt rectè dixit Excell. D. Quartò, per quas vias deue-
 niat iste fluxus. Dico quòd habet omnes vias, & ve-
 nas & arterias latas, quia cor est calidū, est enim ani-
 mosus. Et est adhuc signū manifestissimū, quia scili-
 cet excernit plurimū de vrina, etiāsi modicè bibat,
 adeò vt mirum sit, & vix viderim in aliquo tantum
 vrinæ. Et hoc fit propter duo: primò, propter latitu-
 dinem viarum, & aliam causam quam mox dicam.
 Ergo cū concurrunt hæc quatuor, necessarium est
 talem materiam defluere ad locum. Quo ad ta-
 bem & consumptionem corporis, vnde fit. Ego di-
 cam opinionem meam. Quia cū sit consumptio
 maxima, & non tantum humidum nutrimentale, sed
 etiam substantificum consumatur, necesse est quòd
 vel aliquid sit in membro, vt est vel caliditas in si-
 gnis, vel frigiditas & siccitas &c. & sic potest acci-
 dere corruptio: licet nutrimentum adueniens sit bo-
 num, & sic membra sunt imbecilla, vt non attrahant
 nutrimentum, & ita fiat atrophia. Vel ista consum-
 ptio potius est propter malum nutrimentum & cor-
 ruptum, demissum ad membra. Dico quòd in hoc
 corpore & ægritudine, in causâ illius consumptio-
 nis sunt deprauati humores, quia in hepate sunt cali-
 diores, in ventriculo falsi: & causæ fuerunt plurimæ.
 Primò caliditas hepatis: secundò morbus Gallicus,
 in quo quæcunque sit intemperies, semper humo-
 res sunt adusti. Et signū est, quia præterquàm quòd
 maciem & dolorem, habent etiam deprauatissimum
 colo-

colorem: & talis est color, qualis humor. 4. de tuen-
 valet. Ergo cum vir ille patiatur morbum Gallicum,
 & adfit caliditas hepatis, vnde deprauati humores
 generantur, & generati etiam sunt iandiu, hæc etiã
 causa est pruritus. Sed etiam credo quòd illa mem-
 bra calida & sicca, sint reddita calidiora & sicciora
 seipsis, & quòd postea sint facta frigida & sicca, vt
 Galenus, tum ex progressu ætatis, tum ex illis exer-
 citijs, venere, thermis &c. Et sic quia extrema mem-
 bra etiam sunt affecta, ideo duo concurrunt: primũ,
 deprauatum alimentum: secundum, membra quę nõ
 recipiunt suum alimentum. Et quod maximè alimen-
 tum corruptum sit in causa huius exiccationis, ha-
 beo signum hoc: quia illa membra quę sunt prope
 ventriculum & ventrem inferiorem, non sunt ita ex-
 iccata, quia illa membra exaturant ex meliore parte
 alimenti, & ideo illa mēbra naturalia nõ sunt ita affe-
 cta, vt membra remotiora. Et hinc sequitur, quòd
 non sit illa tabes ex corde. Hoc probo ex tribus: pri-
 mò, quia pulsus non est ita durus: secundò, membra
 circa ventrem inferiõrẽ non sunt ita affecta: tertio,
 in arterijs non est magna imbecillitas. Et cum Gal-
 dicat secundo de causis pulsuum, quòd in tabe cor-
 dis necessariò cadit virtus: ergo non credo quòd sit
 hæc tabes ex corde exiccato, sed propter duas cau-
 sas iam dictas. Quo ad tertium, pruritus habet fa-
 cilem causam, & agnitionem causæ. Nam stantibus,
 maxima deprauatione humorum, & hepate calido,
 & cerebro & ventriculo tali, vt generent plurimum
 pituitæ, quid mirum? Nam pituita si aduratur, fit sal-
 sa, & potest etiam ex putredine fieri ista pituita sal-
 sa. Duæ enim hæ sunt causæ putredinis pituitæ. Er-
 go cum hîc sit caliditas ignea, & pituita facîle putre-
 scat, fit scabies: & secundum maiorem & minorem

adustionē, sunt illæ affectiones cutis. Et hinc etiã senes facilius patiuntur pituitam, & immedicabiliem, quia in senibus sunt plurimi humores falsi & adusti. Habemus igitur causas horũ triũ symptomatũ. His ita se habentib. vnum dicã circa prognosticũ. Quo ad podagrã confirmatã non video curationē. Quantum ad humorē affluentē, si possemus corrigere mēbra mandantia, possemus etiam prohibere affluxum horum humorũ. Quo ad euacuationem idem dicendum, quia pendet ab eadem causa: & si possemus emendare illa tria membra, fortasse iuuare possemus. Quo ad euacuationem, vtrum debeamus procedere cum balneis? Et non immeritò facta est difficultas & dubitatio inter Excell. Doctores. Quia si possemus nutrire corpus, & augere humidum in hoc corpore, ego crederē quòd reliqua etiã faciliora essent. Quæ via ergo melior? Propositus est & vsus lactis, & apertio meatuũ &c. Sed quoniam illa humectatio fieri nõ potest, nisi fiat attractio nutrimenti ad membra, & oportet vt penetret, & vt calor membri qui est elixans augeatur, ideo debet augeri calor membrorũ, & corroborari, ne tamen fiant membra ita laxa, vt non possint humiditatem concoquere & dilatare. Et ideo Galenus optimè voluit fieri balneum, licet balneum diffilare faciat. Ideo etiam voluit quòd subito post balneum debemus vel irrorare corpus aqua frigida, vel inungere oleo quodam constipante, vt alimentũ retineatur. Et sic ego non video quomodo ista balnea possint impedire operatiões nostras: primò, quia corroborant membra, & attrahunt alimentum, & colliquant excrementa, & sic fortasse iuuabunt etiam podagricos dolores, quia illa membra non nutriuntur, sed habent excrementa pluri- ma cruda. Et non semper ista balnea faciunt deflue-
re hu-

re humores, si non sint humores multi: & quamuis aliquid defluat, potius erit ad bonum. Et sicut Gal. de oxymelite dicit, idem etiam de hoc auxilio dicere possumus, nullum præsidium tam bonum esse, quin habeat aliquod nocumentum. Nolite ergo ita abhorre ab his balneis. Et sic post balneum applicare oleum rosaceum simplex, quod confortat, & prohibet ne corpus resoluator laxatum per balneum. Sunt etiam aperiendi meatus intrinseci, non extrinseci. De lacte mihi summopere placeret post euacuationem, sed non mulieris, licet hoc sit conuenientissimum ad alendum, propter salacitatem, quia est salacissimum. Syrupum darem ex fero caprino, & imponerem oxymel, & mel ros. pro corroborando ventriculo. Rasis dat v. heminas oxymellis. Cassiam laudarem cum syrupo ros. Dari posset lignum, & aqua ligni: sed lignum non sit exiccatum. Primum euacuetur, postea detur lac, & corroboretur calor innatus.

Consult. c x l v. De vtriusque
cruris contractione.

Longa est historia rei, sed summa fastigia rei sequar. Vnum est summum & præcipuum quod habet hæc nobilissima Domina, & hoc considerabimus diligenter, & reliqua omnia sibi inuicem succedent ex hoc rectè considerato. Primum est, quod habet contractionem in utroque crure, quod non possunt se extendere. Item habet imbecillitatem, quod non potest se sustinere, & manere in illo situ. Et ita sunt hæc duo, imbecillitas, & illa contractio. Accedit tertium, & est diminutio sensus circa crura: & dicit, quod si quis tangit illam in crure, videt sibi quod tangat rem alienam, & non suam carnem. Hæc tria sunt consideranda, secundum suas formas et causas. Quo ad contractionem, queritur in quo genere morbi sit collocan-

da. Habet quidem hæc contractio complexionē corruptā, sed principaliter affectio est in compositione, & vitiosa est præcipuè figura scilicet ipsius nervi: cum enim debeat esse longus, est decurtatus, & ita amisit propriā formam. Et cum in longitudine corrupta sint vitia quæ ad quantitatem pertinent, & etiam ad figuram, cum est correpta & abbreviata chorda, ita quod nihil est amissum de substantia, nõ possumus dicere quod sit vitium in quantitate, sed in figura, quia nervus est decurtatus. Secundò, imbecillitas sensus est actio læsa. Huius autem symptomatis causam, id est, morbū oportet inquirere. Huius actionis læsæ ratio formalis est ipsa frigiditas, quia sensus est diminutus: diminutio autē fit à frigido, corruptio autē à calido. Tertiò, imbecillitas virtutis sustētatiuæ, quæadmodū est naturale officiū in ambulando, est etiam actio læsa, & habet suam ægritudinem. Reducenda igitur ad idem, scilicet ad frigiditatem, secundum principium supra dictum, quod omnes actiones diminuuntur à frigido. Ergo illa frigiditas facit, quod virtus illa motiva & sensitiva non potest deuenire ad locum, siue spiritus siue virtus transmittitur, de quo nunc non disputabimus. Ergo hæc sunt essentiæ & causæ formales huius morbi. Nunc videndæ causæ & coniunctæ seu propinquæ, & remotæ horum morborum, & tunc statim apparebunt indicationes curatiuæ: hæc enim sumuntur à natura rei rectè agnita & percepta per suas causas. Causam propinquam contractionis crediderim ego, quod sit aliqua materia frigida, quæ per longum tempus in loco frigido crassifacta est & indurata, vt & hoc manè diximus, quia materia illa secundum diuersitatem locorum & efficientium variè afficit. Nam quando hæc materia deuenit ad medium musculi, facit absces-

abscessus: si ad caput musculi, facit conuulsionē seu spasmus: quando autem deuenit ad chordas vltra musculum, non facit acutum dolorem, nec conuulsionē, & motus illos spasmosos, quia sensus in chorda non est ita acutus: sunt enim chordæ ordinatæ à natura, ad motus fortissimos obeundos, ideo habēt ligamenta plurima, & habent etiam chordæ neruos obtusioris sensus. Et hinc nerui ad motum conditi, sunt magis frigidi, & duriores quàm nerui sensitiui, qui magis ad medium declinant. Et ideo materiæ deuenientes ad chordas, faciunt quidem depravatā figuram, sed non motus conuulsiuos, & sic fit quasi quidam abscessus in chordis. Nam primò imbibitur materia pituitosa, quæ in principio est subtilis, sed propter frigiditatem loci congelatur: si enim materia in intestinis existens ita congelatur vt fiat quasi tophus & crystallus, quantò magis in chordis tam frigidis poterit talis materia indurari & congelari? Nam illa induratio & cōgelatio tam à frigido quàm à calido fieri potest, vt sæpe iam dictum est, & hoc obseruasse multum refert ad curationem. Materia ergo illa ad chordas veniens fuit indurata & congelata, & inde chordæ illæ sunt factæ breuiiores, sicut & in citharis chordæ cùm imbibuntur aliquo humido, corripuntur, & etiam franguntur. Ita fit & chordis in humano corpore. Cùm ergo chordæ corripuntur, contrahunt membrum, quia chordæ terminantur ad ipsa ossa, vt illa moueant, & sic etiam fit contractio ossis ad suum principium, quia chordæ intrinsecæ ab illo humore imbibito sunt factæ breuiiores. Hæc est causa proxima & coniuncta illius cōtractionis sustentatiuæ. Proxima autem causa imbecillitatis illius sensus, & virtutis sensitiuæ, est eadem illa materia frigida. Nam Galen. 5. loc. aff. teste,

cum materia illa deuenit ad neruos cutaneos, impeditur sensus, & non motus: & contra euenit cum opposito modo contingit. Hęc autem materia propter suam multitudinem non solum in chordis est, sed etiam deuenit ad neruos deferentes cuti sensum, & inde virtus sensitiua debilitatur ab eadē causā frigida & humida, secundū diuersas partes. Et hoc quantum ad causas formales & materiales proximas. Sed quę sunt causę remotę, quę fouent has causas propinquas? Et hic est ingens chorus, & vident omnia mēbra conspirasse in pernitię huius mulieris. Audiui quod hęc mulier, antequam tradere marito, fuit sanissima & boni habitus, & nullā planē habuit egritudinem aut lęsionē, nisi quod in brachio aliquando habuit abscessus, qui per se euauerūt: vnde ego potius iudicauerim eius sanitatē, & bonā corporis constitutionē, quā aliquā infirmitatē, quia abundauit plurimo sanguine, nam expulit superfluū: & hoc patet ex eo, quia facile materia illa resoluebatur: ideo non fuisse materiā illam malignā, sed laudabilē, aliās non tam statim recessisset talis abscessus. Nullū itaque membrum in ea fuit lęsum, quia nulla operatio fuit læsa, sed optimē exercere potuit omnes. Et ideo non possum dicere, nec cerebrū, nec ventriculū, nec ullū aliud membrū in ea affectū fuisse. Postea autē tradita viro secundū omnē dimēsiōē magno & robusto, & fuit puella xij. annorum, quę adhuc crescebat (Arist. voluit puellas nō debere nubere ante xvij. annum, & adolescētes ante xxvij.) Cum ergo in illa etate crescente emiserit semen, cum ipsa adhuc indigeret illo semine ad propriū nutrimentū, & fuit coacta illud quod sibi erat necessariū, excernere, & etiā cocepit, vnde est infrigidatū corpus, quia fœtus attraxit sanguinē pro sui nutritione, & etiam post abortum

tum nō est bene purgata: nō ergo mirū si vterus affectus est, & totū corpus exinanitū. Et video illam habere membra parua, quasi non peruenire potuerit ad perfectam magnitudinem. hinc igitur maximè vterus est affectus, & hinc habet fluxum menstruorum alborum, & varias etiam post abortum habuit ægri tudines. Vtero autem consentire & ventriculum & cerebrum, notum est Excell. vestris. Nam & œsophagus, & os ventriculi, & cor, conuelluntur & afficiuntur propter vterum: nam vterus consentit cordi, & propter multas arterias, & etiam mediante ore ventriculi. Et sic credo ego quòd principalis affectio est vteri vitium, quia vterus primò læsus est, antequàm alia membra afficerētur, vt suprà dictum est, & maximè cū in febre secaretur ei vena, & punctus est neruus, vnde secutus est spasmus, & conuulsio in brachio: & conuulsio quidem curata est, sed neruus non est curatus, permanfit enim imbecillitas illius nerui, ita quòd adhuc in omni plenilunio & nouilunio (quia tum luna dominat humoribus, & in his temporibus maximæ fiunt mutationes) fit illa contractio, ex motione scilicet humorum, quæ fit in his temporibus ad illum locum debilem. Et hic diligentissimè erit vnum attendendum: num etiam sensus interior labefactetur. Et audio tum ex fratre eius, tum ex alijs, quòd circa finem conuulsionis accidit ei abalienatio & deperditio sensus: id quod ego diligenter noto, & est etiam notandum: & dico hic nullo pacto posse esse epilepsiam, quia epilepsia est spasmus vniuersalis corporis, & ita differt à spasmo, quia est motus vniuersalis, & facit vniuersalem contractionem, & non in aliqua parte: sicut & apoplexia est in toto, paralysis in parte: proportionantur enim sibi hæc. Ergo cū hic sit

contractio tantū vnus membri, scilicet brachij, et
 non totius corporis, et in epilepsia in principio a-
 mittitur sensus, in fine autem redit sensus, propter
 obstructionem quæ pedetentim resoluitur: in hoc
 autem casu in fine fit deperditio sensus, ergo dico
 quòd non potest esse epilepsia. Et ego sæpe vidi, &
 puto etiam vos hoc obseruasse, quòd omnes qui pa-
 tiebantur spasmos ex vulneribus, quòd delirabant
 in fine, & amittunt sensum cerebri, propter magnū
 consensum illius membri cum cerebro. Fit autem
 hæc deperditio sensus in fine, quia deterrent, & fit
 aliqua resolutio spirituum, & sic amittitur sensus in
 fine. Si esset epilepsia, magis deberet fieri in princi-
 pio, quia tunc obstructio maior: ergo credo quòd
 sit mera contractio & conuulsio. Sūnt ne aliæ cau-
 sæ & remotæ illius contractionis in cruribus etiam?
 Dico quòd est & cerebrum & ventriculus, & sic to-
 tum corpus refrigeratum, vnde pituita in ventricu-
 lo multiplicatur propter frigiditatem. Item cerebrū
 generat pituitam & catarrhum propter frigiditatē.
 Et quia antea fuit calidum & siccum cerebrum, nūc
 autem frigidū & siccum est, & ideo parum dormit:
 & diximus sæpe, quòd cerebrū frigidum & siccum
 facit maximè catarrhos, si quid aliud. Et sic videtis
 quemadmodum omnia membra naturalia conspirāt
 in hoc, & facta est non solūm mala complexio hęc,
 sed etiam cōpositio vitiata: nam est ibi tumor & ten-
 sio circa hypochondria, & sic non mirum fieri hæc
 symptomata. Et sic videtis quomodo ratione eorū
 quæ suprā proposuimus, omnia dicenda erāt, & cau-
 sæ propinquæ & remotæ. Nihil dicam de medicatio-
 nibus malis, quibus hæc mulier afflicta est. De pro-
 gnostico. Dico quòd difficilis erit cura. Hippoc. de
 morbis mulierum dicit, quòd menstrua alba ultra
sex

sex menses non curantur, quia totum corpus in his infrigidatur, & tabidæ fiunt, & nunquam habent sanguinem, & facies earum apparet semper plena quodam mucositate, & oculi sunt his concaui, & videntur habere quendam circulum nigrum, propter paucitatem spirituum & boni sanguinis. Item cerebrum & ventriculus sunt affecta. Et sic videtis in qua difficultate simus. Quo ad curam, intentio principalis est, ut possit seipsam erigere & ambulare: ideo illa contractio erit remouenda: sed hoc fieri non potest, nisi remoueantur materia & causæ propinquæ. Hæ autem non remouebuntur, nisi prius remota remoueantur, id est, mala complexio membrorum. Ergo sunt alteranda membra, & etiam totum. Hoc autem fieri non potest, nisi prius euacuetur totum. Et secundum resolutionem sequitur, quod ab illo incipiendum, quod vltimò inuentum est. Primò ergo euacuanda materia pituitosa, & prius incidat & abstergetur & præparet, ut cum syrupo ex aceto forti, & alijs incidentibus & calfacientibus, ut Byzantinus, quo miror cur medici nostri non utantur. Euacuatio potest fieri cum agarico, & alijs in quibus ingreditur agaricum, ut pilulæ cochineæ, aggregatiuæ, confectio Hamech, hiera Logadij, hiera Archigenis, prout est parata. Euacuato capite, si videbitis quod materia deueniat à capite, quamuis ego non quærerem multam euacuationem capitis, ne magis exiccarem caput, & sic maiores inducerem vigilias, igitur non multum laborarem circa caput, ut ingenuè fatear, & puto etiam caput non esse valde affectum. Et licet aliquæ destillationes desfluant per nares, tamen credo quod hoc potius fiat per consensum inferiorum partium, quàm quod sit ibi multa materia, & quod generet ibi multa materia ratione cerebri. Tandem tamen

gantur membra inferiora cum aquis Apponitanis, quia calefaciunt & exiccant. Item abluantur hoc balneo: & si timemus superfluum resolutionem, interdum apponatur aliquod molliens, ut adipēs, non cum diaquilon, quia sunt in eo quaedam gummata, quę nimis sunt fortia. Accipite oleum amygdal. dulcium, vel butyrū recens: hæc enim non sunt inueterata, ut de his possimus esse certi. Item laudo lutum magis quam foueas: quia quo materia est densior, eo magis influit & hæret magis: sicut etiam amara magis aperiunt quam aëria, tamen propter motū, aliās magis aëria aperirent, quia calidiora.

De dislocatione & contractione
sinistri curis.

Licet patiat in utroque crure, nihilominus quia sinistrum longè magis est affectum, & trahere videtur ad se totam curationem, ideo de eo prius agemus. Circa sinistrum crus videmus duo: primò contractionem neruorum & chordarum, secundò quandam dislocationem leuem fibulę circa partem exteriorē cruris. Difficultas circa fontem huius morbi est, qui indicat totam curationem, ideo natura morbi inquirenda, quia ab hoc pendet omnis indicatio agendi. Natura autem morbi cognoscitur per suas causas proximas, ut omnia: nam natura consistit in materia & forma uniuscuiusque rei. Videmus dislocationem & contractionem: queritur, utrum contractio proveniat à dislocatione, an contra dislocatio à contractione, vel an utrunque seorsum se habeat, ita ut nec dislocatio sit causa contractionis, & contra. Dico quod sentio. Credo non esse necessariam consequentiam, ut sit facta contractio ob hoc, quia os sit dislocatum: quia videmus sæpe ossa esse dislocata, & non esse contracta, sed habere situm membri in linea recta: & hoc
sæpissi-

sæpissimè videmus. Deinde videmus etiam sæpe fieri contractionè sine aliqua dislocatione ossis. Deniq; & hoc etiã sæpe videmus, membra scilicet quedam contrahi, in quibus nulla planè apparet dislocatio ossiũ. Ergo nõ videt sequi necessariò alterũ ad alterũ, sed sunt separata, & habent proprias causas: sunt tamen ita, q̃ facile alterum cõsequatur ad alterum. Quòd autem non fuerit facta dislocatio à contractione in hoc casu, videtur ex hoc, quia habuit brachium contractum, non tamen dislocatum fuit. Ideo cùm contractio fuerit in brachio sine dislocatione, credendũ quòd in crure etiam fuerit contractio facta sine dislocatione. Et si est dicendum, alterum esse causam alterius, potius dicerem contractionem causam esse dislocationis, quæ est in parte extrinseca. Et huius rei habeo coniecturam hanc: nam contractio incœpit in brachio eiusdè lateris, & dislocatio est in partibus exterioribus. Materiæ autem semper exteriorem partem occupant, cùm descendunt à superioribus ad inferiores musculos & chordas, vt etiam in sciatica videmus: nam in hac semper est dolor in exteriore parte, inde etiam dicitur vena sciatica illa quæ est in parte exteriore. Sed si fit descensus in interiorib. partibus, & interiora membra afficiuntur, semper decumbit nocumentum ad partem intrinsecã, vt in affectibus interni ventris semper partes interiores offenduntur. Et ita si alterum esset dicendũ esse causam alterius, tunc dico quòd potius cõtractio illa quæ facta est in chordis musculorum extrinsecis, remouerit os illud fibulæ à proprio suo situ. Cùm enim chordæ alligentur ossibus mediantibus ligamentis, quando retrahit chorda, si mul retrahitur etiam quod adhæret: si adhæret os & trahitur chorda, ergo & os trahitur ad eundem si-

tum. Et cum contractio fuerit in parte exteriori magis, & os quoque luxatum est in parte exteriori, dicerem ego contractionem causam fuisse, ut etiam facta fuerit dislocatio. Non tamen nego quod ex dislocatione ossis distorquentur omnia vasa, & fiat obliquatio nervorum, & sic per consequens aliqua contractio, sed tamen ea est exigua. Ista autem contractio quæ hic est, plurima sanè est & maxima, & non potest esse ex sola dislocatione ossis, quæ admodum exiguam facit contractionem. Et ex his concludo & credo, contractionem hanc non pendere ex dislocatione. Et sic habemus morbum. Causa. Contrahuntur musculi, quia aliquid est in capite musculorum, ubi maximus est sensus, & ideo fit acutissimus dolor à quacunq; vel inflammatione vel alteratione temperaturæ, siue exiccentur, siue humectentur nimium illi musculi, siue mordicentur: unde fiunt tres illæ species spasmi, quamvis Galenus non videat ponere nisi duas, tamen *8. natrâ rônous* tertium spasmum ponit ex mordicatione rei acris siue materia, quem vocant non proportionatum ad materiã. Fiunt igitur spasmi ex tribus istis causis: est enim vel materia cõtrahens caput musculi, & implens, & extendens, aut quia exiccet, aut quia mordicet à re mordete, ut à veneno &c. Non credo membrum cõtrahi ab aliquo istorum, & ideo potius dicerem quod hæc conuulsio quæ fit ab his tribus causis, facit quendam motum, estq; cum motu quodam præter voluntatẽ. Hic autem in hoc nostro casu nullus est motus, ergo non potest dici spasmus vel conuulsio, quæ est quidam motus depravatus, & à re præter naturam factus. Ergo quia non habet formam spasmi, non est dicendus spasmus hic affectus. Hic est contractio quædam, & sæpe contrahuntur membra sine spasmo, quando scilicet non in

capite musculi, sed in chordis est materia pituitosa, quæ abbreviat chordam, & indurat ibi materia, unde non possit extendi chorda, sed fit breuior, & tendit ad suum principium. Non autem est tantus dolor, quia chorda non est tam magnæ sensibilitatis ut neruus: plura enim habet ligamenta quàm neruus, & ideo non ita sentit ut caput musculi: & etiã, quia iam facta est intemperies, & est in habitu, ideo non fit amplius dolor, quia materia iam est quieta, & infixa, ac imbibita, ideo fit illa contractio sine motu & dolore: & cum chorda ita contrahitur, contrahitur etiam os, & non potest fieri linea recta. Et tales contractiones sæpe contingunt etiam in alijs partibus corporis, ut in collo: & plures vidi qui haberent tales contractiones per totum tempus vitæ suæ, sine omni dolore. Credo igitur quòd hæc contractio est facta in crure propter humorem frigidum pituitosum descendentem ad illam partem: & non est mirum, quia fuit & catarrhus primò ad partes gutturis, secundò descendit ad brachium, tertio ad crura, quia grauis est proprium descendere, & factus ibi tumor & contractio, qua nunc laborat. Successit dislocatio, siue à contractione chordarum extrinsecarum, siue habeat causam propriam: nam dum descendit materia, relaxat, & in iuncturis facit luxationes & lubricationes, & ligamenta etiam imbibuntur illo humore, & ipsa etiam relaxant, & hinc fit illa lubricatio. Cum enim antea ibi sit pituita tanta, quanta requiritur pro motu faciliter obeundo, si hæc pituita sit nimis multa, relaxant illæ iuncturæ, & maximè si succus crudus aduenerit. Vnde illi in quibus redundat pituita circa partes, ex sola lubricatione pedis, incidunt in dislocationes maximas. Ego noui nobilem matronam Venetijs, quæ ex solo casu in terram dislocavit ossa

genū & totum crus: est pituitosa & pinguis mulier,
 & redundans humiditatib. Et hæc est causa, materia
 est indurata, & congelata pituita in illis partib. Indu-
 ratur autem pituita vel propter frigus comprimens
 & congelans, vel propter caliditatē resoluentem &
 excoquentem. Ego magis credo materiam hinc indu-
 ratam esse propter frigus congelas, quia materia est
 in frigido loco, scilicet iuncturis & chordis, ideo
 materia est exiccata & indurata à frigido, & nō à ca-
 lido: & hoc præscire plurimū cōfert ad curationē.
 Et credo quōd hic vir habeat hūc morbū planē dis-
 proportionatū suæ materiæ & naturali temperamē-
 to: est carnosus, habet amplas venas, musculos robu-
 stos & magnos, & ita credo q̄ habeat insignē calidi-
 tatem hepatis, & sic nec ratione temperaturę, nec ra-
 tione vitæ, quia habuit plurima exercitia, potuit ag-
 gregare pituitā multā: vsus enim victu exiccante in
 nauī, vt pane bis cocto, vino fortissimo, quib. solent
 vtī in nauib. quia diutius durant, & sic potius gene-
 ratī humores adusti quā frigidi. In altero crure ha-
 bet vlcera, & hoc est proportionatū suę naturę & cō-
 plexioni, quia est color niger, & vlcus est subnigri-
 cans, habēs crustā exiccata, quia ex adustis humorib.
 Et hęc vlcera & intemperies occupauit partē dextrā
 seu crus dextrū, cū tamen si ab extrinsecis causis
 habuisset ortū hæc exulceratio, potius in parte fini-
 stra esse debebat: quia ibi erant cōpedes, & dolor at-
 trahēs, & membrū debilius. Sed quia mēbrū mandās
 est in parte dextra, scilicet hepar generans hos hu-
 mores adustos & acres, ideo est illa exulceratio fa-
 cta in crure dextro, propter sitū membri mādantis,
 & symbolum cum hepate. An possit curari? Vbi
 materia est indurata, & facta tanquam lapis, & ino-
 co frigido, scilicet iuncturis, difficilē resoluitur &
 non

non bene patitur emolliationem aut resolutionem. Locus est frigidus, profundus, materia inobedientissima, casus non facilis: credo tamen quod aliquid poterit inchoari. Sed cum quibus? Intentio principalis est, ut resoluatur illa materia in illis partibus, contenta, & alterare membra: & hæc esset vera curatio. Sed hoc non potest fieri, nisi alia primò fiant. Nam resolutio magis indurabit materiã, extrahendo omne illud quod est tenue & humidum: ideo primò erit materia illa humectanda cum calefacientibus. quia congelatio facta à frigido. Resolutio enim adhibita ante molliationem, magis petrificabit materiã, & fiet deinde tanquam lateres, qui nec à calido nec à frigido resoluntur. Ergo secunda surgit intentio, scilicet molliatio. Sed hæc duo non possunt fieri, nisi habeamus corpus mundum: nisi enim hoc fiat, plus demandabit ad partem læsam, quam resoluamus & mollicemus: resolutio enim plus attrahet, & molliatio plus præparabit, & ita plus affluet quam resoluatur. Sunt itaque quatuor intentiones in hoc casu, & quod ultimo inuentum est in resolutione, primum erit in executione. Primò ergo exquisitè euacuetur ab uniuerso corpore humor maximè peccans, pituitosus scilicet, quem humorem magis timeamus. Hoc autem non possumus, nisi præmissis concoquentibus. Querit, an conueniat syrupus acetosus, & alij confecti ex aceto? Videat enim quod non, quia acetum nocet neruis ex duplici causa, & quia mordicat, & propter complexionem suam, quia est frigidum. Dico quod acetosa illa non perueniunt ad locum affectum. Mesue dicit, quod syrupus acetosus facit penetrare medicinas ad ea loca, ad que aliàs non penetraret. Et Gal. 3. κατὰ γένν dicit, quod si nerui sunt vulnerati, & in profundo, quod tum cum alijs medicamentis admiscendum sit acetum, quia iuuabit penetrationem aliorum

medicamentorū: & dicit ibi Gal. quod acetum amitti in transitu vires suas acres, antequam accedat ad nervos. Dico igitur, si acetum amittit vires suas in tam paruo transitu, multò magis amittet vires si per os fumatur: longa enim est via per ventriculum, hepatis &c. antequam ad nervos perueniat, & sæpe mutatur & alteratur: & ideo possumus vti aceto in affectionibus nervorum, & syrupus acetosus optimè conuenit. Et vtinam syrupi nostri essent magis acetosi quàm sunt, sunt enim ferè dulces plus quàm acetosi. Cômiscerem mel ros. cum syrupo acetoso, qui conuenit & ventriculo, & impedit mel ne corrosionem faciat acetum. ℞. j. mellis ros. & ℞. j. acetosi syrupi cum decocto betonicae & Iuæ, propter nervos. Pro euacuatione darem agaricum, & in quibus ingreditur agaricum, vt pilulæ cochiae, aggregatiuæ, trahunt enim à iuncturis. Diaphœnicon non exhiberem, quia non est in eo nisi turbit & scāmonea, & in eo est nulla vis ad humorem pituitosum: nihil enim operatur turbit, nisi ei addatur scammonia, & tandem turbat. Ego aliquando volui facere periculum, & exhibui ipsius turbit etiam correcti cum zinzibere & sine zinzibere, ℞. iij. & etiam ℞. iij. in varijs corporibus, & nihil eduxit, sed tantum fecit conturbationes. Mesue dicit, turbit albi gummosi: vbi habemus hoc nostrum est siccum, & merum lignum, & abhorreo ab hoc. Pilulæ magis essent conuenientes. Darem agarici preparati ℞. ij. cum cassia: item cōfec. hamech. Et purget bis, ter, & sæpius, si opus fuerit.

Quo ad localia, primò est molliendum, quia materia est congelata à frigore, ut suprâ dictum est, nõ à calore, ideo potest recipere curam. Si à calido esset materia indurata & petrificata, non posset curari. Ergo primò molliatur materia, cum moderato calore colliquan-

liquante, & non resoluente: quod colliquatum est, oportet moderatè resolvere: & hæc per vices applicentur, excedatq; potius mollificatio ipsam resolutionem quàm contra: & hæc permisceant: magis tamen placet mihi quòd seorsum hæc applicentur, & vincant semper mollificantia: nam vitiū in resolutione est incurabile. Et placet mihi quòd semper versus est pinguedine humana, quæ moderata est, non resoluit, sed mollificat tantum, & bene factū est. Primò procederem cum mollificantibus primi gradus, postea cum mollificantib. secundi gradus. Myrrha, ammoniacū, hyssopus humida, crocus &c. sunt mollientia in secūdo gradu: & in his sæpe erramus, quia non possumus metiri quantitatem: & hæc antiquata, efficiuntur resoluentia, & acquirūt calorem: ideo tutius est vt permaneamus in mollificantibus primi gradus, vt est adeps porcinus, oleum chamæmelinum: decoctum althææ, maluæ, liquiritiæ, sem. lini, fœnugræci. Hæc ferè accedunt ad secundum gradū. Primò fiat decoctū ex camomilla, malua, althæa, liquiritia, & fomentē locus cum spōgia, postea illinitur cum oleis istis. Ad penetrationem posset apponi modicum croci, & lana humida molliri locus per sex dies: postea per vnum diem facerē resolutionē, vt cum pyrite lapide, quod Gal. dicit esse magicum quiddā: & sic longè maior erit mollificatio quàm resolutio. Loco pyritis accipiat lapis molaris. Si vellet tentare balnea S. Barthol. optimè cōuenirēt. Montagnana scribit de quodā Cardinale qui erat totus contractus, & quandiu fuit in hoc balneo, extendebat omnia membra, & tandem curatus est. Et nos habuimus hîc puellam Dalmatam xvij. annorum, quæ tota contracta fuit, & sanata est perfectè, & iam nupsit viro. In altero crure vtatur primò alterantib. locū.

Primò fiant abstergentia vlcus ex lapatho, hordeo, plantagine & balauftijs: decoquerem hæc in aqua ferrariorum, vel alia aqua, & facerem lotionem cru- ris & vlceris: post lotionem exiccaré locum, & acci- perem postea succum solatri contritum in mortario plumbeo cum pistillo plúbeo, donec fieret solidior, & facerem linimentum, & lini- rem crus. Remota mala temperatura accederem ad sanandum vlcus, vt est vnguentum de tutia, quo nihil est præstantius in materijs adustis.

*Consult. CXLIII. De catarrho, cum mul-
tis alijs symptomatis coniuncto.*



Ostquàm diligentissimè audiui historiã casus nobiliss. Dominę, quę iam decem menses laborat, considerabo præcipua. Patitur tres dispositiones præcipuas, à quibus multa symptomata consequuntur. Principalia sunt, primò catarrhus, secundò mala compositio in membris naturalibus omnibus, tertio extenuatio insignis: ferè est sine musculis, intestina contingunt à cute. Præter hanc gracilitatē habet & insignem tensionem, vt non tactum patiat, ita dolor est & ægritudo ipsa. Catarrhus propriè in se nõ est ægritudo, sed in genere fluxus est actio læsa: tamen quia curatur, principaliter ingreditur curam morbi. 12. therap. Quandoq; symptomata trahunt ad se curationē, & habent rationem causę, & curant vt morbi, & faciunt indicationes separatas vt morbi. Est ergo primò catarrhus, secundò mala cõpositio. Tertia ægritudo est febris, quæ est de genere continuarum, licet habeat paroxysmos. Consequuntur fluor alui, præfocatio vteri: macies consequit ad quëlibet istorum morborũ, est accidēs quod nõ trahit curam ad se. Inci-

se. Incipiāt à catarrho, secūdò à mala cōpositione, & tertio de cōplexione mala, id est, febre. Vtrū hi morbi se habeant ita, vt vnusquisq; proprias habeat causas, & an vno remoto remoueantur omnia? 7. Aphor. Febres nō sunt morbi per se, sunt accidentia aliorū morborū. quādoq; negligunt febres, & curant ægritudines principales à quib. dependēt, vt facimus in pleuritide, vbi tota cura est ad inflammationem. Vtrum hoc modo sint hæc? Dicā prius de catarrho, neglecta febre, qui generatur in capite. Quæritur, vtrum læsio sit in capite primogenio affectu, an sit læsio per cōsensum? vel, vtrū sit in cerebro nocumentum, ratione cuius sit inductus catarrhus? Naturaliter habuit cerebrū calidū & siccū, ex nigredine capillorū, crassitie, nobilitate omniū operationū: proptā fuit in actionib. ista promptitudo indicat caliditatem eius partis, in qua est principiū motus. Vnde videtur calidū esse cerebrū, nō expuit, nihil ex narib. profluit. Nam ex calido & sicco concoquit bene alimentū. Secundò, tale cerebrū est potēs in distillando: tertio, aperit vias & meatus, vt fiat facilis efflatio & euaporatio excrementorū. Incidit in catarrhū, cū habeat cerebrū quod in sua natura non erat dispositum. Vnde est colligendū, qd ad cōtrariū maxima facta est permutatio. Nō possum persuaderi quòd producta fuerit intemperies frigida & humida, cū prius calidum & siccum cerebrum fuerit, cū manserit in sole & sulphure: vt eatur calefacientibus, quæ non possunt inducere intemperiem frigidam & humidam. Frigidum quidem cum calido resoluit humidum, in quo est caliditas, & fit frigiditas: vt in cinere & carbone, frigidus est cinis, & carbo ex priuatione humidi. Non fuit causa aliqua vt humiditas induceretur: bene potuit fieri intemperies

frigida & sicca per resolutionem humidum. Cerebrum fuit à natura calidum & siccum: dico quòd successit intemperies frigida & sicca. Vidimus catarrhum frigidum, qui nõ fuit nisi à causa frigida. Vnde ergo tanta humiditas in illo cerebro, cum sit frigidum & siccum? Omnia corpora frigida & sicca redundant humiditatibus & pituita: vt in senibus, quanto magis fiunt frigidiores & sicciores, tanto humidiores, per viam inconcoctionis. Credo intemperie frigidam & siccam in cerebro esse, & talis intemperies maxime subiecta est contumeliæ, si qua alia intemperies. Acquisita ergo illa intemperies cerebri frigida & sicca, est principalis causa & origo huius catarrhi. Successerant alia que fouerent ex partibus inferioribus. viuebat ex quibuscumque cibarijs: vbi debile cerebrum, sufficit intemperies cerebri. Fortè & ventriculus nõ fuit in bona dispositione: & calidum hepar habuit, vnde ventriculus frigidus redundat excrementis, & sic multiplicatur catarrhus ratione inferiorum membrorum. Videnda ad hæc duo, quæ sunt de essentia huius catarrhi: primum, de substantia catarrhi: secundum, de loco ad quem descendit materia, quod est maximum dubium apud me. Primò de loco videamus. Loca ad quæ potest defluere catarrhus, primò sunt musculi extrinseci: secundò, cauitas pectoris: tertio, substantia pulmonis: quartò, aspera arteria. Catarrhus ad quas partes descendit? Non occupat tanquam locum principalem asperas arterias, ita vt ibi moram faciat, nam fieret asthma, quod non videmus: quoniam catarrhus occupans arterias, cum obducuntur asperæ arteriæ percipitur cantus & clangor, & quando anhelaret fieret mutus: dum enim transit spiritus, & percutit catarrhum crassum, facit sonitum talem. Vtrum in substantia pulmonis? Absit: nam esset difficultas anhel-

anhelitus propter dilatationem & constrictionem: non haberet anhelitum liberum, esset difficultas magna, paterentur anxietates cordis maximas: cum enim in pulmone conficiantur spiritus vitales, inficerentur à catarrho. Cum pulmo sit putrescibilis valde, propter humidam substantiam & excrementosam, & molliem substantiæ suæ, si catarrhus putridus moraretur in pulmonis substantia, generaret ulcus, & deuenisset ad phthisim, quod absit. Non in musculis exterioribus, nam perciperetur dolor ad tactum. In quo igitur loco? Credo quòd descendat ad cavitatem pectoris. Sed per quas vias? Ex anatome videmus vias còmunes à cerebro ad pulmonem non esse, nisi asperam arteriam maiorem. Si catarrhus ad pulmonem tendit per asperam arteriam, in pulmone manebit. Interfunt costæ, muscoli, diaphragma, quomodo ergo transit? Sæpissimè contingit quòd transit à pulmone, & expellitur à natura fortiore ad cavitatem pectoris, & contrà à cavitatem pectoris ad substantiam pulmonis: vt ex peripneumonia fit empyema, quia catarrhus putridus expellitur à substantia pulmonis ad cavitatem pectoris, qui tandem à natura expellitur ex eadem cavitatem pectoris ad pulmonem, & expuitur per tussim. Similis est trāsitus cum materia est in pulmone: est enim leuissima membrana pulmonis. Natura enim sollicita membrorum nobilium, quando ad id peruenit aliqua materia, expellit eam ad partem ignobiliorem, vt ad cavitatem pectoris, quæ longè est ignobilior quàm substantia pulmonis. In cavitatem pectoris facit motum, putrescit materia & excitat tussim, ac tendit ad pulmonem, non vt ibi maneat, sed vt expellatur. Credo autè catarrhum non solùm deuenire ad pectus per pulmonem & putrescere, sed etiam à toto ambitu venarum

venire materiã ad locum imbecillũ: teste enim Gal.
 2. de facul. natur. omnes superfluitates defluunt ad
 partem debilem, & semper aggregantur materia, vt ap-
 paret in fistulis & malignis vlcerib. quia debile mē-
 brum suscipit omnia superflua & excrementa. A toto
 igitur ambitu corporis deuenit materia, & facit em-
 pyema. Quare diuretica conueniunt materiẽbus pe-
 ctoris, quia materia à venis descendit: & est magnus
 consensus inter venas & pectus, ideo diuretica con-
 feruntur pulmõni & ægritudinib. pectoris. Locus ergo
 catarrhi proprius in quo putrescit, est cavitã pecto-
 ris: descendit partim à capite ad pulmõnẽ, & conca-
 uitatem pectoris, partim facto loco imbecillo & sup-
 purato à toto corpore, & multiplicatã ita catarrhus,
 qui expulsus per tussim ad pulmõnẽ excernitur. Est
 igitur hæc mulier empyematica, & habet materiam
 suppuratã in cõcavitãte pectoris. Quòd sit materia
 putrida, patet ex colore & crassitudine. Est pus,
 quod duplex est: primò, ex putredine sanguinis non
 fit, nisi sanguis putrescat, id semper sequitur vlcus. se-
 cundò, quando materia pituitosa putrescit, sanguis
 extra venas putrescit, & facit pus. Pus pituitę nõ ita
 fœtet, quia ipse sanguis putrefactus deterrimus est,
 & magis fœtidus quàm pituita putrescens. Ergo est
 pus non ab vlcere aut putredine sanguinis, sed à pu-
 tredine pituitæ, & recedit à malignitate puris san-
 guinis. Sic & pus melancholicũ & bilis longè dete-
 rius est. Pus istud si esset sanguinis vel aliorũ humo-
 rum, vlcerasset iam pulmõnem propter transitum.
 Catarrhus in propria substantia quando descendit
 à cerebro, credo quòd sit subtilis, quia est insipidus,
 & propter subtilitatẽ transmittit à pulmõne ad pe-
 ctus, in quo crassescit, putrescit, & resoluuntur par-
 tes tenuiores, putridæ, & per virtutem expulsuam
 exci-

excitatur tussis, quæ est motus pulmonis, quo rejicit molestiam vel ob intemperiem, vel materiã aliquam existentem in parte membranarũ spiritualiũ, vt in pleuritide, quæ est extra totam cauitatem pulmonis, tamen fit ex ea maxima tussis, cùm materia non fit in pulmone. Ita híc quoq;. Quomodo transeat materia crassa ex pectore ad pulmonẽ, non mirandum, cùm & in ossẽ pus transeat per poros ad carnem. Nõ debemus mirari opera naturæ, transit per meatus membranæ & excernit, quod vix credi posset, nisi esset notissimum omnib. medicis. Ex quo est etiam illa febris, quia cùm putrescat materia tanta in cauitate pectoris propinqua cordi, non potest fieri quin putridi vapores ascendant ad cor. Et hæc febris pro multitudine vaporum etiam augetur & minuitur. Patet quòd febris è vaporib. putridis, est putrida. Singulis diebus vesperi circa horã xxij. percipit frigus, postea calor succedit. frigus, quia tum excitantur vapores putridi in re putrescente, & ceteræ periodi effumationis, vt in omni stercore apparet, in alijs horis fumat, in alijs non. In eo tempore effumationis propter fumum transeuntẽ ad cor excitatur febris, imò magis vna hora quàm alia. Non est inuentum à medicis, naturæ secretum est hoc, quare vna hora eleuent vapores precisẽ, & nõ alia hora. Oportet admirari secreta naturæ. Num hæc febris sit putrida, vel an sit etiam febris quæ fecerit maiorẽ impressionem? Credo quòd inducta sit hectica: quando longo tempore tango, percipio insignem caliditatem igneam ex tactu, vnde tanta extenuatio. Febris præcedens non fuit diuturna, nõ sunt nisi octo dies q̄ sentio tantã febrẽ. Vereor febrem fixã, occultam, difficile cognoscibilẽ, quandò in prima specie hecticæ difficile agnoscit à medicis per coniecturas

cognoscenda, vt Gal. cognouit mulierem suam, quæ
erat calida & sicca, & habuit ephemeram & c. Pulsus
secundum naturam, caliditas non mordax, non per-
cipit se habere, ideo difficile cognoscitur. Tres sunt
species. prima, quâdo absumit pinguedo tantum: se-
cunda, caro: tertia, cor, & illud quod continet mem-
bra. Prima & secunda secundum Auic. difficillimæ
sunt cognitionis: tertia ab omnibus percipitur. Du-
bito, sit ne prima species hæcticæ, & sit consumpta
nimis propter febrem continuam, tamen audio nun-
quam quoq; liberari à febre. Habemus ergo primò
catarrhum suppuratum & putredinem. Putredo est,
quia rubedo circa maxillas. Quando putrescit hu-
mor circa pulmonem, vt in peripneumonia & empye-
mate, ascendunt vapores & calefaciunt maxillas, in
istis tribus, scilicet in peripneumonia, vlcere pulmo-
nis, & empyemate. Primò est catarrhus, putredo, &
empyema. Secundo, febris putrida & fixa quædâ, ten-
sio hypochondriorum. febres sequuntur obstructio-
nes: tamen non credo obstructionem summam hanc,
sed catarrhus & febris faciunt debilitatem summam
in membris naturalibus: vbi xiiij. diem transit, facit
debilitatē. Descendit etiam pars catarrhi ad ventri-
culum, vnde male cōcoquit, percipit rugitus, mala itē
compositio & complexio frigida est in membris na-
turalibus, cuius signum ventositas, gracilitas extre-
ma, & consumpta pinguedo tota: vnde suspicor esse
hæcticam. Fluxus item sequit, vbi febris permanens
& suppuratio in pectore debilitauit calorem innatū
vt iam succumbat, & sequantur fluores alui, longæ
ægritudines, & pleuritides quoq; vbi tendit ad sup-
purationem, & mortalis est. Ex his quæ proposui, vi-
demus quàm sit timorosum. Cura. Multa essent
quibus indigeremus, & quæ faceremus. Primò oportet

tet vt prohibeamus catarrhum descendentem. Secundò, vt quod in pectore, educeret, & confortaretur pectus ne reciperet, refrigeraret febris, confortarentur membra naturalia. Catarrhus sistitur cum rebus valde siccantibus. 5. Meth. Ad tria reduco totam curam: primò, vt sistamus catarrhum: secundò, vt confortetur pectus: tertio, vt occurrat omnibus humoribus. Sunt ista tria vehementissima. Primò circa caput, vesicetur totum caput vt dissoluatur catarrhus, vt exeat extra cutem, & non fluat ad pulmonem, quod non nisi calidissima efficiunt, quæ afficiunt virtutem, calefaciunt totum corpus. Timorosum in febribus talibus adhibere calida capiti. Secundò, vt euacuemus cum pilulis cochij: ingrediuntur fortia, vt scammonium &c. & in magna quantitate. Ego non auderem dare eas hic in fluore alui, imbecillitate omnium membrorum, & febre. Tertium quod fuit, est vt refrigeretur pectus, & vitur ibi Gale. theriaca noua, & diaspermaton. De duobus primis non auderem, quia nec corpus, nec imbecillitas patit. Non auderem super vesicatorio, velim tamen vt vnum fieret quod nolui omnino præterire, vt tonderentur capilli usq; ad cutim, & velim imponere pulueres, ex quo non possum caustica ponere, ex sandaracha, mastiche, rosis, quæ non calefaciunt vehementer, sed exiccant, & confortant caput ne descendat materia. Eset præsentaneum remedium vesicare, sed non audeo: nec cerata, retinerent enim usq; ad tempus, postea tota materia repète decideret, & repentinè suffocaretur. per duos aut tres dies manet, quia suspendit catarrhum, interim multiplicatur, & in termino duarum horarum ex repentina descensione suffocantur. Fiant leues frictions, ne agitet caput: exiccetur tantum cum panno suffumigato, aqua rosacea,

aceto & garyophyllis. Tale suffumigium habeat in cubiculo, & suffumigentur panni, & caput foueatur sine frictione, vt inde fiat exiccatio. Quando ista nō fiunt, interea in tempore quieto haberet stuppam cannabinam, super quam papyrum exiccata, & ponat scaphiam, vt semper fiat exiccatio, & fieret crebra permutatio ex istis. Si febris cessaret, statim velim adhibere vesicatoria, quod esset optimū & præstantissimum ex cantharidibus. Diaspermaton esset præstantissimum, tendit ad febrem, & confortat pectus: sed hoc facere non possumus. Laudo bolum armenium optimum, & aquam farfaræ & Consolidæ, vt accipiendo boli armeni puluerisati ʒ. ij. cum lib. j. aquæ consolidæ & farfaræ, donec tota fieret rubra, & tota virtus transeat in aquam, phialam agitando: singulis diebus manè & vesperi quando vult dormire bibat drachmam vnā aut semis istius aquæ. Mellis rosati ʒ. j. faceret ad fluxum ventris, & corroborat ventriculū, confortat substantiā pulmonis & pectoris, & corroborat cor, ne recipiat illam detestabilem putredinem. Gal. dat asthmatis, & longè magis vbi non est asthma, neq; facit difficultatem anhelitus: credo quòd non esset deterius remediū quàm Diaspermaton & theriaca noua. Cauerem à philonio & stupefactiuis tanquam à peste, vt multi faciunt ad sistendum catarrhū. Neq; pilulas de opio darem. Vesperi pillulam vnā de cynoglossa sine opio retineat sub lingua, ad sistendum catarrhum, & roboranda membra. De febre. Auic. si cum catarrho est febris, non curandum de febre, sed attendat ad catarrhum: febris enim pendet ab eo tanquam accidens: cessante catarrho, cessabit febris. Si esset prima species hectica, curare tam facile vt scabies: non enim valde curarem eam, si non esset catarrhus: neq; tamē con-

contemnerem. Propter fluorem alui corroborandus ventriculus, & attendendum refrigerationi corporis. Ptisanam hordei accipiat, sed in ea cum iure pulli facta ponat aliquid quod habeat vim astringendi & corroborandi. Gal. imposuit frustum cotonei, corroborat enim hoc, & conuenit catarrho, & refręnat lubricitatem ptisanę. Manę accipiat ouum forbile, carnem pulli cõtusam. bibat item manę vinum, vesperi non. Circa xxij. horam habuit paroxysmum: nunc incipit circa viij. horam: posset cibari ad nonã horam: ad xvij. horam, potissimũ aut ad xvij. cœna re. minus cibi serò sumat. Pro fluxu sumat syrupũ myrthinum cum puluere mastiches intus. Inter syrupum & cibum sit vna hora. Quo ad confortationẽ & præfocationem matricis, vngatur cum linimento Mesue. Nollem confortare eam cum oleo liliorum alborum. Circa pectus febris non permittit emplastrum, ne nimium relaxando præcipitaretur materia. Inungerem pectus cum vnguento ros. Mesue. Cor confortarem cum his quę habent vim exiccandi, eo modo tamen ne arefcat, cum bolo armeno in aqua farfarę cum melle rosaceo. Curata febris, subito accederem ad vesicatoria, quia oportet attendere catarrho. Pro ventriculo fiat linimentum ex mastiche, cotoneis, dactylis. Coquantur in vino dulci non potenti, facta forti expressione per cribrum: adde olei chamæmelini & absinthij quantum sufficit. Fiat linimentũ. Hoc etiam vsus est Montanus in quodam, cui tota abdominis pars ita erat exiccata, vt intestinorum videretur contractio, vt retulit postea Montanus eundo domum.

Consult. CXLVI. De difficultate anhelitus,
uertigine, ac defœdatione cutis.



Vm sint duo præter naturam : primum, quod sensu tactus nõ deprehendit, sed videtur, difficultas anhelitus, vertigo, grauitas capitis, tinnitus aurium cum destillatione: secundum occurrit sensui visus, & est defœdatio cutis pustularis, & asperitates: hæc itaq; principaliter sunt consideranda, nam de illis maxime conqueritur. Primò, quod apparet sensui visus, ex colore singulorum membrorum affectiones discernuntur: quæ quidem proueniunt à materia quæ collecta est. Natura materiæ deprehenditur ex colore: videmus enim pustulas tam in facie, quàm in cruribus & toto corpore, quæ tendunt ad fuscèdinem, partim rubent, partim nigricant: rubedo circa faciem magis, in alijs partib. nigredo magis. Nonnunquam illæ pustulæ in diuersis partibus erumpentes faciunt suppurationem, & inde exit pus. Cõsideranda natura ex colore. Sanguis dominatur cum bile, vel sanguine melancholico, erumpens ad cutim. Videndum quo nomine debeat appellari. Medici occupati sunt valde circa hoc nomen. Ex vna parte accidens est, hic affectus, ex alia parte ægritudo. Sunt morbi dependentes ab eadem causa secundum ordinem, ab eadem materia, sanguine adusto melancholico. Quidam est vniuersalis, quidam particularis. Particulares sunt, qui occupant tantum partem corporis, non totum corpus, vt cancri, lichenû omnes species, pendent ab eadem materia, sanguine melancholico crasso. Quædã ab eadem materia dependentes occupant totum corpus, vt elephantiasis, lepra, psora. In isto corpore non est morbus particularis,

laris, nam æqualiter occupatur ab ista defcædatione: fit à melancholia cum sanguine, & sic est morbus vniuersalis. Non est elephas, nam elephas habet proprium vt occupet carnem & ossa: sed ista defcædatio non nisi extimam cutim inuasit. Nec est lepra, nam lepra habet pathognomicum accidens, vt decidant squamæ, vnde habuit nomē, quia squamæ quotidie decidunt. Gal. distinguit pforam à lepra, quia lepra non habet asperitatem & inæqualitatē vt pfora. Videmus hic inæqualitatem & asperitatem cum pruritu, quod pforæ longè magis proprium quàm lepræ: vnde ponēda hæc affectio sub capite pforæ. Differunt omnes morbi vniuersales inter se, quod vt sciamus, plurimum facit ad curationem. Differunt in crassitudine materiæ peccantis vel humoris. Humor melâcholicus naturalis cùm sit humor crassus, faculentus, non facit nec pforam nec lepram, quia non potest excerni ad partes cutis. Vbi autem subtilis, tenuis, vaporosus, transit ad cutem, sed diffilatur propter tenuitatem suam: vbi crassior est non potest exire. Et illa materia est vel quieta, vel mota. Si est quieta, adhæret musculis, & facit lasitudinem vlcerosam. Si mota, & transit ad cutem, diffilatur, facit sudores: si non diffilatur, facit pruritum, & alia genera pustularum diuersa circa corpus. Si admodum crassa, non exit ad cutem, sed adhæret musculis, occupat partes solidas. Si corrūpit ossa, fit elephas. Vbi subtilior est magis declinans ad sanguinē, participans humori pituitoso salso, transit ad cutim, facile expellit, non tamen potest exhalare, sed adhæret, & facit lepram & pforam. pfora autem magis habet de humore melancholico: lepra magis ad salsum, & magis æqualiter inhæret, non facit eam asperitatem, quia liquidior & humidior humor facit superficiē equa-

lem: vbi autem exaruerit, facit squamulas ex humore pituitoso exiccatas, vt sunt in superficie capitis furfures, vbi difflā pituita ex capite, & circa cutim exiccatur, & facit squamulas illas. Vnde qui abundant squamulis illis, habent caput valde humidum, quia pituita cūm exarescit, facit squamulas. Pfora autem quia fit ab humore magis adusto, facit inæqualitates cutis: propriū enim sicci est 4. Meteor. q̄ est causa asperitatis, vt humidū est causa leuitatis. In lepra est leuior cutis quā in pfora, quæ dependet ab humore melancholico, qualis hæc est, non tamen ita crassō vt faciat elephantē, sed tamen crassiori quā vt faciat leprā. Humor diffusus in toto corpore non est æqualis, admixta est pituitosa materia & sanguinea. Non igit̄ mirū, si ea materia humida putrescat & faciat pus, & apparēt pustulę quę à Græcis psydracię, ab Arabibus Saphah vocant̄. Hęc est natura morbi quantum ad causam formalem: quantum ad causas efficientes, sunt intrinsecę & extrinsecæ. Membrum quod generat omnes humores, est hepar: ad hepar ergo referēda causa efficiens, tanquā ad membrū principale, quod secundū propriā temperaturā generat humores. Si moderatē calidū est, sanguinē generat: de bile aut̄ & humore melācholico, facit quantum opus est: si maior caliditas, & hepar calidius sit quā par est, plus de bile generat̄, & appellant̄ tales cholericī, in quib. propter caliditatē hepatis generat̄ plus de bile quā de reliquis. Vbi intenditur caliditas & minuitur humiditas, generat̄ humor melācholicus. In paracmaistica etate calidi & sicci fiunt melancholici adusti, quia acquiritur caliditas ex diminutione humiditatis, nō generat̄ bilis, sed humor melancholicus. Hoc hepar est supercalefactū, & videtur à primo ortu tale esse quod excēsserit notabiliter ad calidum,

lidum, per siccū & humidū non multū. Qui habent caliditatē solam, absq; passuarū excessū, plurimum carnis generāt. Qui calidū & humidū, abundāt plurima pinguedine. Probabile est quòd fuerit calidū naturaliter, absq; excessu humiditatis & siccitatis, temperatū in passiuīs, redundās in calido. In habentibus autē symbolū, facilius est transitus: generauit sanguinē biliosum, deuenit ad paracasticam ætatem, potuit generare plurimū humorē melancholicum. Accedunt aliæ causæ non corporeæ, sed extrinsecæ. Fuit cōditionis talis, in qua habuit omnia quæ potuerunt supercalefacere hepar: bibit vinum potentissimum. Credo quòd natura ipsa vsus fuerit cibarijs falsis & acribus, quæ supercalefaciunt hepar suis qualitatibus primis. Alimenta præter calorem auctum potuerunt generare humorem melancholicum: nam à calore igneo & immoderatè se habente, per se generat plurimus humor melacholicus: si accedat secundū, scilicet alimentū generās melancholiam, potentissima erit causā aggregandi humores melancholicos. Habuit insignem caliditatem hepatis, & in *παράθυρον* multò magis auctus calor iste est, tum modo substantiæ cibi melancholici. Nisi fuisset adiuuentum naturæ per influxum hæmorrhoidum, incidisset non in pforam, sed in elephantiam. Materia continuò expurgata fuit per fluxum. Qui subiecti sunt huic fluxui, liberantur ab omnibus humoribus melancholicis. Potentissima causa in hoc, cum haberet fluxū, & tamen haberet hunc morbū. Quo ad catarrhum, corpus ita paratum est ad catarrhum, stante ratione victus, vt nullum corpus magis opportunum. Talis temperatura corporis mittit vapores ad caput continuò, primo Epid. & tertio de locis affectis. Ab ambitu totius corporis ascendūt va

pores, stante pessima ratione victus: & hinc etiã tinnitus aurium, propter motionem spirituum. Catarrhus ex ea parte materiæ est: ubi? in cerebro naturaliter frigidus. Nam in naturali sua substantia propria, omne cerebrum frigidum & humidum est, sed dicitur respectiuè calidum, humidum & siccum, cum tamen omnia sint frigida & humida. Ideo cum sit propria natura frigida & humida, condensat vapores, & sic fit catarrhus, & hic facit anhelitus difficultatem, & tussim. Non tamen est insignis læsio adhuc ex hoc catarrho. Pruritus faciliè curabitur, si modò non patiatur elephantiam. Psora est initium elephantia: oportet vt ipse sibi sit medicus. Circa curam duo sunt facièda: primò tollendus morbus factus, secundò causæ quæ faciunt. Morbus factus sunt pustulæ, descædatio circa cutem, quæ abstergendo mundificanda est: quod non fiet nisi materia remoueat, quæ in toto ambitu venarum fouet continuè illam partem. Oportet omnino remouere materiã. Duæ ergo sunt indicationes: primò, vt abstergat cutis: secundò, vt remoueat materia. Est tertia indicatio: nam si remoueatur materia & abstergatur cutis, & non remoueamus ealiditatem hepatis, & causas efficientes & extrinsecus occurrentes, nihil proderit. Primum ergo est abstergere cutem: secundum, remouere humorem: tertium, alterare hepar: quartum, regulare rationem victus. Incipiamus ab euacuatione, sine qua nec alterare, nec abstergere cutem, neque nutrire corpus cibis conuenientibus possumus. Mundificandum corpus cum his quæ mundificant humores peccantes, scilicet humorem melancholicum, sanguinem & pituitam, quæ redundat ex descensu catarrhi. Accedit portio bilis, redundant omnes quatuor humores. Alij humores coquuntur & præ-

præparantur. Sanguis non spectat aliam coctionem, debet euacuari sine præparatione. Facta purgatione humorum in primis venis cum cassia, deueniatur ad missionem sanguinis, vt euacuetur principalis humor sanguis, & fiat sæpe. In humore melancholico vbi permixtus est sanguini, iteranda est phlebotomia, & euacuetur per interualla: deinde bene nutriatur, post iterum euacuetur, idq; à basilica. Intentio est non tantum euacuare humores, sed simul alterare membra. quod possumus facere vno remedio, non debemus facere pluribus. In vtroque latere secanda vena, & ab vtraq; basilica. Secundò fiat euacuatio præcipuè duorum humorum, melancholici & pituitæ. Biliosus humor facile coquitur & expellitur. Rhasis vult bilem non indigere coctione: sed indiget leni coctione, facili momento coquimus. Maiore coctione indiget pituita & melancholia. Sunt concoctiua in communi vsu, quæ respiciunt pituitam, non considerando humorem melancholicum, quem aggrediar postea. Ex multitudine pituitæ obstruuntur venæ sua visciditate, & ille humor retinet alios humores ne sint præparati: obstruit quoque. Quando igitur pituita in venis est cum humore melancholico, non debemus vtrunque simul præparare. Pituita indiget incisuius abstergentibus: humor melancholicus aliquali humectatione, vt fiat facilis ad excretionem. non est viscidus, sed crassus, qui indiget humectatione. Quæ faciunt ad coctionem pituitæ, non faciunt ad concoctionem ipsius humoris melancholici. In hoc casu inciperè à pituita. Oxymel, & syrupus acetosus incidunt sine calefactione. Non multum calefacerè, ne humori melancholico nocerem. Facienda quæ incidunt lapides & calculos. Vtrum acetum conueniet digestioni humoris me-

lancholici? quanto magis dubitabit de calefacientibus & exiccantibus. Acetosa conueniunt partibus terrestribus, confringunt calculum & lapides. Darem syrupum acetosum, oxymel, cum melle rosato. Euacuarem postea cum confect. hamech, in qua epithymus & myrobalani. Et euacuant humorem pituitosum pilula de Agarico. Darem agarici 3. ij. cum ʒ. j. casia, euacuat humorem pituitosum, & respicit humorem melancholicum. Quo ad humorem melancholicum, syrupum de pomis dulcibus, Saba regis. Decoctum liquiritia maximè confert ad humorem melancholicum siccum & frigidū. Item malua decoctio cum iurib. pinguib. pulli: postea euacuare cum illis decoctis traditis à Mesue. Deinde apponere elleborum nigrum, vt in superiori syrupo, non plusquam 3. semis corticū ellebori nigri: felicissimè operatur ter aut quater sine molestia. Quòd si datur ante euacuationem pituita, lædet, & nihil proderit ista euacuatio. Pituita optimè euacuetur. Soleo dare sex vicibus, euacuat quadragies, nisi debilitas accidat, tunc intermitto vnam. Facta euacuatione abstergenda cutis. Fieri possunt linimenta ex succo lapathij, limonum, ellebori cortice & radice. Decoquantur cum malua & althæa in aqua, donec consumatur tota substantia, factis expressionibus. Oleum rosarum recens, therehintbina, styrax liquida, magna copia succi limonum cum nitro, abstergit omnem defædationem. Peraçto illo, queritur nunquid conueniat lotio balnearum? Habent magnam vim abstergendi maculas corporis. Sed dubito ne calefaciant hepar. Ad defendendum hepar sumat duas aut tres heminas feri lactis, & illinatur hepar infrigidante Galeni: conuenit propter hepar calidū. Bibat serum, & ingrediatur balneū. Non dubita-

dubitarem de supercalefactione hepatis. Aqua marina idem facit, sed nimis calida est. Aquarum dulcium balnea, cum fiunt ex elleboro, lapatho, cum sale, abstergenda cutis gratia. Necessè est deinde confortare: fiat ad contrarium, & in frigidetur hepar. Vltimum est quòd tegat se, ac remoueat causas extrinsecas: abstineat ab omnibus calidis, vino calido. Vtatur carnibus bonis, frigidis alimentis, piscibus saxatilibus. Marini sunt laudatissimi, quia habent minus superfluitatum quàm aquosi, qui faciunt augeri pituitam, & calorem postea: expedit quoque vt pituita non multiplicetur. In partibus Dalmatiæ, gobij marini optimi sunt, in alto mari. Inter pisces saxatiles, mugiles, apud nos rari. Admoneamus & protestemur, si vult permanere sanus, debet eo victu vt & refrigerantib. Saccharũ rosaceum cum Rhab. 3. j. ter aut quater in mense sumat. Hæmorrhoides semper teneantur apertæ: si stringuntur, aperiuntur.

Consult. CXLVI. De Melancholia hypochondriaca.

ERat sententia Galeni, Magnifici & Excellentissimi viri, doctissimi que scholares, in libris Prognosticôn, quòd ea quæ possunt breuibus explicari, valde sit ineptum longius dicere. Ego igitur ero breuior in hac mea oratione, & proponam ea quæ sunt necessaria in casu huius nobilissimi adolescentis. Patitur flatus hypochondriacos, quod non possumus negare, quia & motu percipiuntur, & nos audiuius. Est ibi melancholia, & flatus percipiunt manifestè: ergo meritò appellat hæc affectio flatus hypochon-

driacus. Sed hoc est accidens seu symptoma, ergo consideranda eius causa, & morbus, à quo pendet hoc symptoma. Huius igit symptomatis quærenda ratio, & ex hac pendent omnia reliqua accidentia. Hic flatus hypochondriacus quo ad rationem formalem, est quidam flatus seu ventositas, quæ pendet à quodam humore crasso, ita ut non possit difflari: quia si posset difflari, non faceret rugitum. Ergo pendet ab humore crasso, qui facit ne possit difflari illa ventositas. Nunc quærenda causa efficiens, proxima & remota. Primò, proxima causa efficiens nulla alia datur, nisi illa quam dat Galenus 3. loc. affect. cap. de melancholia, scilicet quòd est inflammatio & ebullitio circa hepar in regione dextra inter ventriculum & ipsum hepar in ipso mesenterio, ut dicit Gale. ex Diocle. Ergo est quoddam calefaciens hunc humorem, & faciens hanc inflammationem. Sed nullum est aliud membrum in corpore humano quod faciat humores præterquam hepar: unde sequitur quòd hic calor proficiscitur ab hepate. Et ex hoc discursu habemus, quod sit caliditas hepatis ignea, faciens hanc ebullitionem. Sed hæc inflammatio est in aliqua materia, quia non solum est inflammatio ibi, sed etiam inflammatum requiritur. Ex caliditate hepatis sequitur multa. Primò, cum calidi sit attrahere, & continè trahatur chylus ab hepate per venas mesaraicas ex ventriculo, si hepar sit valde calidum, cum plurimùm consumat, indiget continua restauratione, & sic hoc hepar plurimum attrahet de ipso chylo ex ventriculo, & habebit continè illam attractionem propter suam caliditatem extensivam, & sic habebit quasi gulositatè quandam, ut vocat Gal. Et hinc accidit quòd attrahat chylum ad se non bene concoctum in ventriculo, sed crudum, & trahit eum violenter per ve-

nas mēfaraicas. Ex hoc sequitur, quòd materia multa, & humores crudi perueniunt ad hepar, & erunt rebelles concoctioni, quia coctio prima non corrigitur in secunda coctione. Et hi humores crudi cum ebulliunt, generant illam inflammationem. Sed hoc non est solum, sed accedit aliud: quia hepar calidum generat plurimum de bile, & ita etiam plurimum de humore melancholico generabitur. Humor melancholicus naturaliter est frigidus & siccus, sicut & reliquæ omnes melancholiæ species, sed maximè naturalis. Et quamuis lien attrahat ad se humorem melancholicum separatum, & generatum in hepate, tamen non potest lien tantum trahere quantum generatur, & ita humor melancholicus retinetur in hepate: unde hic humor melancholicus naturalis frigidus & siccus, miscebitur cum illo humore crudo. Et ita sunt hic duo humores faciētes hos flatus, & qui aptissimi sunt ad generationem flatuum utriq;: & hinc omnes melācholici apparēt venerei, quia habēt plurimum flatuū, ratione quorū multa fit erectio & inflatio: & ideo plurimū appetunt, licet parū possint. Et cum sint hic duo humores qui maximè sunt apti ad flatus, scilicet humor crudus & humor melancholicus naturalis, non mirum si flatuantur. Et cum sit illa ebullitio circa hepar & ventriculum in ipsis venis mēfaraicis, ideo regurgitat materia illa frigida ad ventriculum, vbi inuenit plurimum humorē crudum, & inde ventriculus infrigidatur, vt postea etiā causam infrigidationis ventriculi reddemus: & ita hic humor melancholicus ingreditur humorem illum pituitosum, & nō potest se inde explicare, & sic fit flatus ille & rugitus. Et sic sunt duæ causæ, humor naturalis melancholicus, cum humore pituitoso. Hæc autem omnia intensiua sequitur frigiditas ven

tricoli, quia semper ubi est ignea caliditas hepatis, consumit illam pinguedinem quæ est in abdomine, quæ conseruat & colligit caloré ventriculi, & ideo diminuta hac pinguedine infrigidatur ventriculus. Sed præter hoc est adhuc aliud. Quia splen cum redundat humore melancholico & intumescit, refrigerat etiam vicina membra. Hepar autem non potest ita facile refrigerari ab illa frigiditate collecta in splene, quia calidior: sed in habentibus symbolū facilior fit transitus: ergo ex humore melancholico aggregato in splene, ventriculus etiam infrigidatur. Et ita ex vtroque latere violatur & diminuitur calor ventriculi & robur, qui refrigeratus auget humores crudos. Et hic humor crudus consequenter auget ebullitionem & flatuositatem, & ita fit circulus quidam, & inde prolongabitur etiam morbus, quia quasi in circulo quodam recurrunt omnes causæ, vt diximus: frigiditas enim ventriculi adiuuatur à multis, vt magis generet cruditates, & materiam huius ebullitionis: & caliditas hepatis & humor melancholicus in splene redundant. Et hinc Galenus tertio locorū affectorū dicit, quòd in quibuscunq; contigerit esse flatus hypochondriacus, in omnibus prolongatur. Signa huius affectionis adsunt: est tristitia & timor, qui solent esse in melancholicis. Primus effectus melancholiæ, est timor, qui est potius præludium quoddam: & sic timor est perpetuum signum melancholiæ: non tamen ibi necessarium vt sit melancholia, sed tantum principium melancholiæ indicat: nam sunt multi melancholici qui nō timēt, adeò vt seipsos etiā interficiant. Et ideo Gal. querit, quare Diocles nihil de his loquitur? & dicit Gal. quòd illa tristitia sequitur, cum augetur melancholia illa: & non est necessariū, quòd ubi est flatus hypochondriacus,

driacus, ibi fit melancholia. Non deuenit ergo ad summū hæc affectio, sed est in aliquo gradu: nondū cōmunicatum est nocumentum ipsi cerebro, quod absit. Accidentia quæ necessariò sequuntur, morbū declarant. Primò sputum copiosum, quia ventriculus est frigidus, & abundat pituita & cruditatibus, & flatus facit, quòd pituita ascendit. Nam ex ventriculo nihil excerni potest, nisi vel per vomitum, vel per flatum, vel eructationem: & inde fit multum sputum. Sequitur aliud accidens, scilicet imbecillitas crurium: quia calor naturalis est debilitatus, & non generatur multum de bono sanguine & spiritu, in quibus consistit virium robur: & quia multi humores crudi & frigidi in ventriculo existunt, qui transeunt per hepar ad venas, & postea sparguntur per musculos, & faciunt istam debilitatem membrorum & lassitudinem. Et non est hoc mirum, cū sæpe ista materia transiens ad venas, faciat paralytin & stuporem. Sequitur aliud accidens, quòd corpus non nutritur, & non augmentatur, vt extendatur in omnes dimensiones: quia non generatur caro, quia sanguis est corruptus, & humores indigesti. Et natura est magis sollicita de membris radicalibus & solidis, quia hæc faciūt vt animal sit animal, & in his est vita: caro autem non est substantia principalis istorum membrorum. Et quia ista materia nutrimentalis non fuit sufficiens pro nutritione & augmentatione vtriusque, ideo natura magis fuit sollicita de membris solidis, & dat alimentum illis partibus quæ magis indigent, quia non sufficit materia pro vtroque. Et ideo videtis quòd tantum augeatur in longitudinē. Et hinc etiam illa macies quæ est in carne nata: caro enim multum est diminuta. Hinc etiam aliud accidens est, scilicet quòd

color totius corporis est subfuscus, quia humor talis dominatur, scilicet melancholicus, vt patet ex 4. de tuenda valet. Sequitur adhuc vnum, scilicet astrictio alui vt plurimum, quæ est ex caliditate hepatis, quæ exugit totum humidum ipsarum fœcū. Et hinc patet verum, quia si hæc affectio esset ratione ventriculi principaliter, existerent fœces humidiores. Et hepar maximè patit̃ in caliditate, & facit hanc malam dispositionē. Ista ægritudo est proportionatissima huic adolescēti: nam est calidissimi hepatis à natiuitate, licet primò habuit carnem multā: & illa caliditas hepatis est ei naturalis, & à patre, & ex semine materno. Noui patrem, qui erat calidissimus. Præterea & fratres eandē intemperie habent. Item ipse exercet cogitationib. mentē, & hæc omnia inflāmant spiritus & hepar. Et sic sanguis est crassior, & adustū alimentū à caliditate hepatis, & omnia rectè se consequunt̃. Primò etiā antequam laboraret quartana, habuit flatu, postea successit quartana. Multiplicatus est humor melancholicus, & crudi humores attracti ad hepar, vnde facta ebullitio, & etiam obstructio viscerum ab illo crasso humore. Et quia virtus fuit fortis in expellendo, facta sunt illa exanthemata per vniuersum corpus, aut si volumus appellare escharas: sunt autem quædam efflorescentiæ cutis, & sunt potius ex quodam flatu pituitæ falsæ, quàm ex materia, quia citò accedunt, & statim recedunt: fiunt ex humore crasso, sanguineo & melancholico, & faciunt pruritus, quia etiam bilis vel pituita falsa admixta. Curatus est ex quartana & exanthematibus illis, & remanserūt illi flatu. De prognostico satis dictum suprā. Circa curam vnū dicam, & ponam pro fundamento huius curæ, quod scilicet debemus cauere ab omni pharmaco solutio

tivo fortiori, & non possumus hoc casu aliquid de-
 terius & perniciosius facere quàm hoc. Ratio est,
 quia si detur fortius pharmacum, ista omnia conse-
 quentur: nam primò non euacuabitur vt oportet,
 quia sunt multę obstructions quę impediunt vt nõ
 possit duci materia, & hepar supercalefactum magis
 calefiat: & quia ventriculus est debilis, & necesse est
 illas materias duci ad ventriculum, ideo magis infri-
 gidabitur & debilitabitur ventriculus: & sic omni-
 nõ non conueniunt pharmaca solutiua. Et hoc sit pri-
 mum fundamentum huius curę, quod bene aduer-
 tendum: vnde necessariò morbus & cura eius erit
 longa: primò, ex sua natura: secundò, quia non possu-
 mus vt remedijs. Et Gal. ad Glauc. dicit, quòd quar-
 tana acrius curata, duplex fit quartana. Ideo humor
 melancholicus benignè & clementer tractetur. Pri-
 mò concoquat. Primum igitur in curatione huius
 est euacuatio sanguinis, & non vna vice solùm, sed
 sæpius fiat: quia vbi melancholicus humor est in ve-
 nis cum sanguine, est mittendus sanguis. Deinde fiat
 epicrasis, id est, contemperatio. Nutriatur corpus,
 & paulatim generetur bonus sanguis: & nihil magis
 conuenit pro melancholia, quàm phlebotomia, &
 quidem iterata, vt Gal. suaserit. Postea epicrasis, id est,
 optima nutritio & restauratio. Deinde deuenire ad
 syrupos qui alterent humorem melancholicum &
 concoquant. Confortare & euacuare non possumus
 simul, quia confortantia stringunt, & euacuantia sol-
 uunt. Concoquenda sint omnia humectantia, & mo-
 dicè calefacientia. Ego non vterer alio quàm quo so-
 leo vti in his qui abundant humore melancholico.
 Acciperem ius pulli iuuenis, & decoquerem in hoc
 rad. polypodij, quia sunt dulces, & non multum ca-
 lefaciunt, & gratę gustui, & non fortiter euacuant:

duas radices liquiritiæ, tres boraginis vel buglossiæ; & vterer hac decoctione loco fyrupi. Neq; soleo aliter facere in his. Ius pulli omnes humores acres temperat & æquat. Et hæc decoctio paulatim etiam euacuat humorem melancholicum: & singulis quatuor diebus de ea accipiat. Darem florem cassiæ, vel flores cassiæ cum Rhabarbaro, quia hæc maximè conueniunt, & non trahunt à longinquo. Vel saccharû ros. cum Rhab. darem. Et tali medicamento supra posito vterer per totam æstatem, etiam in diebus Canicularibus: & sic per totam æstatem procederè cum illis alterantibus: neque alia ratione procedere possum, quia nõ debemus refrigerare propter ventriculum, nec calefacere propter hepar: & ideo optimè conueniunt illa quæ diximus. Utatur optima ratione victus. Vina sint alba, matura, & tenuia. Vina rubra sunt acerba & immatura. Alba conueniunt, quia facilius distribuuntur per venas, & non hærent in hypochondrijs, & digeruntur per vrinam, & humectant. Caueantur acerba vina. Sed cum dico vina alba, non sunt capienda flaua, nam illa sunt calidissima & infestissima hepatis calido. Verè igitur sit album. Quo ad balneum, dico quòd non conueniat, quia hæreret in hypochondrijs, & inflammaret. Gal. dicit quòd aqua pluuialis adhæret hypochondrijs, & inflamat, multò magis illa aqua aluminosa. Medici Veneti voluerunt illi dare lignum, sed ego sum in ea opinione quòd lignum nihil faciat, nisi sit morbus Gallicus. Non enim operatur quia calidum, humidum vel siccum, sed quia tale. Ideo hoc ego non consulerem.

Consult.

Consult. CXLVII. De spūto sanguinis
 & puris, cum catarrho.



Clarissime D. non ero longior, cū ille morbus sit admodū expositus per suum genus: videmus enim eum laborare spūto per tussim: expuit enim catarrhū putrefactum, cum aliqua parte sanguinis, vt vidimus: & febrem continuā patitur. Hęc satis sunt nota. Sed distinctē inuenire causas & locum affectū in hoc casu, est admodum difficile. De febre quę adest non dicam multa, quę pendet ex catarrho tanquam accidens. Circa inquisitionē causarum videmus difficultates quasdam. Excellentia vestra proposuit coniectura probabili, quę possit esse vlcus in pulmone, tum quia præcesserūt causę quę potuerūt hoc facere: & videtur sibi quod vena sit erosa, quia putrescit catarrhus falsus, ex quo fit corrosio: & quia vasa illa pulmonis sunt valde parata ad corrosionē, propter molliem, ideo valde probabile est quę sit ratione corrosionis. Præterea cū perseueret cum sanguine eiectio puris, est probabile quę pendet ab vlcere: quia vbi pus, ibi est vlcus: & quia sanguis ille qui expuitur, & ille qui non potuit conuerti in pus. Et sic videt esse ex vena in substantia pulmonis & pus & sanguis. Dicā ego primo, Clariss. Doct. me habere difficultatē circa hoc. Nam si esset vena corrosa, cū illę venę in pulmone habeāt plurimū sanguinis, haberemus hęc plus sanguinis. Hoc autē hęc non videmus, sed paucum sanguinem, & plurimam quantitātē catarrhi & puris. Ergo si ex eodē loco deuenirēt sanguis & pus, deberet esse vlcus magnum, & sic si esset in corpore venę, plus etiā sanguinis esset. Præterea quāuis ille locus sit putrefactus, tamen sanguis defluēs ad cor-

pus venę & locū illū nō est putrefactus, & sic sanguis apparet & in maiore quātitate, & clarus, & purior. Vnde videmus in alijs vlcerib. Venarū sanguinē effluere clarū, quia qui affluit, nondū est corruptus & putrefactus. Et sic facit mihi difficultatē, num sit ratione exulcerationis pulmonis. Est tamen pus. Dicā ego quod sentio. Primò, credo quòd illud pus sit ex catarrho descendente à capite, qui putrescit in concavitate pectoris, vel in pulmone: postea enim dicā qui locus sit affectus ex his. Ratio est, quia habuit semper catarrhum. Solet autem contingere quòd pituita à capite descendens, crassescit & putrescit: est enim sanguis semicoctus: & ita cū sapiat aliquid de natura sanguinis, & sit humidus, facilè putrescit, & magis quàm humor melancholicus aut cholericus, quia est humida, & sanguis semicoctus: sanguis autem omnium facillimè putrescit, licet putredo pituitæ non sit ita detestabilis vt putredo sanguinis. Vnde Gal. quærit, quare putredo sanguinis sit ita detestabilis. Facilius putrescit sanguis quàm pituita, quia est calidus & humidus, & ita habet causas putrefactionis suæ tam ab extrinseco quàm ab intrinseco: sed phlegma tantū ab extrinseco, quia est frigidum & humidum. Vnde etiam dicit Gal. quòd corpora calida & humida facilius patiantur putredines, quia hæc corpora subiecta sunt putredini omnis generis. Corpora frigida & humida etiā patiuntur putredines, sed non tantū. Ergo pituita etiam facilè putrescit, sed non in eo gradu, & tam intensè vt sanguis. Habuit ergo catarrhum, qui est pituita, teste Gal. 2. de facult. natur. Hoc cū sit in loco calido & humido, id est, in pulmone, & illis partib. credo quòd continuè putrescat illa pituita, & catarrhus ille descendens, & quòd non sit pus ex vlcere quodam,

quodam, sed ex catarrho ex capite descendente, & putrefactio propter motum in illis partibus. Hinc contingit, quod dum putrescit in illis partibus, habent aliquam falsedinem, ratione cuius abstergit: & addit etiam aliquam putrefactionem ipse locus, propter plurimum motum, quod scilicet quædam venæ apertæ sint potius vel relaxatæ, quàm quod sint corrosæ: & ideo etiam effluit sanguis & expuitur, interdum plus, interdum minus, prout illæ venæ plus aut minus aperiuntur ex illa materia falsa transeunte. Et sic non credo hîc esse corrosionem, sed potius apertionem quandam venarum, non magnarum, sed parvarum: unde etiam ille sanguis apparet non verè rubicundus, sed fâmosus, propter motum: & quod ita ille sanguis est ex apertione, & non ex ulcere. Et hoc de catarrho & pure fatis. Vtrum autem locus affectus sit in pulmone, an in cõcauitate pectoris, quæritur. Dico ego, ex quo video difficultatem anhælitus, & etiam difficultatē in loquendo, quod potius illa materia seu catarrhus putrescat in pulmone, quàm in alijs partibus, & faciat ibi illa symptomata: & quod locus affectus sit pulmo: & quia est falsus ille catarrhus & absterfius, ideo facit apertionē venularum minimarum in pulmone. Et sic ille sanguis provenit ab eadem causa, à qua pus: nam pus provenit à catarrho putrefacto, sanguis autem à catarrho falso & abstergente: & ita catarrhus est causa illius sanguinis qui vnà eijcitur cum catarrho. Catarrhus descendens. Sed quæritur, vtrum sit in ipso capite principaliter & per essentiam, an sit ex partibus inferioribus quæ generant continuè materiam catarrhi, & sic ille catarrhus aliunde proveniet, & non generabit in cerebro. Audiuimus quod dixit, se antea perpeffum esse affectum hypochondriacū, &

quòd fuerit semper tristis à natura & melancholicus, & multū comedit &c. Et video omnes esse causas catarrhi. Nam si est melancholicus propter passionem hypochondriacā, & omnes illi qui laborant melancholia hypochondriaca habent propriè ventriculum frigidū & hepar calidum, vt audietis cras in futuro collegio, quòd hoc semper sit necessarium in illa affectione, si aderitis. Quibus sic stantibus, habemus omnes causas catarrhi, ventriculum frigidū, & hepar calidum, auarū, quod semper attrahit chylum inconcoctum & crudum. Et cum posterior concoctio non corrigat priorem, hinc fit quòd in omnibus venis multiplicantur superfluitates, & in toto ambitu venarum. Vnde quia hepar est calidum, & venæ etiā necessariò calidæ, quia orta attestant fontis: cum humores illi crudi sint in loco calido, fiunt plurimè euaporationes. Ergo suapte natura hoc corpus fuit paratum ad hoc vt pateretur catarrhum, teste Gal. Præterea dicit se fuisse otiosum, & in studijs versatum esse: & quantum studia conferant ad catarrhum, nouerunt illi qui student. Vnde Marfilius Ficinus rectè dicit, scholares non habere hostem maiorem quàm catarrhum. Et sic non mirum si incidit in catarrhum. Et incurrit in catarrhum tempore conuenientissimo ad hoc, id est, hoc anno ineunte vere, in quo anno non habuimus ver, sed hyemem immediatè consecuta est æstas, & non credo quòd in 50. annis tale habuerimus ver, propter maximas humiditates: & ideo videmus etiā quòd plurimi hoc anno in catarrhū inciderūt. Et sic omnia conueniūt ad causas catarrhi, & dispositio corporis, & genus vite, & constitutio anni: fortasse etiam habet caput debile, quamuis ego hoc non scio: semper enim fuit timidus, propter spiritus frigidiores, & inde caput fortasse

tasse frigidum fuit. Hinc apparet etiam cur catarrhus salius sit: quia cum frigidus sit ventriculus, & hepar calidum, à quo fiunt adustiones illius pituitæ in ventriculo generatæ, & inde fit falsedo, quæ fit ex partibus adustis in substantia aquea, vt dicit Arist. in 2. Meteo. Et sic habemus catarrhum cum suis causis, locum, & materiam catarrhi. Adest febris continua, quæritur an sit accidens, vel morbus distinctus a catarrho? Dico quòd hæc febris est potius accidens catarrhi: quia dum putrescit illa pituita in pulmone, & exeat putrida in tam magna quantitate, & locus sit vicinus cordi, vnde non mirum vapores putridos ductos esse ad cor, cum aer trahatur ad cor per pulmonem, & sic etiam trahunt vapores putridi, & inde propter putredinẽ in pulmone factam febris est continua. Vtrum hectica, vel putrida tantum? Dependet à vaporibus putridis. Cum perseuerauerit hæc febris tandiu in corpore habente hepar calidum & sanguinem adustum, & propter vapores propinquos cordi, videtur quòd sit etiam in substantia ipsa cordis sic facta impressio caloris, & sic in ipso corpore cordis sit facta febris hectica: & sic credo esse febrẽ hecticam. Et habemus signa, quia incalescit post cenam & prandium, & hoc est inseparabile à febre hectica. Pulsus est valde inæqualis: primò, quia aliqua putredo: secundò, quia materia est in pulmone, ex quo semper fit inæqualitas pulsus, vt Gal. prædixit mortem habenti maximã inæqualitatẽ pulsus, cum esset adhuc sanus. & de caus. puls. lib. 2. vide plura. His ita se habentibus, præsentẽ catarrho & illo pure, si quærat a me, vtrum sit phthisis, dico quòd est phthisis, sed non propriè vlcus pulmonis, sed est illa phthisis de qua loquitur Auic. in vltima parte capituli illius de phthisi; & dicit Auic. esse quandam spe-

ciem phthisis, quando catarrhus descendit à capite, & putrescit in pulmone, ex quo arescunt corpora, & consequuntur eadem symptomata quæ consequuntur exulcerationem pulmonis. Et sic est quædam phthisis hæc affectio, sed non propriè: & tales homines sæpe obveniunt nobis in cura, & credo etiam Excell. V. sæpissimè tales habuisse: & casus ille propter quæ vocatus fui Taruisium, erat ille ipse casus, & similis huic præcise. Et notate hoc. Rarissimè curantur, & vt plurimum moriuntur, quia contabescit cor & pulmo: & credo quòd ille iuuenis habeat malam intemperiem in pulmone, ex tanta putredine contractam. Ego tamen aliquos curavi: & ne hoc per arrogantiam dictum à me esse putetis, addam etiam hoc, quòd vbi vnum curavi, ibi centum fuerunt mortui.

Aggredienda itaq; in hoc cura, sed cum prognosticatione. Cùm quibus? Exquisitis morbis, exquisita remedia adhibenda sunt. non curabitur remedijs leuibus, sed validissimis. Descendit catarrhus, catarrhum primò susterè, factis tamen prius purgationibus, si non factæ sunt, & raderem totum caput, & vesicatoria applicarem capiti, prius ex leuioribus, tandem etiam ad fortiora, vt ad cantharides, deuenirem. Puto Excell. V. meminisse, quomodo matronæ cuidam nobili laborante tali catarrho & phthisi, applicauimus etiam vesicatoria ad caput, & natura suppleuit id quod nos non potuimus facere, & caput totum obductum fuit vesicis & crustis, & sanata est ab hoc catarrho, & adhuc viuit. Ideo in hoc adulescente etiam vesicarem caput, donec fierent crustæ. Postea deuenirem etiam ad exiccationem pectoris & pulmonis, & vesicarem totum pectus: & tandem facerem cauteria circa vtrumq; brachiū, & sic vbiq; exhalaret materia, & ita desinet putredo, & fiet diuersio

uersio materiæ illius. Vnde Gal. in phthisi vera, circa pectus præcipit cauteria, vt satis expurgeat. Sed hæc non possunt fieri ante præparationem corporis. Primò igitur euacuarem corpus cum cassia & agarico: non darem scammoniũ & pilulas cochias. Postea ad expurgandũ pectus ab illa materia, singulis diebus darem oxymel cum melle ros. & sumat vna vice ad ℥ ij. Paulus dabat ad expurgationẽ pectoris, mellis ℥ ij. vna vice his qui expuebant pus. Et ego potius mel ros. darem quàm mel simplex. Adderem oxymel, propter penetrationẽ: dicit enim Mesue, & rectè, quòd facit penetrare medicinas ad partes, ad quas fortasse non penetrarent. Et Gal. sæpe admiscet suis medicinis acetum. Ergo manè acciperet vnciam vnam & semis mellis ros. & ℥. s. oxymelitis, & sumat vna vice tantum. Item loco syrups acciperet magnam scutellam iuris pulli manè, in quo iure essent decocta hordeum, liquiritia, & farfara, ad remittendam falsedinem & acredinẽ catarrhi. In reliquis parum cõfido, & credo qd si poterit curari (quod tamen nõ polliceor) sic curabit, scilicet vt vesicet caput, exiccetur pectus cum cauterijs, & fiant vesicæ & crustæ etiam.

Consult. CXLVIII. De affectione hypochondriaca confirmata, cum multis symptomatibus.



Mnia quæ sunt enarrata in hoc confesso per Excell. D. Hieronymũ, sunt integra syndrome, & concursus eorũ quæ possunt indicare affectionẽ hypochondriacam: & non simpliciter quidem ex illis, habet enim multos gradus: sed hæc enarrata indicant confirmatum hunc affectum in malitia. Et ita non simplex est

affectus, scilicet affectio hypochondriaca, sed etiã cõ-
 firmata. Verùm quia non curamus symptomata, sed
 ea solùm consideramus in hunc finẽ, vt veniamus in
 cognitionẽ morbi, quo cognito & inuento omitti-
 mus omnia illa signa & accidẽtia: nam nullũ sympto-
 ma trahit curã ad se, nisi sub ratione morbi: venio
 igitur ad affectũ & morbũ, hoc est, melancholiã hy-
 pochondriacã. Ero breuis, & procedã tantũ per con-
 clusiones. Hic affectus fit, cùm illę venę inter ventri-
 culũ & hepar inflãmantur, nõ quidẽ inflãmatione ea-
 quę phlegmone dicit & apostema, sed quẽdã *φρίγνσις*
φρίγνσις, id est, ardor quidã est, & quẽdã efferuescentia. Et
 sunt humores crudi & melancholici qui sunt in illis
 partib. & nõ trahunt ab hepate, sed ibi flatuantur, &
 inde rugitus incipit, qui postea cõmunicat ventricu-
 lo, & fit frigidior. Nam habet hoc propriũ hæc affe-
 ctio, q̃ calidior incipit in hepate, & postea frigidat
 in ventriculo: & quare hoc fit, alibi demonstrat. Hec
 igitur est propriẽ affectio hypochondriaca, quã fit
 propter obstructionẽ & inflãmationẽ abortã in illis
 venis, propter frigidum ventriculũ & hepar calidũ.
 Sed quæritur hic, num talis affectus sit verẽ & propriẽ
 in hoc viro, an sit quidem affectus similis huic, qui
 tamen eadem faciat symptomata? Nam sæpe contin-
 git, quòd sunt aliqui affectus non quidem proprii,
 sed tamẽ similes: & hoc sæpissimẽ cõtingit in curan-
 do, vt in pleuritide, quę nõ semper est propria, sed
 interdũ in musculis, & tamen affectio ferẽ similis. Itẽ
 Hipp. dicit, febrẽ causonicã etiã ex pituita falsa fieri,
 & esse causon impropriẽ sumptũ. Ita sæpissimẽ cõtin-
 gere solet, & etiã hic ita fit: nam duæ species hypo-
 chondriacę melacholię à modernis medicis & rectẽ
 ponuntur: vna est propria ex efferuescentia in venis
 hepatis, alia est affectus non ita proprius, sed qui ta-
 men

men facit seuiora accidētia, qui nō est ex effervescentia circa dextra partē, sed in parte sinistra, vbi sunt venę illę inter ventriculū & splenē, & tamen habet eadem symptomata quę solent accidere in parte dextra. Et sepe nos vidimus hūc affectū, & sic experientia quoq; testatur, præterquā q̄ describit̄ à modernis & Arabib. qui propriē hunc affectū describūt, q̄ omnes isti rugitus incipiūt in parte sinistra, & non à dextra, vt est etiā hīc. quærit̄ igitur, cuius generis sit hic affectus, an sit ratione inflammationis hepatis, & illarum venarū quę sunt inter hepar & ventriculū, an verò sit ratione inflammationis splenis, & illarū venarum quę sunt inter splenē & ventriculū? plurimū enim refert hoc ad curationē. Respondeo, nō possum iudicare nisi ex signis. Non audio q̄ afficiat̄ aliquid in parte dextra, nec habet hos rugitus & flatus nisi in parte sinistra, sub istis costis mendosis, vbi est situs splenis, & inde dicit fontē esse istorū dolorū. Et cum omnia patiat̄ in sinistra parte, & de hac sola congueratur, crediderim ego q̄ hæc melancholia hypochondriaca non sit vitio hepatis, sed ratione lienis male affecti: quia dum replent̄ illę venę inter lienem & ventriculū, tunc fiunt illi flatus. Et nullus humor est tam flatuosus quàm melancholia, & magis etiam quàm pituita. Hinc melācholici sunt salacissimi, propter plurimas ventositates, & iuuant̄ etiā ex coitu, quia illę ventositates expellunt̄. Et quamuis hic humor sit frigidus & siccus & terrestris, tamen nō ideo dicendū q̄ nō sit flatuosus, sed dicitur talis respectu aliorū humorū, quia plus habet de partib. terrestrib. & ideo cum tales agūt in illum, est rebellis vt dissoluatur, & inde conuertit̄ in flatus, & facit flatus molestissimos. Lien repletus hoc humore, refrigerat & totum corpus, & vniuersum sanguinem. Hinc & spi-

ritus fiunt syluestres, quia sanguis etiam est talis, unde & spiritus erunt melancholici. Et quia spiritus sunt proxime domicilium animæ, ita fiunt & operationes malæ. Cùm ergo & vapores multiplicentur ascendentes ad caput & ad os ventriculi, & spiritus in toto corpore fiunt frigidi propter sanguinem frigidum, hinc fit ille chorus omnium illorum symptomatum quæ patitur. Habet vnum insigne quod est considerandum, & est hoc, quòd non potest concoquere nisi ligetur, & strictè: nam teste Gal. 3. de caus. sympt. cùm ventriculus non continet cibum, tunc sequunt ventositates: nam continet flatus cùm non stringitur: nec cõstringitur, quia plurimi flatus. Unde & ipse doctus ab experientia, quæsiuit remediũ doctum à natura: & sic cùm ligatus est ventriculus, melius complectitur cibum. Credo quòd hoc symptoma oriatur, quia ventriculus non bene continet cibum, & non amplectitur, propter flatus. Plurimũ sputum ex ore mittit, & variorum odorum & diuersorum, pro diuersitate concoctionis: quandoq; etiã putrescunt cibi in ventriculo. Et cùm ille flatus in ventriculo semper detineat humidum aliquod, semper est sputum tale: nam ille flatus eleuat illos humores. Et ideo dicebat Gal. quòd nõ potest aliquid exire ex ventriculo nisi per illa tria, vomitũ, eructationem, & flatum: & quia plurima materia cõgregatur in ventriculo, propter obstructionem in liene & frigiditatem: nam lien interdum refrigerat non solũ ventriculum, sed etiam hepar, adeò vt sequatur hydrops, vt scribunt Doct. tantũ propter cõsensum splenis. Si igitur tanta est refrigeratio lienis vt trahat in cõsensum hepar, multò magis infrigidabit ventriculum, qui magis est paratus ad lapsum frigidum. Et hinc generatur in ventriculo propter frigiditatẽ

ditatē plurima pituita, quæ suspendit à flatu: & hinc est illud sputū. Vapores melancholici ascendunt ad caput, & causant illam tristitiā, vt patet ex Gal. Præterea cū in hoc corpore sint spiritus tenebrosi, generati ex sanguine frigido, qui sparguntur per totū corpus, & sic infrigidat etiam totū corpus, & fiunt malæ concoctiones, & hinc est illa macies, & dispositiones illæ impetiginum, siue alphi, siue morphea, quocunq; nomine appellare voluerimus nihil refert, quia non generatur sanguis bonus, sed corruptus. Et sic patet quòd series omniū illorū symptomatum sequitur ex illa ægritudine quæ est in liene: & si quæ à nobis ommissa sunt symptomata, hæc omnia eò reduci debent, tanquam ad causam. Hæc autē ægritudo in liene est duplex: prima est in complexione, quia lien est frigidus: secunda est in compositione, quia sunt obstructions, vt motu percipi potest. Et sic locus principaliter affectus, est ipse lien, qui ita affectus in consensum trahit & reliqua membra: & credo etiam quòd propter lienem hepar non generet bonum sanguinē, & sic afficitur ex liene & hepar. vnde omnino credo quòd hæc hypochondriaca melancholia nō est principaliter in hepate & suis venis, sed in liene & suis venis. Et hoc satis de natura huius morbi & symptomatibus, quæ omnino independent. CVRA. Hac ægritudine curata, curabūtur etiam omnia symptomata, vt rugitus, macies, morphea, sudor &c. An possit curari? Clariss. D. quamuis ille morbus & affectus ratione splenis faciat maiora accidētia quàm qui est ratione hepatis, tamen dico quòd facilius curatur quàm ille, quia nō est in hoc morbo affectum aliquod membrum principale, licet etiam hepar patiat per consensum, nō tamen principaliter: & credo si possemus curare lie-

nem, & aperire suas obstructions, quod non esset magna dyscrasia hepatis: nam non est magna læsio hepatis, quantum ad frigiditatem, quia non est tumor pedum, ut solet esse in illis. Et nunc habeo quendam nobilem qui laborat hac affectione hypochondriaca cum rumore pedum, & est propter frigiditatem hepatis factam ex frigiditate lienis. Nec sunt in hoc casu signa alicuius caliditatis insignis, sed sunt signa humoris melancholici illius qui est sors sanguinis: & semper tales humores sic generantur prout est intemperies membri affecti: nam quodlibet ita operatur & concoquit, prout est sua temperies. Præterea lien est durus, ergo erit ægrotudo longa. Tamen si potuerit pati, & curam, & omnia alia quæ erunt agenda, poterit curari, & si non ita integrè, tamen ita ut non pigeat vivere. Sed cum quibus? Si vellet recipere aquam balnei, dicerem quæ essent facienda ante balneum. Si verò non vult, longè aliter de cura eius mihi dicendum est. Ego omnino exhiberem. Sed est gracilis, & exiccatus. Dico quòd hoc non debemus timere: nam etiam sine illis aquis exiccabitur, & longè magis. Imò & decoctum ligni exhibemus semitabidis, quia remouemus causam illius gracilitatis, deinde incipio melius nutrire corpus, & sic possumus dicere quòd lignum faciat pinguedinem per accidens, scilicet remouendo illud quòd faciebat gracilitatem. Ita hic est quidem gracilis, sed tollendæ sunt causæ gracilitatis, & corroborandus ventriculus. Et longè maius est iuuamentum in remotione obstructionum in hoc balneo, quàm nocentum in exiccando. Atqui si aqua hæc non educeret, sed hæreret in hypochondrijs, non darem ego: sin egerit, si mouet sudorem, si vrinam, vellem vti. Et hæc aqua educit multum de atrabile. Si vellet assumere, ante aquam aliquid facerem, & post

& post assumptionem aquæ possemus iterum colloqui de rebus eius, quia nescio quomodo se habebit post balneum. Ante balneum vellem euacuare corpus, & statim cras manè darem cassiam cum hiera, vt consueuimus: deinde darē syrupos incidentes cum oxymelite, de cichorea, & in tribus diebus darem cassiam cum ʒ.ij. agarici, pro euacuatione corporis. Facta hac, accederet ad balneum: & instat nunc tempus. An secunda vena? Non video tam magnā imbecillitatem quo minus liceat incidere venam: licet enim non habeat multam carnem, tamen habet multum sanguinem, & malum, quod apparet ex tumore venarum: & sic emisso sanguine malo, fortificaretur natura à sectione venæ, & euacuaret malus sanguis, & reliquum posset melius concoquere & vincere.

Consult. CXLIX. super eodem adolescente nobili, an sit mittendus ad balnea.



Vamuis hæc materia diligentissimè fuerit à me pertractata, tamè vt satisfiat magnifico patri volenti audire dispositiones filij sui, ego breuibus explicabo sententiam meâ magnificentiæ suæ. Cùm sit triplex species melancholiæ, teste Gal. in locis aff. qua affligit homo: vna, quando caput tantû per se patitur, & redundat in eo humor melancholicus, vnde afficit tristitia, & alijs affectionib. melancholicis, totû autè reliquû corpus est immûne. secûda species est, quâdo non solû caput, sed & corpus vniuersum redûdat humore melanchol. ita vt totus sanguis sit eo humore infectus. tertia species est, quæ dicit affectio hypochondriaca, nõ q̄ sit in venis aut capite, sed fit quâdo vapores ascendût ab vtroq; latere ad caput, & ita

inducunt tristitiam, & difficultatem anhelitus, & cetera symptomata melancholica, secundū quod hic morbus est maior vel minor. Hic quærit nūc, vtrum hic adolescens patiatur vnam speciem tantum, aut duas, aut omnes? Primò suppono, quod non est tantum affectio hæc in capite: & hoc est manifestissimū. De alijs duabus dico, quod patiatur vtranq;: nec frustra dico hoc. Primò, quod hoc corpus redundat humore melancholico in omnibus venis, testantur primum illæ maculæ (seu escharas seu pustulas appellatione velimus, nihil refert) hæc indicabunt humorē melancholicū. Et quod fuerit melancholicus constat, quia accessit quartana incipiendo, quod non potest esse ex alia causa nisi ex abundantia humoris melancholici: vt omittam alia signa, nam fuit intentus curis studiorum, & diligentissimus in studijs, & perpetuò cogitauit. Sed hoc est extrinsecum, & ferè semper ita est, quod ea quæ extrinsecus accidunt, si inueniant dispositū corpus, facile id ipsum afficere & mutare possunt. Intrinsicum est hoc, quod habuit à principio generationis hepar valde calidum, & etiā fortè ipsum cor: & ex his factū est totum corpus calidum abundanter. Et hoc indicat etiam augmentū illud repentinum & magnum: nam calor fortis cum inuenit & habet materiam aptam extensioni, facile illam superat & concoquit. Nam licet cōplexio eius naturalis in origine sit calida & sicca, tamen in prima ætate fuit humidior: & quia illa ætas est humida, & illa humiditas potuit obtundere calorē, ergo cum in illa ætate fuerit humidus, & calor fortis, ideo optimè nutritum fuit hoc corpus, quia affuit & agens, & etiam materia conueniens fuit agenti. Et videmus etiam experientia, quod pueri melancholici in principio celeriter augentur & crescunt, propter fortitudinem

tudinem caloris agentis in illud humidum, quod est proprium illi ætati: sed non diu permanet illud augmentum, & fiunt graciliores propter tenuitatē caloris. Et ita in hoc adolescente illud repentinum augmentum indicat mihi calorem magnum. Item habitus corporis, habet enim venas amplas, calorē subnigrificantem, qui indicat caliditatem sanguinis. Nam sanguis cum exit ad cutem, facit colorē cutis. Et ita ex hac coniectura patet hunc iuuenē habuisse à principio ætatis hepar calidum, & hoc adurit sanguinē, & hi homines sunt apti vt adurāt sanguinem. Vnde Gal. dicit, qui sunt calidi & sicci, tempore paracrafticæ ætatis fiunt melancholici. Sed iste iuuenis præuenit hoc tempus: habuit ergo naturalem dispositionem ad humorem melancholicū: & accessit studium, & curæ, & multæ cogitationes, vnde magis est exiccatus sanguis, & corpus affectū: nam curæ (quæ dicunt quòd cor vrant) primò inflammant sanguinem, licet postea in frigidēt, resoluta toto humido, & cum hoc etiā omni calore, & inde aucta est illa dispositio. Et fortè etiā bibit vinū vetus, vt solent Veneti nobiles bibere maluaticum, & comedit aromata, multū se exercuit. Sed hæc quæ diximus sufficiūt, & fuerint satis in causā ad sciendum affectum illum quem nunc patitur. Hęc quo ad coniecturas, quibus ego colligo hunc iuuenem repletū esse humore melancholico in toto corpore & venis, & sic laborare secunda specie melancholiæ. Tertia species melancholiæ est, cum fiunt obstructions circa illa viscera, siue sita in latere dextro: & hæc dicitur propriè affectio hypochondriaca à Galeno: vel ex latere opposito, & hæc species est etiam valde frequens: & quandoq; etiam in vtroq; latere contingit, & hoc est deterius. Hæc tertia quæ est? an propter inflammatio-

nem extantem in venis hepatis, an propter ebullitionem factam in venis splenis? Dico, ubi dolor, ibi aegritudo: & in utroque latere percipit flatus, ut nunc audio, signum est quod in utroque latere sunt obstructions: & si magis in latere dextro, signum quod maior obstructio est in hepate & eius venis. Ergo prima ratio illius melancholice hypochondriacae & tertiae huius speciei est, ut sint ibi illae materiae in venis, quae efferuescunt propter obstructionem, & hinc fiunt flatus. Ex his sequitur necessario frigiditas ventriculi, quia hepar calidum indeficienter attrahit, & attrahit chylum inconcoctum, & sic non potest eum conficere: unde per totum corpus multiplicantur humores crudi, quia concoctio secunda non potest corrigere primam, & sic ille humor crudus auget flatuositatem melancholice. Et cum hepar adurat sanguinem, & multiplicet humor melancholicus, hinc cum superest, & non potest recipi & concoqui a liene, obstruit lienem, quia lien nimia copia illius humoris suffocatur, & non potest conficere totum nutrimentum, & ita obstruitur. humor vero qui non potest confici, redundat & regurgitat in totum corpus: & sic haec duae species melancholice se inuicem consequuntur, & secunda species nutrit & fouet tertiam, & tertia secundam, & sic fit circulus: & cum est circulus in causis, efficitur difficillima cura. Et quia splen repletum humore melancholico est frigidum, ideo solet infrigidare hepar: nam saepe ex splene refrigerato ita infrigidatur hepar, ut sequatur hydrops, ut vidimus hodie in D. Benedicto, qui laborat affectione hypochondriaca, atque ita infrigidatum est hepar, ut secutus sit tumor pedum. Hic autem iuuenis nondum devenit ad illum gradum, quia humor nondum ita collectus, neque affectio splenis ita inualuit, ut possit com-

fit cōmunicare nocumentum hepatis, cōmunicat tamen ventriculo, & hinc illud sputum, vt iam saepe dictum, & alia, &c. Et hinc etiam est illa astrictio alui, quia dum humor melancholicus multiplicat, transit ad ventriculū, & etiam ad intestina descendit, & ibi flatuatur, & sic sua flatuositate suspendit fēces, & inde aluus astringit. Præterea bilis quæ solet naturaliter ab hepate per porum felleum ad intestina peruenire, & ea abstergere, & excitare virtutem expulsivam, non peruenit eò, propter obstructionem illius pori, & inde intestina illa non possunt abstergi: & sic non fit hoc officium bilis, ad quod à natura ordinata erat: & inde aduruntur illæ fæces, & fiunt squibala tanquam pilulæ caprarum. Et hæ sunt ægritudines & accidentia huius adolescentis. Patitur ergo duas melancholias, & in toto, & in hypochondrijs: & hoc valde aduertendum, quia nō patitur simplicē affectū, sed duplicatū. De prognostico. Dico ex sententia Gal. vt & antea dixi, in quibuscunq; generatur melanch. hypochon. in omnib. prolongat, & sic suapte natura est longus hic morb. Et quia est circulus, vt dictum est, vnde difficilis erit curatio. Quo ad curam. Proximè satis dixi, & replicabo vnum quod tunc temporis dixi. Nulla maior perniciēs horum, & quod inducit in incurabiles ægritudines, quàm multiplicare pharmaca: & vos videbitis, quanto magis exhibebit Excell. V. illa medicamenta, tanto deterius habebit. Sint itaque placidissima remedia, & sine violentia procedendum. Proponitur vnum, vtrum debeat accipere aquas Apponitanas, quia curam aliorum dixi proximè, & post assumptū balneū dicam etiam aliqua de ea. Et dico ego quòd omnino debet accipere hanc aquam: nam habet sulphur, alumen, cinerem, & calcem, & hæc possunt ape

rire, quam apertionem maximè quærimus, & hanc maximè præstabit nobis aqua. Sulphur aperit, & educit etiam humorem melancholicum. Et vidi in quadam nobili Domina, ex quaeducta est maxima copia humoris melancholici per potû huius aquæ Ap-
 ponitanæ. Item corroborat & ventriculû: & in hoc generatur pituita, & sic etiam ventriculo cõueniet. Vnde credo huiuscemodi aquam profuturâ magnopere, dummodo exeat. Si videatur inflammare, quia hepar est calidum, potest inungi hepar, & circa dorsum, & exhiberi zuccharum ros. & alia ad prohibendam nimiam calefactionē hepatis: sed non accipiat magnâ quantitâtē vna vice. Patres nostri accipiebât maximâ quantitâtē, vt 30. aut 40. cyathos, & ita magis debilitarunt & obruerunt vires. Calor innatus est qui dirigit medicamenta, qui non est suppressendus. Ego darem per 15. dies in modica quantitâte: quia primi dies præparant, & vltimi proficiēt: & cõfido proculdubio quòd melius se habebit.

Consult. CL. De catarrho, cum affectu quodam melancholico.

EX relatione nostri Hebræi comprehendendo duo. Primum quod noto ego, est, quod habet aliquam dispositionem ex parte rei, & non ex imaginatione: & est quòd patitur defluxum catarrhi, qui veniens à cerebro ad partes diuersas, facit diuersos dolores. Huic dispositioni possumus credere. Postea patitur passiones quasdam imaginarias, quas non patitur ex parte rei. Dicam primò de catarrho. Cause catarrhi fuerunt fortis, scilicet procatarrhicæ, cum fuisset in balneo illo, & tunc incepit ille catarrhus. Hęc fuit quidem causa
 hepar

fa primitiua: sed multa dederūt occasionē huic cau-
 sã primitiua, vt commoueret antecedentes: nam &
 hepar est calidum, & ventriculus habet frigidũ, &
 hæc diuersitas est valde dubia in conseruatione sani-
 tatis. Et quando est hepar calidũ, & ventriculus fri-
 gidus, facillimè multiplicat̃ catarrhus. Nam in ven-
 triculo frigidus cibus non concoquitur: hepar autē
 auarum propter caliditatē igneam trahit humores
 hos crudos etiam ante tempus, & sic plurimi humo-
 res crudi distribuuntur per venas, quia secunda con-
 coctio non corrigit primam & præcedentē, & sic fit
 necessariò euaporatio ad caput. Hinc omnes illi qui
 habent ventriculũ frigidum & hepar calidũ, semper
 habent repletũ caput, & hi etiam facillè patiuntur af-
 fectionem hypochondriacã. Hæc est naturalis eius
 dispositio, quam facillè mouent causæ externæ: solet
 enim comedere plurima, quæ possunt aggregare hu-
 mores crudos. Et causa illa procatarrctica quæ fecit
 vt deueniret ad actum catarrhi, ad quem naturali-
 ter dispositus erat, fuit istud balneũ: nam ex isto bal-
 neo colliquati sunt humores: & illa vinipotatio Ger-
 manorum maximè replet caput, quia resoluunt hu-
 mores, & fluere faciũt congelatos à frigore. Hic igi-
 tur catarrhus cùm ita inceperit, semper ita durauit.
 Nam videmus in illis fluxibus, quòd cùm semel in-
 cipiunt, semper postea illam partē afficiunt, vel quia
 illa pars facta est imbecillior, vel quia ita consuevit
 natura, vel qualem causam velimus reddere. Et sic
 etiam videtur contigisse in hac parte. Vtrum sit in-
 sectio Gallica? nam dolor est circa crura & perio-
 stium, qui locus videt̃ esse proprius morbi Gallici:
 nam per hoc signum distinguuntur dolores Gallici,
 à doloribus articulorum, quia hi sunt in iuncturis,
 dolores autem Gallici sunt inter iuncturam & iun-
 d d d

eturam. Item deciderunt pili ex supercilio. Hæ sunt quidem coniecturæ, non tamen habent aliqua signa certa. Hæc signa nõ possunt nos inducere quòd fuerit morbus Gallicus, sed solùm fuit ille catarrhus, qui occupat partes istas diuersas. Quo ad affectum melancholicum, quia multa imaginatur sibi quòd patiat morbum Gallicum, quem tamen non patitur: ego credo in tali habitu esse humorem melancholicum, tum quia totum illud genus Hebræorũ est ferè melancholicum, tum quia sanguinẽ habet crassum, & hepar calidum. Et sic nõ est omnino expers ab affectione illa hypochondriaca, quia habet hepar calidum, & ventriculum frigidum: & si non patitur melancholiam hypochondriacã, incipit fieri, & habet per totum ambitum humorem melancholicum. Hos duos affectus vt tollamus, quid agendum? Ego vellem omnino dare aquam balnei, quia habet catarrhum, & habet dolores circa vniuersas partes corporis. Catarrhus est frigidus, & occupat omnes partes corporis, & sic non est omittenda occasio illa, & est etiam tempus. Manè darem minoratiuũ, item syrurupum, vt oxymel, cum aqua betonicæ, saluiæ. Euacuarem cum confect. hamech, vel pilulis aggregatiuis, cochijs &c. Purgato corpore, statim mittat ad balneũ. Fortè etiam hepar cum aliqua missione sanguinis possimus purgare ab humore melancholico. Aqua illa corroborabit ventriculum, & distribuatur per venas, & corroborabit totum corpus, & sic & iuncturæ & musculi corroborabuntur. Euacuabit etiã hæc aqua per sudorẽ humorẽ melancholicum, vt ego experientia obseruauit. Et vidi multos qui ex vsu harum aquarum incœperunt nutriri, & accipere bonum sanguinem, cum antea essent extenuati, non quidem per se propter has aquas, sed per accidens, quia scilicet

et euacuabatur humor melancholicus & siccus. Et sic etiam propter humorem melancholicum conuenient hæ aquæ. Post balneū si adhuc esset catarrhus, ponerè cauteria pro diuersione, ne ita vapores ascendere possent ad caput, & fiant circa vtrunq; crus. Postea accipiat semper per interualla aliquid, ne aggregentur humores, vt sunt pilulæ ille de tribus, quas maximè laudo ad hanc intentionem.

Consult. CLI. De epilepsia pro puero.

Est valde verendum ne incidat in epilepsiam, nam habet caput dispositum ad hanc, quia est humidū, & prosternit sine causa, qui videtur esse quidā motus epilepticus. Abstineat omnino à vino, bibat aquam decoctam cum cinnamomo. Item decoquant timentilla, pæonia &c. quæ confortant caput & ventriculum, ne vapores transmittantur ad caput ex ventriculo. Utatur frequentissimè agarico, & faciat hoc sibi familiare, vt euacuetur caput, & accipiat ʒ. s. agarici. Et sic procedatur vsq; ad annum 15. quia mutatione ætatis fortasse curabitur hic morbus. Quòd si perseveret, fiant cauteria non solùm in cruribus, sed etiam in brachio. Caput etiam abluatur cum pæonia, agarico, betonica. Item fiant pulueres ex maiorana, sandaracha, betonica, & similibus, quib. solemus vti ad exiccandum caput in his & similib. morbis, & addatur etiam ladanū contusum cum his puluerib.

Consult. CLII. De surditate.

Vm patiatur integram surditatē, in hoc firmabo sermonem meum. Huius causa & ratio est inquirenda, quod quidem est symptoma. Cause verò sunt plures. Principales sunt, vel enim vitium est in ipsa virtute, quæ

transmissa à cerebro est principiū omnium sensuū: vel in instrumento: & hæc sunt duo, neruus auditorius, & ipsum tympanum, id est, pellis illa vel membrana extensa. Obstructio autem est in poro extrinsecō, per quem transit aër, & patet facile: aut in poro intrinsecō. Primò dico quod vitium non est in virtute, nam si illa facultas pateretur, etiam alij sensus paterentur: nam hæc cōmunis est, & est vna virtus quæ audit, videt &c. & est in sensu cōmuni vna tantum. Ergo vitium erit in instrumento. Sed an in neruo auditorio, an in tympano? Dico ego, nec in neruo auditorio, nec in tympano esse vitiū. Nam si in illis principalibus & immediatis instrumentis auditus esset illa læsio actionis ablata, integrè non perciperet aliquid omnino nec extrinsecus nec intrinsecus: vt si quis prorsus nihil videt, nihil nec extrinsecus nec intrinsecus videt. Multò magis sic est in auditu. Nā si neruus & tympanū illud ita essent infrigidata vel læsa & obstructa, vt nullo modo posset trāsmitti virtus, nihil omnino audiret nec intus nec extrā. Sed ille vir non omnino priuatur omni actu audiendi, quia intrinsecus audit, percipere enim se dicit tinnitus, & facultas iudicat de illo tinnitu: quod non fieret, nisi illa repercussio fieret in tympano, & neruus auditorius haberet aliquam vim, qua posset deferre speciem illius status ad sensum cōmunem. Ab extrinsecō nihil percipit, nullum strepitū, etiam magnū. Est ne læsio in extrinsecō meatu? Ergo dicendū quòd fit vitium in extrinsecō meatu, qui est penitus obstructus, per quem non potest pertransire species auditiva. Sed videtur ne? Dico, quòd illa obstructio non videtur nisi sit valde extrinseca, & meatus ille tortuosus est, imò quandoque vermes incidunt in meatum, qui nullo modo possunt videri. Et ideo nō videtur,

videtur, tamen adest illa materia in meatib. profundioribus extrinsecis. Et sic est necessarium per sufficientem diuisionem, quòd causa huius ablati auditus sit in meatu extrinsecò, quia nullum aliud est instrumentum. Si non hoc, nec illud, ergo hoc. Hic affectus & actio læsa in hoc meatu, unde est? Est morbus, qui est affectus à quo proueniunt actiones læsæ prouentu primo. Nunquid complexio mala, an mala compositio, an solutio continui? Potest esse complexio mala introducta, tamen ego non video signa malæ complexionis, sed est obstructio integra, & ex hac facta est integra surditas: & sic est morbus in cõpositione, in via scilicet. An sit cum mala cõplexione vel non, hæc mala compositio, nõ ausim ego pronunc affirmare. Quæ materia? Perseuerauit hæc obstructio iam per tres menses, & non fuit mota materia: ergo non dicendum quòd sit calida & subtilis: & regula est, quòd omnis morbus etiam à principio à calida materia dependens, tractu temporis fit frigidus, vt in omnibus chronicis morbis experimur. Ergo est ibi materia quieta & permanens ac fixa in loco, ergo crassa & frigida. Sed duæ sunt materiæ crassæ & frigidæ, pituita & melancholia, loquendo secundum dominium, quia rarò inueniuntur materiæ simplices. Dicam quod sentio, vt de morbo etiam dixi. Credo quòd materia sit melancholica, & non pituitosa, & habeo huius rei meas coniecturas: primò, temperaturam totius corporis: secundò, causas quæ præcesserunt: & tertio ipsa symptomata. Primò temperatura totius est calida & sicca, & talis est ipse, si quis alius: & hæc adustio fit ab immoderata caliditate hepatis & cordis. habet musculos amplos, pulsus validus est & velox propriè, color subniger, pili nigerrimi, crassi, adusti: hæc omnia indicant insignem

caliditatē hepatis & cordis, vnde generatur sanguis melancholicus & adustus, & maximē tempore parac mastices, vt dicit Gal. in quo nunc est. Præterea habet cerebrum præparatum ad hoc, nam est naturaliter calidum & siccum, quod patet ex operationibus & studijs & moribus animi: quia in perpetuo motu, semper varia cogitat, pili nigri & adusti in prima ætate, & habet caliditatem & amplitudinem venarū circa illam partem, & patitur vigilijs, & non redundat superfluitatibus: & talia corpora redundant maximē humore melācholico, Et in hoc viro maximē circa caput abundat hic humor, quia perpeffus est etiā aliquas imaginationes melancholicas, vt audiui-
 mus, quòd semel putauit cū spatiaretur in villa, aliquem esse qui vellet eum comprimere retro: & hæc sunt signa manifestissima melancholiæ. Item vigiliæ, quæ indicant humorem siccum & frigidū: & humor melancholicus occupās caput inducit vigilijs, quas nunc etiam patitur. Et hæc sunt signa humoris melancholici, & non pituitosi: & ita materia magis melancholica est, faciens hanc obstructionē ex prædominio. Dolorem coxendicum dico esse à pituita, & non est mirum, quia ventriculus est frigidus, & est secundū rationem rectam. Humores adusti ascendunt ad caput cum vaporibus: & pituita, quia grauis & frigida, per vias ampliores decubuit ad coxas. Et quia humor melancholicus maximē est flatuosus, & magis quàm omnes alij, inde facti vapores, & ille dolor capitis, & hinc etiam vigiliæ. Quòd si humor pituitosus ascendisset, habuissemus signa pituitæ, quæ semper vertitur in catarrhum, si potest extendi, quia hæc est materia propinqua ipsi blenæ, & sic descendisset per nares, per palatum, & si nō fuisset excreta, sopores effecisset, & aliorum sensuum diminutionē.

Sed

Sed signa hæc non videmus, ergo magis à melancholico humore. Ergo ex symptomatibus & temperatura & causis, crediderim ego quòd humor obstruens sit melancholicus à prædominio. Est quidem & pituita, quia raro humor simplex: & cùm ventriculus sit frigidus, non possum negare quin etiam ascendat pituita, sed humor melancholicus dominatur. Et hoc de morbo, & causis illius, & symptomatis. Causæ repletionis capitis, & doloris, & grauitatis, & tinnitus ac surditatis, quæ? Dico omnia esse à causis intrinsicis, quia hepar calidissimum, & etiam secundum totum ambitum venarum calidus est: & qui habent hepar calidum, semper sunt subiecti dolori capitis, teste Galeno, tertio de locis affect. propter plurimos vapores ascendentes à toto ambitu: & caput etiam calidum attrahit, & aliquo modo facit ad attractionem, & aliquo modo etiã ad resolutionem & distillationem materiæ. Et ita, cùm adhuc fuit iuuenis, quia materia distillabatur, non fuit ita affectus dolore capitis: tandem obstructis poris cùm gessit galeam, quæ est frigida, non potuit fieri distillatio illius materiæ, quæ euaporauit ad caput. Itẽ in Foroiulij sunt multe boreales constitutiones. Porrò & ratio ætatis ac temperaturæ hoc docet: iuuenes enim habent humores subtiliores, quia inflãmantur, & sunt in fieri: post paracasticam verò ætatem materia iam est adusta & inflammata, & facta crassior, & sic vapores eleuati à materia crassa & adusta non potuerunt ita distillari, itaq; materia est translata ad membrum debilius, & hæc materia semper fouet: nam hoc est perpetuum, quòd omnes superfluitates quæ multiplicantur, recedunt ad locum affectum & debilem. Et inde dolor coxendicũ, quia pituita generata in ventriculo, per vias amplas decubuit in partem infirmam, & deue-

nit etiã materia ad neruos sensitiuos, & inde factus ille stupor quem habuit, quia illi nerui sunt infrigidati. An mala complexio? Fortè non est introducta adhuc in cerebro aliqua mala intemperies, quæ sit frigida, licet sint ibi humiditates frigidæ: & sic non credo esse factam essentialiter læsionem in cerebro, sed tantũ illa materia ex inferioribus deuenit ad illum locum, quia habet adhuc omnia signa illius calidæ & siccæ temperaturæ, vt sunt vigiliæ, & caliditas ad tactum: & sic non possum dicere esse ibi intemperiem vel naturalem vel aduentitiã cerebri frigidam. An possit curari? Licet scimus surditatẽ cum perseuerat post sex menses curari non posse, tamen ego sæpe vidi curatos post tres aut quatuor annos, & perfectè ideo distinguendum. Si intemperies est in tympano & neruo confirmata, dico quòd non recipit curationem, quia neruus est frigidus & siccus, & tympanum seu membrana illa est etiam frigida & sicca. Cũ autem natura omnia sua opera faciat mediante calore naturali, si in his membris introducatur intemperies frigida, extincto omni calore rarò curantur. Et videmus quòd quando morbi occupant membra frigida & neruosa, difficilè curantur: & quando materię sunt fixę in illis membris neruosis, nõ possunt curari omnino. Et si ille neruus est intrinsicus, & tympanum illud male affectum, non possumus adhibere remedia, vt rectè Pellocatus dicebat: & sic tum ratione loci, tum ratione naturæ illorum membrorum, nõ possumus curare talem affectum, vel talem surditatem. Sed quando est obstructio in partibus extrinsecis, semper tollitur surditas, licet durarit per decem annos: sed non qualibet obstructio, solũ ea quæ obtinet extimam partem illius meatus extrinseci, & etiam cum non est crassa,
& si

& si est crassa, modò sit per congelationem, & non per calefactionem. Dico quòd hæc obstructio est in profundo, quia non videt, & sic ratione loci erit cura difficilis: & ratione materiæ etiã erit cura difficilis, quia nõ est per cõgelationẽ, sed per calefactionẽ ex humore melácholico. Vnde illa medicamẽta efficacissima & calidissima data à D. Iulio & adhibita, nihil effecerunt: & imposuit in aurẽ validissimẽ colliquantia, & tamen non potuit colliquari, quia materia illa faciens hanc obstructionem & surditatẽ, non est colliquabilis, & non obedit illi calefactioni, sed est melancholica cõpacta, & sic non obedit nisi cum maxima industria applicetur, & sic tum ratione loci, tum ratione materiæ, erit difficilis cura: & propter ea quæ dicta sunt, credo quòd poterit curari, sed cũ difficultate non parua. Cum quibus? Dicã quod sentio. Omnino indiget duabus principalibus. Primũ, vt materia ea quæ facit morbum, & tenet se sub forma causæ antecedentis, remoueat, quæ est circa ventriculum & hepar, & ne ascendat ad caput. Secundũ, vt illud quod factum est ibi, actu remoueat. Quo ad primum, euacuatio nõ est tentanda vno impetu, quia licet euacuetur materia, tamen intemperies illorum membrorũ manet & augei: & sic quia habet intemperies, ratione quarum continuẽ generantur humores, ideo victus instituã bonus, ne aggreget excrementa. Postea continuẽ materia remoueat & diuersione & euacuatione, & prohibendo ne fiant obstructiones, quæ fiunt maximẽ in ventriculo frigido & hepate calido. Ex aloẽ, agarico & rhabbaro, & potest addi aliquid epithymi & myrob. fiant pilule, quibus poterit vti ter aut quater in mense. Et hoc esset vnum. Item maximẽ laudarem cauteria ad humeros, quæ facerent deriuationem, & etiam circa

tibias, si non sufficit, vt sic materia antecedens prohibeatur. Postea nollem purgare caput, quia est siccum & calidum, & sic non tentandum, si modò tollatur illud fomentum inferius: & licet sit ibi materia in cerebro, tamen illa facile tollitur, nam est passio in sensibus, & non in cerebro aliquis affectus, aut alia qua intemperies præter naturam: & ideo nollem tentare caput, modò materia antecedens non ascenderet, facile enim caput sanabitur. Et sic nihil facerem pro capite, nec sternutatoria, nec gargarismata, multò minus stillicidia, nec quicquam aliud. Quo ad aurem & morbum factum, credo quòd aliquid sit faciendum, & credo ego quòd cauendum sit ab omnibus exiecantibus & calefacientibus tanquam à peste, quia cum his faciemus illam materiam gypseam: & ita haud dubiè indigebimus lubricantibus & humectantibus & calefacientibus in gradu primo, vt fomentis & traiectorijs, sed non cum aqua balnei, sed cum mollientibus in primo gradu, vt sunt chamomilla, malua, althæa, liquiritia, & omnia calida & humida in primo, & ex his fieret decoctio, ex qua fiat euaporatio ad aures, & cum alijs euaporationibus, vt oleo amygdalarum dulcium, chamæmelino & althæa, vt locus emolliatur. Vellem semper addere aliquid croci, quod emollit, sed intensius, sicut & myrrha, bdellium, & alia quæ sunt in secundo gradu emollientia: sed magis ad mollientia in primo gradu declinarem. Et hæc puto sufficere pro curatione huius viri: & non fiant hæc vno aut altero die, sed semper & multo tempore. Item facerem linimentum ad partes extrinsecas circa auram cum emollientibus, nam longo successu temporis etiam hæc deuenirent ad locum affectum. Abstineat ab omnibus stillicidijs, & aquis calidis. Ratione vetriculi de quo
con-

conqueritur, posset potare illas aquas in modica quantitate, defendendo hepar & renes, ne calefiat totum corpus.

*Consult. CLIII. De dolore in brachio,
ex præseruatione ab apoplexia.*

Ruerendissimus Antistes sibi cõsulere cupiens, quærit non tantum curationem symptomatum quæ iam patitur, & quæ tamen leuia sunt, sed etiam tanquam vir prudens, quomodo possit præseruari: videt enim hæc symptomata esse prænuncia sæuarum ægritudinum, & in hoc rectè & sapientissimè iudicat. Considerandus habitus corporis istius Domini, & symptomata, quæ sunt prænuncia futurarum ægritudinum. Dispositiones præter naturam quas nunc patitur, sunt leues: patitur enim brachium dextrum leuem quendam dolorem, imò non est dolor nisi cum facit insignem motum. In reliquis non laborat: & ideo non multum curat quod nunc est, sed quod futurum. Conqueritur etiam de grauitate aliqua auditus in parte dextra. In reliquis nihil habet præter naturam, bene dormit, bene comedit, egerit, & exercet operationes omnes inculpatas. Dicebat quidem se habuisse quædam symptomata circa ventriculum, sed nunc nihil conqueritur. Sunt tamen hæc symptomata consideranda, & redigenda in suas causas, quia sunt prænuncia grauiorum morborum. Primò dolor in brachio. Locus illius tristic sensationis est varius: primò est periostrium, id est, membrana continens os illud inter iuncturam & iuncturam, qui dolor est necessariò in membrana: nam os non sentit. Item percipit dolorem in ytraque iunctura. Causæ quæ? Hic non est abscessus,

non est solutio continui: ergo in cōplexione est morbus. Sed morbus in complexione est duplex, cum materia, & sine materia. Audiuimus à Reuerendissimo, quemadmodum consueuerit vti regione calida, in quarto scilicet climate, sed etiam in situ prope mare. Accessit in sextum clima, imò in finem sexti climatis, scilicet Tridentū, vbi mutauit aërem per duo climata: sed etiam situm planè contrarium, quia Tridentum est maximè borealibus ventis expositum, & regio sua est exposita Zephyris & meridionalib. ventis, & ita aër Lusitanus est totus contrarius aëri Tridentino. Hic aër multum potuit in corpore præparato, id est, simili. Et licet aliquam habuerit lassitudinē ex alapis sæpe replicatis in cōfirmatione, tamē quia per vndecim postea dies sequētes semper fuit sanus, ideo non credo ego eam debilitatem esse factam propter illū motū, sed potius propter aërem. Nam semper vnā partē magis exponimus aëri frigidō quā aliam, vt fieri solet: & sic illud periositū & membrana quia frigida, facillè potuit affici & lædi ab aëre frigidiorē & insueto, & in habentib. symbolum facilis est transmutatio: & sic credo quòd sit facta & impressa cōplexio frigida sine materia, & hæc subita alteratio ad contrarium facit illum dolorem. Et hæc complexio frigida impressa in membrana, nō facillè recipit curationem: quia membrana recipiens impressionem aliquam, amittit calorem naturalem & proprium, per quem natura operatur & curat morbos, & ita est debilis: & tunc contingit quod semper solet contingere: vbi enim aliquod membrum ad aliquam intempericē & plerunq; frigidam mutātū est, non potest fieri concoctio vt oportet illius alimenti & proprii, & sic multiplicat materia cruda circa locum, & fit membrum illud rheumatizans, non quòd
aliunde

aliunde defluat materia, sed quòd excremēta redun-
 dent propter intemperie: nam qualis est complexio
 membri, talis est concoctio. Et hæc excrementa etiã
 non facilè difflantur, quia membrũ est frigidum, &
 ideo aggregatur materia. Ergo si quæatur à me, qua-
 lis sit complexio introducta in morbo præter natu-
 ram: dico, quòd cõplexio frigida sine materia à tem-
 perie aëris frigida: qua complexione stante, abun-
 dant etiam materiæ per viam inconcoctionis. Et sic
 sunt duo: primũ, intemperies in parte: secundo, ma-
 teria, & illa materia etiã est cõpressa ad partes laxio-
 res & frigidas & spatiosas, vt sunt iuncturæ, quod sæ-
 pe euenire solet: & sic patitur dolorẽ in varijs locis,
 & sic etiã iuncturæ sunt repletæ. Et q̄ hæc materia
 non defluat aliunde, probatur: nam modicum est nu-
 trimentum quòd deuenit ad membrũ, & sic est etiã
 paucum excrementum, & ideo non est magnus do-
 lor, & illa vasa non extenduntur, & muscũli & chor-
 dæ & nerui magis infrigidant: & hæc est causã illius
 difficultatis motus. Et hanc credo esse potissimam
 causam illius doloris: primò frigidam impressionem
 & intemperiem: secundò materiam tantam aggrega-
 tam per viam inconcoctionis, quæ tamen est pauca,
 quia nullum facit tumorẽ, nullum abscessum. Quod
 ad alia membra, an à capite defluat materia ad locũ
 per viam catarrhi? Non credo ego quòd catarrhus
 defluat ad illas partes, quia si semel inciperet ille flu-
 xus, & cùm plurima pituita sit in capite, credo quòd
 illud brachium longè sæuiora accidentia pateretur,
 & solent fieri vt podagræ, paralytes, morbi articula-
 res &c. Sed cùm ille viuat, comedat, & exerceat ope-
 rationes vt alij fani, & aliud nihil perferat, credo
 quòd non sit defluxus catarrhi ad illas partes, sed
 quòd sit tantum materia aggregata per viam excre-

menti, propter imperfectionem concoctionis, & debilitatē illius membri. Præterea conquerit Reuerendiss. Dominus se habere catarrhū copiosissimum, & plurimū expuit, & plurimū excernit per nares, & sentit difficultatem auditus. Credo hoc factum esse ex causis procatarrhicis. Nam in die synodi per 13. horas continuas vacauit studijs, vt audio: & ex hoc studio si nihil aliud esset, possent fieri cruditates in ventriculo, & etiam in toto ambitu corporis: nam hepar non corrigit coctionis primæ vitium, & hinc plurimi vapores ascendunt ad caput, & maximè cū caput laboret in studijs. Et hinc studiosi plerumq; habent debilem ventriculum, quia vbi actio, ibi calor: nam est tantum vnus calor: itaque cū capite laborant, destituitur ventriculus calore & sua operatione, & sic replentur capita, quia plurimū laborant capite, vnde plurimi vapores attrahunt ad caput, qui non possunt diffari, quia resoluitur calor cerebri ex multis laboribus, & inde tales studiosi semper habent caput repletum. Talis est etiam temperatura naturalis huius Reuerendi Domini: nam habet hepar calidum, quod testantur venæ amplæ, multitudo carnis: & cū sit educatus in regione quarti climatis, vbi calores intensi, & sunt ibi homines nigri, ipse tamen abundans est sanguine bono & naturali, & habet colorem floridum etiā in senio, & ideo est quidem caliditas in hepate, sed non adurens: & ideo generat plurimum sanguinis, vnde habet hepar calidū & humidum. Et in his plurimi vapores eleuantur, si in vllis alijs temperamentis: & sic & ratione temperaturæ in hepate habet hoc quod sit subiectus repletioni capitis: & hic catarrhus non solum Tridenti, sed etiam in propria regione generatus fuit: & hinc plurima materia illius catarrhi deuenit ad dentes. Est in primo

primo senio, quia primum senium incipit à septimo
 septenario, id est, anno 49. quia agit annū 55. & ideo
 nondum debebant cadere dentes: & dentes illi etiā
 sunt corrosi, & hoc indicat continuum catarrhum
 erodentem & decumbentē ad dentes. Et hoc notan-
 dum pro præseruatione. Hic est chorus symptomatum:
 primò brachium dispositū ad omnes affectus,
 & habet intemperiem frigidam, & ita timenda para-
 lysis, & priuatio motus, item morbi articulares: ma-
 gis tamen paralyfim timerem. Item cū sit catar-
 rhus, & nunc plurimum excernatur per nares & os,
 si ille catarrhus sisteretur, posset fieri apoplexia, &
 alia ægritudines frigidæ capitis. Et est vnum quod
 dicebat nobis: solebat euomere materiam pituito-
 sam, & hoc erat ei familiare, qui vomitus iam resti-
 tit, quia iam in senio virtus expulsua est debilis: &
 multum posse cū consueta euacuatio desinit, no-
 uit Excell. V. & cū iam senescit, debebant euacua-
 ri illa excrementa quæ generantur ratione senij: &
 hæc materia augetur, & frigiditas corporis, & ideo
 defertur violenter aliò hæc materia, scilicet ad ca-
 put. Ideo timenda sunt alia symptomata & grauiora.
 Tempore iuuentutis potuit illa materia difflari.
 Ergo habemus hic brachium affectum & caput non
 quidē per se, nam omnes sensus habuit acutissimos:
 & signa sumpta à proprijs actionib. membri nunquā
 fallūt, & sensus interiores sunt proprii ipsi cerebro,
 & nō habēt aliud instrumentū quàm ipsum cerebrū,
 & illud membrū est sanū, cuius operationes sunt sa-
 næ. Ergo si caput quid patitur, patit per consensum
 partium inferiorum, & non propter propriā intem-
 periem. Quomodo ergo præseruabitur? Tollantur
 omnia illa quæ faciunt incurrere in illas affectiones,
 in quas possunt incurrere qui ita sunt affecti. Primò

caucat ab omni aëre excessiuo, qui primùm illum le-
 sit: caucat ventos boreales, & in tempore frigido op-
 timè muniat caput: deinde habeat optimam ratione
 victus, ne ventriculus & hepar aggregent pituitam,
 & vapores ascendentes ad caput: non labore in stu-
 dijs, & in omnibus rebus nõ naturalibus habeat mo-
 dum. Sed quia non possumus bene ita viuere quin se-
 pe delinquamus, nam anima præstantior corpore,
 ideo sæpe negotia sunt obeunda quæ nocent corpo-
 ri, & ideo correctione opus est. Consularem ego vt
 continuè vtatur medicamentis & euacuationib. fa-
 miliaribus & leuibus, & diuertantur materiæ ad par-
 tes inferiores: vt est vsus rhabarbari aut aloës, quam
 magis probarem quàm hieram, quæ magis exiccet
 quàm aloë, quia habet aromata exiccantia vsque ad
 tertium gradum. Cauerem ab vsu agarici, & omnib.
 quæ euacuant electiuè, quia illa destruunt omnes mi-
 neras virtutum. Item laudarem vt fierent cauteria in
 cruribus, & esset continuus vsus horum cauteriorũ.
 Nam quia vult præseruari, & hic catarrhus posset fa-
 cere apoplexiam, quia iam etiam tendit ad surditate-
 tem, ideo suaderem cauteria, sed postquàm aliquo-
 ties vsus esset illis pilulis. Ad brachium, quia mate-
 ria non influit aliunde, corrigenda intemperies illius
 loci. Et hoc tempore maximè laudarem stillicidium
 circa illud os vt cadat aqua, quo profundius pene-
 tret. Etiam vellem suffumigiũ facere ex hac aqua, vt
 reciperet illum fumũ: hic enim fumus aperiet & ra-
 refaciet poros & meatus: & postea vbi lauabit bra-
 chium in ea aqua, maior fiet impressio illius aquæ,
 quia hæc est crassior quàm vapores, & sic aqua quo-
 que pertransire poterit. Ac sic prius fiat euaporatio,
 postea in illa aqua lauet brachium, deinde stillicidium
 vtatur. An faciendã aliqua euacuatio capitis ante hæc
 localia?

localia? Caput est repletum, & hîc est maxima difficultas, ne localia attrahant materiam ad brachiû, & vbi semel incipit ille fluxus, nulla est materia quæ nõ affluat ad locum illum: & sic & caput erit euacuandum etiã per caputpurgia. Sed tempus calidum venit, & quod non fieri potest ad perfectiorem euacuationem, faciamus per vires vt possumus, si vt volumus non licet.

*Consult. CLIIII. De uisus imbecillitate,
& alijs quibusdam symptomatis.*



Identur 'accidentia quibus infestã Reuerendissimus D. Oeconomicus, omnia ita sibi respõdere, vt ab eadem causa dependeant. Et primò patitur obscuritatẽ visus, secundò plurimũ sputum, vltimò manus & pedes incalescunt, & vltra modum sudant. Dico hæc omnia referri in vnam & eandem causam: nam assumpsit primò aquas thermarum, postea incidit in hos affectus: & non audiimus alias causas, quæ hæc potuerunt efficere. Ergo videndum an ratione potus aquarum hæc potuerint contingere. Prius dispositiones naturales considerabo. Est hepar calidum, & hoc patet ex omnibus signis, amplitudine venarum, colore: & habet imbecillitatem ventriculi, ratione cuius abundat pluribus flatibus. Hæc duo membra sufficiunt ad hæc symptomata. Aquæ illæ sunt calidæ & siccæ, quia habent sulphur, alumen, calcem, salem, & hæc omnia sunt calida. Potauit has aquas, & hæc calefecerunt hepar, & consequenter renes, & per consequens totum corpus: nam orta attestantur principijs: & qualis est temperatura hepatis, talis temperatura venarum, & sic etiam totum corpus sequi solet: & sic sanguis redditus est crassior, & si san-

guis, sequit̄ etiam quòd spiritus, qui semper propor-
 tionati sunt sanguini: nam nihil aliud sunt, quàm va-
 por sanguinis bene concoctus. Ergo si sanguis cras-
 sus, & spiritus sunt crassiores. Sanguis enim reddi-
 tus est crassior, propter hepar supercalefactũ, & etiã
 spiritus, qui faciunt omnes operationes in toto cor-
 pore. Ille autem sensus qui indiget spiritu lucidissi-
 mo & purissimo, meritò primo percipere debet hãc
 læsionem, & hic est visus. Ergo hãc crassitudo spiri-
 tuum cœpit affligere visum. Quòd autẽ sit in spiriti-
 bus causa huius diminutæ visionis & læsæ, apparet,
 quia in instrumento nulla est læsio, nec in facultate,
 non enim læsus discursus. Ergo læsio in spiritibus.
 Sed hęc ratio ex remotione aliorũ nõ sufficit, sed ex
 proprijs signis & pathognomonicis iudicandũ est:
 nam uidet clarius vbi est multa lux, deterius verò in
 obscuro. Sed in obscuro dilatat pupilla, in claro con-
 stringit. Et hęc sunt signa imbecillitatis: nam lux plu-
 rima illustrat oculũ, & humidũ aqueũ, & crySTALLINũ:
 & si spiritus qui deferunt per illũ sunt clari, nõ indi-
 gent magna luce illustratẽ exteriorius. Vnde qui habet
 spiritus claros, nõ possunt videre nisi semiclaudent
 oculos, vt quasi subumbrent spiritus. Et cõtrã, est si-
 gnum q̄ sint crassi spiritus, vt in hoc casu: & ob id in
 tenebris dilatant, quod fit propter multitudinẽ spi-
 rituũ. Nam cum claudimus vnũ oculũ, dilatat altera
 pupilla, quia impetus spiritũ qui omnes deueniunt
 tunc ad vnũ oculũ, facit dilatari pupillã. Sic in his
 fit, quia enim habet spiritus crassos, indigent pluri-
 mo spiritu, vt quod deest in qualitate, suppleat natu-
 ra in quantitate: & sic fit maior dilatatio pupillæ,
 quia quod deest claritati, conat̄ supplere copia spi-
 rituum. Et in claro constringitur pupilla, quia tunc
 spiritus non veniunt ad pupillã, nisi quantum opus
 est ad

est ad illam lucem obscuram. Ergo hæc est causa quare læsa sit visio: primò crassitudo spirituum, & hæc facta est propter crassitudinem sanguinis, & hæc propter calefactionem hepatis, & hepar supercalefactum ex potu aquarum. Et sic ex resolutione causarum patet, quòd potus aquarum fecerit diminutionem visus. Item est alia causa: cum habeat naturalem imbecillitatem ventriculi, quæ non est curata per potum aquæ, hinc plurimum salivæ expuit, propter expulsionem flatuum: nam hæc non proueniunt ex ventriculo, nisi propter tria, vt aliquoties iam dictum in collegijs. Et sic saliuæ illa permiscetur cum spuma, & hæc indicat flatum, aliàs nõ posset expui. Et hi vapores generati ex debilitate ventriculi ascendunt ad caput, vnde spiritus fiunt crassiores, vt videmus in suffusionibus, quæ ortum habent ex ventriculo. Causa inflammationis renũ (nam vrina arenosa & color indicat hoc) est eadem supercalefactio aquarũ, vt & hepatis: & renes consentiunt hepati, tum propter propinquitatẽ, tum propter venas communes. Præterea est sudor & supercalefactio manuum & pedum, & hoc est proprium symptoma: vbi supercalefit hepar, statim inflammantur manus & pedes. Ratio est, quia illæ partes minus habent carnis, & venæ sunt magis exteriores in illis partibus, & sunt ibi multi nerui & ossa, & hæc vbi incaluerunt, retinent calorem. Vnde in ferro est intensior caliditas quàm in aqua feruente. Hac stante caliditate, cum in toto ambitu venarũ aggregentur plurimi serosi humores propter hepar auarum, quod trahit ad se chylum inconcoctum, & nõ potest eum consistere: & hi humores crudi attracti ad ea loca calefacta diffantur postea per cutim, & hinc apparet illa humiditas: & Gal. dicit quòd materia sudoris est *ixarç*, & serositas in venis: ergo omnia symptomata dicta,

ex caliditate hepatis & potu aquæ proueniunt. Spu-
 tum non prouenit ab aqua, sed hoc erat etiam ante
 aquæ vsum. Et illæ aquæ non fecerunt impressiōem
 in ventriculum, quod habebat renitentiā, & super-
 calefecerunt hepar, quod habebat symbolum: & ex
 his fit circulus. Plurimi flatus & vapores ascendunt
 ad caput ex ventriculo, & hi iterum ad ventriculū
 descendunt. Prognosticon. Nisi prouideat sibi be-
 nē, tandem incidet in flatum hypochondriacum.
CVRA. Omnia sint temperata. Caueat à vino po-
 tenti, & omnia sua medicamenta sint moderata in ca-
 liditate & frigiditate: cum enim sint illa membra cō-
 traria, vtriusq; cura habēda erit. Ergo hoc fit ei pro
 regula, quod omnia actu & potentia sint temperata.
 Non laboret, quia inflammat spiritus: & potius de-
 linquat in nimietate somni, quàm in vigilijs: & vta-
 tur continuè quæ possint refrigerare hepar, & non
 infrigident ventriculum, & hoc est zuccharum ros.
 quod assumat sepe & semper & in magna copia: nam
 refrigeratio eius est satis mitis, ne infrigidetur ven-
 triculus, & quod non potest facere agens debile in
 pauco tempore, hoc faciet in longo spatio tempo-
 ris, & magis etiam aget quàm agens forte in pauco
 tempore. Et admisceatur etiam aliquid quod facile
 faciat transitum, vt sunt rosæ, vt Gal. 3. simpl. dicit, &
 iuuetur transitus cum diureticis: & si aliqua suspicio
 incidat ne refrigeretur ventriculus, addamus piper
 tenuissimè contritum, quia piper est tenuissimæ sub-
 stantiæ, & sic secundum tempus calefaciet ventricu-
 lum, & vis eius statim difflabit, vt sunt illa quæ sunt
 tenuia & calida. Gal. plurimū laudat piper, vnde ego
 sepe precor modernis meliorem mentem, qui cum
 vident Gal. vti ptisana cum pipere in febribus, pu-
 tant, Gal. dormire, & dicunt quod melius sit vti cin-
 namomo,

namomo, & ita illi ordinant cinnamomū. Sed hi nō vident istud mysterium Galeni, quòd scilicet piper calefacit ventriculum, & non hepar. Et dicit Gal. 4. de tuen. valet. quòd diospoliticū & diacalamenthū & similia, pessima sunt ventriculo crudo, quia ducunt humores crudos ad hepar, & faciūt obstructiones. Nam licet non sit tanta caliditas in cinnamomo, tamen est magis diuturna. Ideo zuccharum ros. cum modico pipere minutissimè contrito, vt facilè exhalet, darem ego, & consulerem in hoc Reuerendo viro. Vtatur etiam rheubarbaro vnà cum zuccharo rosaceo, quod educit materias calidas & etiam frigidas, & aperit obstructiones si quæ sunt, & confortat. Hęc esset præseruatio huius viri, & sic longo tempore curet se. Missione sanguinis maximè laudare, quia hepar calidum, prius lenita aluo cum flore cassiæ. Vtatur etiam syrupo de cichorea, & cum Golemiabin, & etiã sine aqua. Item trochiscis de rosis minoribus interdum vterer in brodio pulli. Et non aggrederer morbum totis viribus, ne fieret deterior.

Consult. CLV. De brachio leso, & omnium principalium membrorum influxu destituto.



Istoria clara est, & satis cōstat quòd multiplex sit lesio in illo brachio, & quidem tot modis quot sunt principia. Primò est principium sensus & motus, secundò principium virtutis vitalis, tertio principium virtutis nutritiæ. Et quodlibet horum principiorum habet suos riuulos. Primò sunt nerui, per quos deriuatur virtus sensitua & motiua: per arterias defertur calor & spiritus: per venas vis nutritiua ab hepate.

Hi tres riuuli sunt aliqua ex parte læsi, & secundum huius læsionis proportionem est affectus. Arteria fuit incisa & neruus. Et nos ex quadam necessitate consequentem concludimus, licet medici id nobis non indicent, quod etiam venę sint læsę. Hinc sequitur quod non nutritur, quia venę non deferunt sanguinem, & percipit etiam perpetuam frigiditatem in isto brachio. Mortuus læditur propter neruos: sensus etiam. Hęc est res quę sensui patet. Sed illud est dubium, vtrum hi riuuli, scilicet nerui, arterię & venę, ita sint incisi, vt nulla planē sit continuitas? an sint ex parte incisi illi riuuli, an planē non sint incisi, sed potius propter materiam influxam sint obturati? Ego incipiam ab arteria & vena. Oportet credere historię. Omittō puncturam illam factam ex vulnere: sed quia fecerunt incisionem magnam, & cauterium etiam adhibuerunt medici illi pro sanguine sistendo, quod cauterium adurit venam, & obducit callum, & sic constringitur: ergo probabile valde quod illa vena separata sit in totum: & quia ignis exiccat, & hinc vena facta breuior, & sic non potest bene continuari, quia ad hoc vt continuentur & consolidentur, requirunt duo, vt sint molles, & vt se inuicem contingant. Sed hęc sunt duo: primò, ignis qui adussit, & fecit partem duriorē, & secundò etiam breuiorē: & sic & propter duritiem & propter breuitatem non potuerunt hęc continuari, & sic non est liber transitus sanguinis & spiritus ad partes inferiores. Et ita credo quod illę venę & arterię sint incisę, & habeant cicatricem non facile consolidabilem. Vtrum sint omnino interceptę & separatę secundum totum, & quod partes planē distent, & factus sit callus tam in parte superiori quam inferiori? Ego non possum certò dicere, sed credo quod planē sint discissę, & hoc ex coniecturis meis dico.

dico. Quo ad nervos est facta læsio. Motus reuolutionis in manu & erectionis est impeditus, & nonnullorum digitorum: & credo quòd omnes illæ læsiones non sint æquales, & non omnes ex vulnere. Nam illi nerui qui sunt incisi ex vulnere, non recipiunt curationem, & non possunt consolidari: & cùm sit vulnus in vna parte, non credo quòd omnes nerui sint æqualiter læsi, sed factò vulnere debilitatur locus, & ita affluit materia, & recipitur etiam in neruis, & propter frigiditatem & crassitudinem illa materia non faciliè resoluitur, & sic facta est obstructio. Et non solùm hæc læsio est ex vulnere, est etiam læsio in sensitiuo neruis, & etiam motiuo, & sic credo illam læsionem neruorum esse valde diuersam, & non solùm ex vulnere. In superiori parte etiam non habuit motum: nunc autem incipit mouere humerum, cùm antea non potuerit, quia materia affluxit ad illam partem. Vnde sæpe euenit quòd vulnerato pede fit bubo, propter interceptionem materiæ. Ergo nunc mouet humerum propter medicamenta quæ adhibita sunt. Ergo quantum est incisum, est incurabile, & quo ad nervos, & quo ad venas & arterias. Qui verò sunt obstructi & refrigerati propter affluxum materiæ, hi poterunt curari, & maximè cùm antea fuerit catarrhus: non enim potuit mouere humerum, quem iam mouet. Quantum ad torturam oris sum anceps, an aliquid sit incisum: audio tamen quòd continuè melius habuit, & sic credo quòd etiã materia defluxit ad illum locum. Sed quod est incisum non curatur, quod tamen certò non scio. De cura. Omnino tentet resolutionem, & nõ potest sequi nocuentũ, si rectè fiat ea resolutio. Utatur perpetuò resoluentibus. sed misceat cum mollientibus, ne quod subtile est resoluat, & pars gypsea relinquatur.

Vtatur ergo his inuicem. Mollientia sint calida & sicca in secundo gradu, quia materia est crassa, vt crocus, bdellium, myrrha. Emolliatur cum pinguedinibus, & oleis, vt oleo amygdal. dulcium & chamæmelino: item lapide pyrite, quod Gal. dicit esse magicum. Vtrum lutum S. Bartholomæi conueniat & toueæ illæ? Placeret, sed oportet considerare quòd ad illa valida resolutio egemus multa præparatione corporis, & est corpus cacochymum, & hoc tempus potissimum est pro purgationibus, & maxime in corpore cholericò, vt istud est. Ergo balneum differatur vsq; ad Septembrem, & quia corpus non est præparatum, opportunum tempus expectetur. Interim tamen aliqua cerata vel emplastra applicentur, vt est oxycroceum illud, quod ponatur supra totum brachium, & singulis 15. diebus remoueat. Et consului in quodam iuvene nuper, qui amiserat motum in brachio, & nunc optimè incipit se habere, & mouere brachium.

Consult. CLVI. De fluxu pituitoso per urinam, ulcere in pudendis, tabe, manus contractione, & hypochondriaca affectione.



Symptomata quæ patitur hic Magnificus vir, sunt hæc. Primò est defluxus per urinam, quem putat esse gonorrhœam: secundo patitur vlcus circa taurum, quæ est illa pars inter testes & anum: tertio arefactionem & tæbem totius corporis: quartò contractionem manus dextræ: quintò imbecillitas ventriculi adest, & caliditas hepatis, vnde patitur affectionem hypochondriacam. De primo. Conqueritur de gonorrhœa, videndum quale sit symptoma, an fluxus seminis, vel aliud quiddam: nam multum refert hoc scire.

re. Non credo illum affectum aut esse aut fuisse gonorrhœam: primò, quia passus est illum fluxum longè ante tempus seminis, vt circa annū quintum aut sextum, & eo tempore nondum mouet semen, quia nullum est instrumentum paratum ad illum fluxum seminis, & nondum habuit tunc semen: quia omnis illa materia ex qua debebat generari semen, transit in augmentum corporis, & nulla est superfluitas pro femine generando, & sic non fuit illa superfluitas seminis. Secundò videmus, & locum & symptoma nō esse consentanea quòd sit gonorrhœa: primò, nō apparet aliquid quod habeat rationem seminis, sed arenulæ apparent, & alię materię adustæ. Item sæpe munit sanguinem, qui indicat talem materiam deuenire à renibus, quod sæpe contingit, cum nimirum relaxantur renes, & renes affecti sunt per se: & sic affectus est in renibus, & nō in vasis seminarijs. Item fluxus seminis fit aut ob abundantiam seminis, vel propter caliditatem, vel propter amplitudinem vasorū feminalium: quod in hoc viro non est, est enim siccissimæ temperaturæ, & sanguinis paucissimi: & qui non habet sanguinē, nō habet semen multum, quia semen generatur ex optima parte sanguinis. Item non habet inclinationem ad Venerem, & ego noui ipsum adolescentem, & possem mira narrare de eius continentia. Item ex longo defluxu seminis vlcus fit non circa partes tauri, sed circa pubem: & sic perforato peritonæo fieret ibi abscessus, & non transit per penem. Et hinc videmus, quòd sæpe inflantur testes & vasa seminaria, & sæpe inflatur pubes, & medici putant esse ramicem, cum sit propter inflationem illarum partium & arteriarum & venarum. Hic autem contigit inflammatio circa os vesicæ inter testes & anum, vbi chirurgi solent incidere & extrahere lapi

des. Nam cōtinuus defluxus huius materiæ à renib.
 nō per vasa feminaria, sed per vasa vrinaria, quia hæc
 materia est adusta & feruēs, tandē circa collū vesicę,
 vbi locus est angustus & carnosus, fecit vlcus, & sic
 fortē inducta est fistula: & inde emittit vrinā inuo-
 luntariē, quia muscoli ibi existentes læsi sunt, & quia
 os vesicæ est affectū. Et licet collū vesicæ esset affe-
 ctum, & os vesicæ esset sanum, non exiret vrina inuo-
 luntariē. Sed ad os vesicæ nō peruenit semen, sed ha-
 bet aliā viam: & hoc non debebat exulcerare partes
 vesicę, sed alias partes virgæ. Et sic nō credo ego es-
 se gonorrhœā in hoc corpusculo, quod adeo est exte-
 nuatum. Sed hoc vlcus est in tauro, propter materias
 acutissimas deuenientes ad os vesicæ, quæ fecerunt
 ibi inflammationem, & sic illa pars est perforata, &
 etiam inducta fistula, quod facillē fit in partibus illis
 neruosis, & musculis vesicæ & ani, vbi facillē fiunt fi-
 stulæ. Patitur præter hæc duo arefactionē totius cor-
 poris, & magnam caliditatē hepatis, cum frigiditate
 ventriculi & rugitu, & affectionē hypochondriacā.
 Causa horum symptomatū etiam querenda est: dis-
 positio sua naturalis cōsideranda quantum ad hoc.
 Semper fuit calidus, & anno 18. ætatis suæ incidit in
 tabem, & fuit desperatus à medicis, sed liberatus di-
 uinitus, vt retulit nobis. Est longæ staturæ, & produ-
 ctus in longum, tamen omnia mēbra habet grandia,
 quod testatur caliditatē seminis seu materiæ, & eius-
 dem paucitatem, in prima eius generatione: non
 enim potuerunt hæc membra in latum extendi pro-
 pter paucitatem materiæ, & ideo prolongata est: &
 calor primò in longū extendit, deinde in latū. & ha-
 bet etiam maximā raritatē texturæ. Et hæc duo sunt
 signa paucitatis materiæ & caliditatis, & ideo à qua-
 cunq; causa extrinseca facillimè patitur propter ra-
 ritatem

ritatem texturæ. Præterea & membra etiam principalia omnia sunt calida. Hepar valde calidum generat plurimū sanguinē biliosum & melancholicū. habet pilos multos, & sic plurimum abundauit excrementis quæ fiunt à calore immoderato. Item cor est calidum, quia iracundus & magnanimus, & constans in actionibus & audax, vt sciunt illi qui eum nouerūt. Cerebrū etiam calidū & siccū, quia adest promptitudo ingenij, quæ est ex siccitate cum tenuitate substantiæ. Ex caliditate cerebri habet mobilitatē & promptitudinem in actionibus, & fuit versatilis ingenij vndiquaque & celerrimi, vt ego noui ipsum. Et inde meritō cerebrum iudicatur calidum, ex proprijs & immediatis cerebri operationib. His stantibus plurimus sanguis melancholicus generatur, & per consequens spiritus melancholici, qui & obscurantur. Vnde semper fuit religiosus, & considerando naturam melancholicā videbimus quòd omnes sunt religiosi, vt testatur quotidiana experientia. Ex hac temperatura non mirum si habet naturalem imbecillitatē ventriculi, cum sit ventriculus sine carne, & nullam habeat ferè pinguedinem omenti, & nullos musculos ferè quib. per antiperistalsin fit calefactio ventriculi: & si Aristot. credere volumus, ipsa etiā pinguedo calefacit positiuè. Ergo ventriculus est siccus, quod patet ex habitu totius corporis: quia si caro est sicca & muscoli, multò magis ventriculus qui est neruosus. Ergo ventriculus est frigidus & siccus, & hepar est calidum. Et hæ sunt causæ hypochondriacæ affectionis, vt sæpe dictum est hoc anno in colloquijs, quomodo hæ fiant, & obstructions, & eleuationes vaporum &c. ideo de his satis. Macies ferè tabida est, propter duo efficacissima ad tabē: primò propter copiā pauci sanguinis, vnde ferè semper pa-

titur atrophiam, & ex qua sæpe homines ad tabem deueniunt, cum scilicet membra non nutriuntur: secundò propter plurimam caliditatem & siccitatem in toto corpore, vnde ariditas. Accedit tertium, maxima raritas texturæ, quia plus diffatur quàm recipitur ad membra & nutriatur. Item quodlibet membrum concoquit alimentum proprium, & nutritur secundum propriam suam naturam, teste Gal. Et cum omnia illa membra sint gracilia à natiuitate, parum attrahitur nutrimenti & conficitur. Hinc etiam plurimum abundat humoribus acerbis, erodentibus, & acutis, stante caliditate hepatis & totius corporis. Et quia orta attestantur suis principijs, & renes plurimum communicant hepati, & propter situm, & propter vias amplas, ideo etiam renes sunt calidissimi. His stantibus non mirum si plurima materia excreta est per vias vrinales per totam vitam suam, & sic factæ sunt illæ exulcerationes in vijs vrinæ quas patitur: & etiam ex dispositione illa, calculi & arenulæ generantur, quæ apparent in vrina: nam causa materialis horum est pituita, quæ fit multa in frigido ventriculo, & ita excernitur per vrinam hæc pituita, vt patet in hoc viro, quod vnà cum vrina materiæ pituitosæ excernuntur. Causa efficiens est calor ingens hepatis & renum. Et ideo etiam facile generantur illæ arenulæ, quia pituita quæ est viscida, est tanquàm gluten, & arenulæ sunt ex bile, vnde sunt flauæ. Passus etiam est chiragram: habuit enim primò dolorem chiragricum, qui pessimè curatus est, & ipse nesciuit esse chiragram, & admiratus est cum ei dicerem. Est autem chiragra defluxus materiæ catarrhalis ad iuncturas manuum. Et fuit pessimè curata, quia non debet curari cum remedijs extrà adhibitis: ipsi autè vsi sunt relaxantibus & mitigantibus, quo nihil poterant facere

cere deterius: hinc enim factū quòd magis affluxit materia, & facta ibi materia gypsea obstruxit nervos & chordas, hincq; abbreviantur & dilatantur & contrahuntur. Et facta hac obstructione, etiam facta est arefactio. Et hoc corpus in quo est caliditas hepatis & ventriculus frigidus, est aptissimum ad articulares morbos, quia adest pituita, & bilis eam ducit. Et Auic. dicit quòd ad hoc requirunt quatuor. Et passus etiam est in pede, vt mihi dixit. Hæc sunt symptomata & causæ, ad quas redigenda sunt omnia: quæ causæ fuerunt adiutæ ab extrinsecis, & in rebus non naturalibus, in quibus plurimū deliquit. De prognostico. Quæ sunt naturalia non possunt bene remoueri, & videmus omnia ista dependere à dispositione naturali. Quo ad vlcus, credo quòd non sit curandum, vt etiam sentiūt Excell. vestræ. Quo ad contractionem, vellem experiri aquam Apponitanā, & etiam lutum illud aquæ Apponitanæ. Circa ventriculum & hepar, vt alterum refrigeretur, alterum calefiat, credo ego q̄ nulla arte id fieri possit. Dabo tamen ei consiliū, & remediū vnū quo vtatur singulis diebus, & toto tempore vitæ suæ hoc faciat. Accipiat singulo mane, aut quancunq; voluerit, oxymel optimè & diligenter confectum, & mel rosaceum eodem modo confectum, & assumat vna vice duo aut tria cochlearia, & hoc sepe & semper fiat: sic enim ex longo vsu huius medicamenti ventriculus pedetentim abstergetur, & corroborabitur sine calefactione hepatis. Non possem ego imaginari aliud remedium & melius & tutius, & ipse sentiet se optimè iuari, si nō desinat. Postea ter vel quater in mense ℞ ij. aut iij. Rhabarbari, admixta portione cassiæ, sumat. Hierá vereor, quia suspectā habeo iam in corpore extenuato: & Gal. dicit q̄ in sicco ventricu

lo non fit exhibenda hiera, de tuen. valet. In Rhab. non est tanta exiccatio, & etiã abstersio. Et singulis mensib. ter aut quater assumat hoc. Confert etiã ad calculos oxymel, de quo suprã dictũ, quod sepe sum expertus: imò etiã actu frangit calculos. Corrigitur etiã fluxus materierũ per vias vrinæ cum melle ros. hoc modo sæpe assumpto. Porrò leniunt etiã ventrẽ oxymel & mel ros. Et ita meo consilio nõ vellem vti alio remedio pro his omnib. quę dixi. An aqua Veronensis conueniat, quæ semper cõtulit ipsi? Ego dicã quod sentio. Credo omnino quòd semper fuerit adiutus quantũ ad passiones renũ, nam sunt ferreæ & frigidæ, & sic refrigerarũt hepar & renes, & viæ sunt corroboratæ, ne fieret illa dilatatio viarũ: & sic in quolibet defluxu materierum conuenit illa aqua, vt in fluxu feminis, hepatis, & alui. Et sic credo quòd contulerit his affectib. An verò etiã ratione ventriculi conueniat, est apud me dubiũ: nam infrigidant hæ aquæ, quòd testat̃ experientia: licet habeat caliditatem actu, & habeant sulphur, tamen potentia habent frigiditatẽ. Nam & coriandrũ habet in se partes calidas, & tamen infrigidat, & multa alia eiusmodi. Ita philoniũ propter calidas res quas habet nõ calescit, sed infrigidat propter res frigidas. Itẽ vltra hoc exiccat etiã hæc aqua. Si dicat quis, stomachus est laxatus, ergo indiget exiccatione: & hanc præstat hæc aqua. Dico quòd indiget exiccatione quæ euacuat, & non illa exiccatione quę constipet, & sic magis affigit materiã ad ventriculũ. Et indigemus hic euacuatione materię, & tunc ventriculus euacuat materia per se confortabit, quòd fiet per pharmacum suprã dictũ. Et sic renib. quidẽ conferet hæc aqua, nõ autẽ ventriculo, qui fiet imbecillior. Si vult, ratione renum assumat, non autem ventriculi.

Consult.

Consult. CLVII. De paralyſi
ſiniſtri lateris.

RES & ægritudo eſt in proapatulo, & ea-
quæ patitur ſunt manifeſta, & ideo ero
breuis. Patitur Magnificus vir impedi-
mentum circa ambulationē in crure ſini-
ſtro, & circa brachium eiufdem lateris, ita vt etiam
oculus ſiniſter ingraueſcat, licet nō ſit affectus quan-
tum ad viſionem: & ſic illa diſpoſitio occupat totam
partē ſiniſtrā, & eſt tantum in motu, nō in ſenſu læ-
ſio. Queritur quæ ſit ægritudo, & quod accidēs,
& ſub quo genere ponendū, item à quo morbo de-
pendeat. Quantum ad ſymptoma, vtrum ſit paraly-
ſis? Si propriè volumus loqui, dico quòd nō ſit para-
lyſis: nam paralyſis propriè dicta, eſt particularis
apoplexia, & apoplexia eſt paralyſis vniuerſalis: ſicut
& ſpaſmus & epilepſia differunt, quòd ſcilicet ſpa-
ſmus eſt epilepſia particularis, & epilepſia ſpaſmus
vniuerſalis. Ergo verſantur circa idem. Sed cum apo-
plexia ſemper habeat deperditionē ſenſus & motus,
ita & paralyſis. Hic autē videmus tantum eſſe impe-
dimentū in motu, & nullum in ſenſu, & ideo dico quod
nō eſt paſſus apoplexiā nec magnā nec leuem. Iuxta
Hipp. ſoluere apoplexiā leuem difficile, & fortè im-
poſſibile. Sed quomodo erit apoplexia ſi nō ſentiat?
& ſic potius erit ſubita motio alicuius humoris ad
aliquod membrū, & ita non erit apoplexia, nec vera
paralyſis. Eſt impedimentū in illa parte in motu, &
ſic nerui & muſculi ſunt affecti, & quod ſpiritus vel vir-
tus prohibet vel propter intemperie, vel propter ob-
ſtructionē. Vtrū ſit hic affluxus materiæ, aut ſola in-
temperies? Audio eum pati granphū, quæ eſt conuul-
ſio quædam leuis, propter ſubitum tranſitū materiæ

ad musculos. Vnde est conuulsio leuis, quia est materia leuis & vaporosa, & sic credo illam membranā debilitatam. Vbi autē est intemperies sine materia, non fit ea subitō. Ergo credo quòd fit facta aliqua præcipitatio alicuius materiæ frigidæ & pituitosæ, quia nō habet dolorē, & est in vno loco, & nō habet calorē, ergo videtur quòd à materia frigida. Et ipse etiā dicit se à medicis per calefacientia esse adiutū. Ergo habemus ægritudinē facientē hoc symptoma, & est intēperies cum affluxu materiæ frigidæ & pituitosæ. Nunc de causa videndum illius subitæ præcipationis, an à capite, an ab alijs partibus proueniat. Ego habeo coniecturam vnam à modo præcipationis, quia occupauit totam illam partē sinistrā, quòd caput fuerit repletū, & sic virtus expulsua surrexit & expulit: nec credo quod tanta materia à ventriculo sit transmissa, sed quòd à capite illa materia deuenit ad eum locum. An ibi generata propter aliquam intemperie, an ab alijs membris eò deuenit? Ego nō audio quòd præcesserit aliquid, quòd cerebrum sit obnoxiiū alicui nocumento, nec quo ad sensus interiores, nec quo ad exteriores. Quod passus est asthma, & quòd materia à capite descenderit, fateor: sed inde non sequitur quòd illa materia primogenio affectu genita sit in cerebro: & ita credo quòd in toto corpore generatur illa materia, & sub modo vaporis ascendit ad caput, & sic præcipitatur ad diuersas partes: & vt hoc credam habeo indicia duo: primum est dispositio corporis, est enim totum corpus humidum, & hepar est calidum & humidum etiam in senectute, multò magis in pueritia tale fuit: omnes enim pueri calidi sunt & humidi, sunt item ingluuiofi, & plurimum ingerunt, & hinc fiunt plurimæ euaporationes, quia vbi calor & humiditas multa, ibi
etiam

etiam multa fit euaporatio, & ita repletū est caput, teste Galeno, I I I. de loc. affect. Qui habent hepar calidum, semper subiecti sunt repletioni capitis. Secundò, huic naturali dispositioni accessit postea ratio victus, quia delectatus semper est cōuiujs, & sic multiplicata sunt plurima excrementa. Quando erat puer, materia illa superabundans & superflua præcipitata est ad pulmonem, & fecit asthma: postea in iuuentute, vbi calor fit igneus & fortior, multiplicata est adustio: quia vbi plurimū de sanguine, ibi est plurimum de face sanguinis, & etiam bile, & sic natura incitata, loco asthmatis generatus est fluxus hæmorrhoidarum, per quem sanguis melancholicus & adustus expurgatur: quia in mutatione ætatis, vt anno XXI. id est, in tertio septenario, teste aphor. 3. lib. mutatur ægritudines: & sic eo tempore facta est alia ægritudo, siue potius excretio, scilicet mariscarum. Nam & Galenus quærit, an hæmorrhoidarū fluxus sit ægritudo, vel sola excretio quedam. Et sic semper fuit sanus. Postea in senio, vbi iam calor extinguitur, & refrigerat sanguis, & totus habitus corporis, multiplicatur pituita. Hinc in Augusto mense factis obstructionibus, ne materia exiret per mariscas, aggregata sunt excremeta: quia senes volunt viuere vt iuuenes, & accedunt ad conuiuia, quod sæpe soleo in senibus reprehendere, & ideo cōgregant multas superfluitates & frigiditas & crudas, & sic ascendunt vapores frigidi ad caput, & repletur caput, quo repleto defluit materia ad partē affectam. Et sic habemus successum huius morbi ex historia rei. Materia est quidem in capite, sed per consensum partiū inferiorum, & maximè ventriculi. Quo ad prognosticū, habemus quidem morbū factum, quod est considerandum: sed non video morbum fientem, & nullum

planè video signum morbi fientis. Quando incandescit, repletur caput: & facta est vertigo, quæ est ex bile & crudis humoribus in ventriculo, & non cecidit in terram, sed dixit ad seruù vt eleuaretur, quod non est mirum, quia habuit debile crus. Et sic non video quomodo generetur hic morbus. Neq; erit ratione frigiditatis ventriculi, quæ non est magna, non enim expuit multù &c. Fames illa non est signù frigiditatis ventriculi, imò pituita relaxat os ventriculi, & nõ fit fames ex pituita in ventriculo, nisi sit & acida & pauca. Ergo non sequitur, habet famem multam, ergo ventriculum frigidum. Et sic non credo quòd sit ventriculus frigidus, nec quòd sit in cerebro aliqua noxa, sed tantùm esse morbum factum. Deniq; dicit, quòd postquàm habuit bonam rationem victus, iam melius habeat. Et si haberet membra ista debilitata, etsi comederet mannã, tamen generarent superfluitates. Et sic non credo ego quòd sit morbus in fieri, sed solùm in facto esse. Ergo cura tota ad morbù factum dirigatur, & postea præseruetur, ne iterum aggregetur materia. Nam stante aliqua debilitate capitis, erit timendum ne incidat in maiores ægri tudines. Et sic credo quòd tantùm morbus factus sit curandus, & nullum membrù faciens curandum.

Petit à nobis præcipuè, an debeat accipere aquas thermarù? Hæc autem assumi potest vario modo, vel per potum, vel aquam, vel foueã, vel lutù. Dico ego quòd non sit differendum remediù ad mensem Septembris, sed nunc debemus occurrere, quia morbus factus est, & membra sunt debilia ex frigiditate, & nisi in æstate hoc fiat, multò minus fiet in autùno: & ideo dico quòd in his caloribus aliquid sit faciendum: & aër, i x. Therap. est pro ægri tudine, quia ægri tudine est frigida & humida, & aër est calidus & sic

cus,

tus, & sic est conueniens tempus operandi. Non autem darem hanc aquã in potu hoc tempore, sed potius in Septembri, quia calefacit non solum ventriculum, sed etiam venas, neruos & musculos, quod ex sudore, quem prouocat, videmus. Quo ad stillicidium, dico quod non conueniet, quia illud membrum, scilicet cerebrum, non est affectum, & morbo factum est occurrendum. Et sic non sentio cum medicis Venetis, qui consuluerunt eius Magnificentie stillicidium tale. Sed pro parte affecta suaderem ego quod fieret stillicidium: verum quia iam sunt maximi calores, & aer balnearum nunc est pessimus, & propter vapores & propter muscas, non consulerem quod accederet ad balnea, sed quod curaret sibi afferrẽ eam aquam tam calidã actu vt fieri posset, & sic fieret stillicidium pro parte affecta, & maxime circa vertebrae colli, vbi ferme est causa omnium dolorum, & etiam circa alias partes. Et quia habemus aerem vnã operantẽ, sentio quidẽ cum medicis Venetis, quod conueniat stillicidium, sed non in capite, vt ipsi dicunt, sed circa illas partes quas dixi, scilicet vertebrae colli, vt videant medici Veneti quod & nos rem intelligamus. Quo ad foueas & lutum dimittere nunc, quia non est tempus opportunum. Interim tamen, vt est consuetudo nostra, & experientia edocti sumus, ne resoluitur illud quod est tenue, & indurentur partes crassiores, emolliatur quotidie illa materia, quando scilicet non est usus balnei. An conueniat cauterium? Ego credo quod omnino fieri debeat: sed maxima quaestio est, in quo loco fieri debeat. In cauterio habemus quatuor. Primum, corroboracionem loci & exiccationem: ideo saepe applicamus ipsi loco affecto, vt Gal. applicat, sinapismos capiti & parti laesa, & Albucahis capiti applicat cauteria. Secundum, vt fiat di-

CONSULT. MEDICIN.

uerſio. Tertium, vt deriuetur materia à loco propinquo ad locū alium: vt cū in epilepſia facimus cauteria in crure, eſt auerſio: deriuatio eſt, vt cū pariete coxendice dextra, facimus cauteriū in loco vicino. Ideo Gal. pro validiſſimo remedio phlebotomiauit eundem locum in iſchiade. Quartum eſt euacuatione à loco, vt etiam euacuetur materia in loco exiſtens, cū eſt morbus factus. Hic nō indigemus diuerſione, quia materia illa in loco, & imbibita in venis, nō poteſt trahi per auerſionē: & ideo non facerē diuerſionem in pede altero, quia illa diuerſio eſſet vana & inutilis. Si ratione deriuationis, an conueniat circa partes affectas? Dico, quia tota pars à principio ad finem afficitur, neſcio in qua parte debeat fieri cauterium pro illa deriuatione. An verò pro corroboratione loci? Hoc cauteriū non debet fieri, niſi poſt euacuationē materiae illius loci, & ideo nō pro corroboratione etiā loci conueniet cauteriū. An pro euacuatione à loco, qui eſt quartus uſus cauteriorū? Dico quòd nec hoc, quia totus ille locus patitur: igitur non video quomodo cauteriū cōuenire poſſit. Ideo primò vellem euacuare materiā ad præſeruationem, & non ad curationē: & facerem cauteriū in brachio dextro, & in crure dextro, non vt curarem morbum, qui eſt in loco affecto, ſed vt cū applico reſoluētia ad illum locum affectū, ne trahat materia ad locū affectum. Facerē igitur cauteria in brachio & crure ſano propter diuerſionē, quia tota pars ſiniſtra eſt affecta: & non facerem propter materiam in loco exiſtente, ſed propter præſeruationem, non vt tollatur ægritudo facta. Et ſic accipiat iſtud ſtillicidium circa illam partem, vt diximus, & cauteria applicentur, prout indicauiſſimus eſſe ex re Magnificentię ſuæ.

F I N I S.

I O. B A P T I S T Æ M O N -
T A N I C O N S V L T A T I O N V M
medicinalium Index

A



Blutio, ad roborandum mundandumq;	
caput conferens	4
ablutionis formula	334
abscessus quibus modis terminent.	593
absinthium	573. 588
absinthij substantia	553, eiusdem vsus 52
abstergentia vlcus	742
abstergentiũ tenuitas cur moderata esse debeat, præcipuè si fuerit adiuncta caliditati	552
absterfioni cur minor tenuitas quàm incisioni requiratur	551
absterfioni quæ conueniant	ibidem
acetosa	758. eiusdem virtus 535
acetum	551
acetum an bilem in pituitam degenerare faciat	376
acetũ cõuenire magis biliosis quàm melanch.	ibid.
acetum cur magis incidat quàm abstergat	553
acetum cur maximè refrigerare dicatur	557
acetum in profundis etiam neruorũ vulneribus Galenium exhibuisse	253
acetum nocere neruis ex duplici causa	144. 739
aceti vires	145
aceti vsum exiguum senibus nihil obesse posse	471
aceto Annibalem rupes & moles lapideas fregisse & discicisse	413
acori vires	216
acrimoniam sanguinis emendans.	400
acris sapor vnde fiat	573
actio animalis vnde immediatè procedat	249

I N D E X.

actioni visus diminutæ quibus remedijs succurrendum	185
actionem Medici circa epilepsiam genere triplicem esse	54
actionem omnem à calore moderato fieri	372
actiones cerebri quibus de causis remittantur	173
adeps anserinus	206
adipis anserini vsus	579
adeps porcinus	741
ægrī fiduciam in medico, & arti & consilio, & omnibus medicinæ instrumentis præferendam, Auicenna opinatur	415
ægrī nonnulli cur à decocto ligni male habeant	305
ægritudine ibi esse, vbi dolor sit	503, 506
ægroto longum interitum parare medicos, si in magnis ægritudinibus, à leuioribus incipiant	536
ænearum thermarum vsus quibus conueniens	12
æqualitas & inæqualitas pulsus vnde attendatur.	583
aëris nebulosi & humidī effectus	373
aëris permutatione in quo morbo opus sit	197
aërem micrum in modum corpora nostra, cum continuè attrahatur, immutare	196
æstatis calor quos effectus habeat	160
æstate cur pedes intumescant, hyeme exsiccent	523
ætatem x x i l. annorū in fœmina, æquipollere prope modum x l. annis viri	602
affectionibus neruorum cur acetum conueniat	740
affectus calculosi quæ sit proprietas	416
affectus melancholicos omnes diu perdurare	707
affectuum melancholicorum cura cur difficilis	707
agaricus cur naturæ familiarissimus	52
agaricus cur quadantenus infamis, & quomodo corrigendus	ibid.
agarici proprietas	206
	aga-

I N D E X.

agarici vires	145.582.	vsus	573
agrimonia			569
alba fluere mulieribus per vuluam, viris autem per penem			450
alborum fluxio quibus de causis oriatur		ibid.	
aldubalaton			593
Alexandrinæ aureæ examen			544
allium habere formam specificā contrariam Magnetis actioni			456
aloë	573.	eiusdem substantia	553
vsus			16
aloës vsum etiā tempore æstatis concedi posse.	489		
aloën & absinthium magis stomacho quam hepati conuenire			561
alopecia quid			716
althæa			551
alui astrictio vnde			764
alui excretionibus quibus medijs promoueantur.	408		
alumen			553
amara, quæ calida sunt, cur abstergant			552
amara quænam habere vim maximam propriamque aperiendi dicantur			553
amaritudo vnde constat			572
amaritudinis causâ			445
amaritudinem esse obiectum, gustum vellicans			572
amaritudinem omnem in caliditate secundum gradum non pertransire			573
ammoniacum			741
anasarca vnde causetur			567
anatomiam apud Arabes lege prohibitam fuisse			173
anatomica Arabum esse fragmenta, ex Galeno collecta			173
Andromachi theriaca cur vocata			545
Andromachum Neronis Imper. tempore, mira arte			fff

I N D E X.

theriacã aduersus omnia venena cõposuisse	545
anethini olei vsus	579
angularis iuncus	559
anhelitus difficultas vnde	745
anhelitus difficultati, vertigini ac defcædationi cu- tis quomodo succurratur	752
animalis virtutis sedes in cerebro	173
animam alio occupatam non percipere obiecta.	706
animi affectus ad morbos epilepticos concitandos plurimum posse	63
animi accidentia plurimum facere ad resolutionem spirituum	215
animi insignes molestiã, quid malorum in corpori- bus excitent.	160
annum quartũ esse criticũ morborũ chronicorũ	718
antidota à quibus confici possint	545
antidota ortũ habuisse à Regibus & principib. <i>ibid.</i>	<i>ibid.</i>
antidota triplici de causa componi	<i>ibid.</i>
antidoti Auræ Alexandrinę præsidia	546
Antoninus Imperator cur ab assumpta theriaca, etiã iura dãdo populis, nõ leui somno correptus sit.	548
Antoninus sublato à theriaca opio, in maximas vigi- lias incidit.	554
aperientia cur necessariò calida esse debeant	553
aperientia plus æquo in renum valetudine conser- uanda, semper noxia esse	467
aperire si voluerimus, semper amara addenda	576
apium à proprietate sua nocere epilepticis	95
apium Galeni nostrum esse petroselinum	603
apium Auicennæ quod sit	66
<i>ἀποφλεγματισμοί</i>	58
apoplexia quantum afferat incõmodi	200
apoplexia vnde causetur	97
apoplexiæ & epilepsiæ discrimen	62
	apo-

I N D E X.

apoplexiæ futuræ signa	148
apoplexiæ terminatæ in paralyfin dextri brachij & cruris, cum diminutione earundē partiū, cura. ib.	
apostema seu inflammatio quid sit	593
apostemata cancroſa in narib. quomodo curāda	241
apostemosa laſſitudo vnde fiat	502
apostemosam laſſitudinē ſemper ſequi febrem. ibid.	
Apponenſium aquarum vires	157
apri, alimentum optimum	418
aqua chalybeata cur ſplenetico indurato exhibea- tur	643
aqua fumi terræ	163 (343)
aquæ deſtillatæ ad maculas, cutisq; aſperitates	344.
aquæ endiuivæ natura	316
aquæ muſſæ uſus	643
aquam Aquarij eſſe aluminofam & adſtringentē	30
aquæ balneorum Villæ quales	ibid.
aquæ deſtillatæ	684
aquæ thermarum ferrearum in agro Veronenſi, Cal- derianæ in Lucenſi, Villanæ 410. quando con- tra calculum ſint potandæ	411
aquæ thermarum Veronenſium	644
aquarum in agro Regij Longobardiæ vires	401
aquis deſtillatis non multùm confidendum	700
& pag.	687
aquas deſtillatas Arabum longè meliores noſtris fuiſſe	686
aquas deſtillatas omnes frigiditas eſſe	205
aquas thermarum ferrearum calculoſis vt plurimùm conferre	410
aquis deſtillatis cur vtendum	687
aquea cur non moueant ſenſus	572
Arabes anatomix ignaros fuiſſe	172
Arabes de compoſitione medicamentorum metho-	

I N D E X.

argentū viuum , tota forma sua naturæ humanæ con- trariari	646
argenti viui effectus	ibid.
argenti viui inunctio quàm sit exitiosa	302.303
argenti viui natura qualis secundùm Arabes	394
Aristoteles voluit puellas nō debere nubere ante 18. annum, & adolescentes ante 28.	730
Arnoldi de Noua villa mentio	686
aromata cur calculosi summopere vitare debeāt.	409
aromatariorū in lauandis metallis negligentia	594
aromatū vsus apud Germanos immodicus	II
arteriæ	805
articulorū dolores, à doloribus Gallici morbi quo- modo distinguantur	785
artis cōfectiones & mixturas illis quæ à natura fiunt imperfectiores esse	254
arthritidis	141
asari examen	556.557
ascites & tympanites vnde fiant	568
asthmatis curatio	14
astringentium catalogus	467
tractio cōmoda vnde consequatur	555
attractionis præter naturam causa	356
<i>ἀστροφία</i> seu tabes, vnde fiat	590
auditorium rarum & frequens cur dicatur	584
auditus instrumenta	788
Auerroës, lima Galeni, notatus	684
Auerrois taxatus	504
auertere cur prius debeamus, antequàm membrum corroboremus	454
Augustus Cæsar cur Dijs maximo sacrificio sacrifi- carit	252
Augustum Cæsarem, cùm euasisset climactericū ma- iorem, Dijs sacrificasse	166

I N D E X.

Auicenna defenditur	504
Auicenna & Galenus de apio conciliantur	603
Auicennæ apium quale sit	96
Auicennæ & Galeni de hæctica loci conciliatio	590
Auicennæ lapsus, & quomodo possit excusari	449
Auicennæ præceptum de edendi modo	57
Auicennam duobus verbis curam febrium putridarum diuinè docuisse	700
Auicennam vnguentū ex argento viuo reprobasse, Græcos omnes tanquam venenum refugisse	303
aura venenosa	61
Auræ Alexandrinæ vires 546. cur ita dicta	ibid.
vnde cognominata	ibid.
auripigmentū cur linguam, si super ipsam appositum fuerit, statim vlceret	455
aurium tinnitus quomodo curandus	134
Auster quomodo noceat	602
autor Auræ Alexandrinæ, cur opium & narcotica huic antidoto adiecerit	554
autorem antidoti Auræ Alexandrinæ quatuor cogitasse	550
axioma medicum	303
B	
Balbi cur diarrhœa corripiantur	512
balneum an melancholicis conueniat	629
balneum an podagricis concedendum	726.727
balneum aquæ dulcis quæ cōmoda præstet	397
balnea factitia vtrum thermis præferenda	254
balnea quando ingredienda	377
balnea S. Bartholomæi	741
bdellium	551
bibere post cœnam deterrimum	39
bilis concoctæ & crudæ color	527
bilis frigus quid à quartanæ frigore differat	658
blen-	

I N D E X.

bilis officium	783
blenna, siue mucus	507
bolus Armenus an peste correptis conueniat	612
boli Armeni proprietates atque vis	34
boli Armeni vtilitas	619
Bononiensis aëris & Ferrariensis in estate qualitas	524
Boreas quomodo noceat	602
branchi & catarrhi cur in senibus raro, id est, nunquam maturentur	203.621
brodiū lubricans corpus, & faciēs egerere valde.	197
bronchus	141.200
bronchos & coryzas in valde senibus coctionē non admittere	507
Byzantiui syrapi vtilitas	733

C

Calamenthi aquam destillatā infrigidare.	205.685
calamenthi herbæ vires	685
cachexiæ indicium	306.398
calculosus quibus cibis vesci debeat	409
calculosus an quotidie diureticorū vsus cōueniat.	413
calculosis quænam acetaria & condimenta conueniant	409
calculus in vesica cur generetur	405
calculus non obstruens collum vesicæ, non est causa, neque impedimentum emissionis urinæ	434
calculi causa efficiens quæ sit	404
procatarctice	ibid.
calculi cur vt plurimum rubei & subcitriini cum aliquali albedine appareant	405
calculi dolor in transitu à renibus ad vesicā, cur non sentiat	406
calculi dolor per virgā egrediens cur sentiat	406
calculi materia 165. eiusdem præseruatio	487
calculi renalis curatio	402.415

I N D E X.

calculi signa	396
calculi vesicæ, cum stranguria urinæ, curatio	433
calculo, dolori renali & iuncturarû, cum ardore urinæ, quomodo succurrendum	457
calculo nihil magis esse recidiuum	405
calculus ad fluxionum genera referri debere	403
calculus crebrius & frequentius ex bile mixta cum pituita, nasci	403
calculus esse morbum in compositione, generatum ex affluxu materiæ	436
calculû patientes cur plurimas arenulas habeât.	404
calculus vesicæ sine incisione curari nô posse	437
calculi ex calore cocti & concreti, quomodo disjiciantur	413
calculi in renibus cur citò generentur	406
calculi in substantia renum geniti, quomodo deprehendantur	407
calculi in substantia seu carne renum quomodo generari possint	403
calculi plurimi in renibus quando generentur	406
calculi quomodo dissoluendi	413
calculi vnde generentur	596
calculis quinam subiecti sint	404
calculos ex quatuor humoribus generari posse	403
calculos cur sæpe arenulæ non præcedant	407
calculos ex pituitæ maiori copia generatos minus periculosos esse	404
calculos tres ad fabæ magnitudinẽ excretos, ad virgã protrusos, aquis diureticis expulsos fuisse.	407
calidæ & siccæ temperaturæ signa	298
Calderiana balnea quæ cõmoda præstet.	137. 536. 430
Calderiana balnea qualia	378
caliditas in ligno Guaiaco cur primo occursu non sentiat	455
	cali-

I N D E X.

caliditatis primū gradum transire non debere, quæ concoquere aut maturare debent inflātionem à sanguine & calida materia	579
caliditatis signa	441
caliditatem arguentia	601
calidum hepar habētes, maximè plenitudini capitis esse subiectos	264
calidi cerebri signa	511
calidi esse aperire, frigidi constipare	30.553
calidi hepatis signa	139.179
calida venena quę dicantur	360
calidis & siccis cur frigida admiscenda	548
calor innatus quomodo conseruandus	476
calor nasturtij, sinapis, thapsiæ, cantharidumq; cur sit pertinacissimus exurensq;	562
caloris naturalis proprium	466
calorem naturalem corroborantia	306
calore naturali corroborato, omnes virtutes corro- borari	578
Cameranum, & Doctorē de Bataglijs ex apertione orificiorum venarum spuisse sanguinem	112
cani capilli cur efficiantur	566
cantharides	276
capparum radices	513
caput quibus de causis facilè repleatur	236.712.713
caput & ventriculum corroborantia	536
caput quomodo corroborandum, ne recipiat vapo- res	533
caput corroborantia, pituitamq; educentia	58.177
caput humidum esse propter plurima excrementa, non esse necessariò verum	234
caput mala temperie facilius liberari, si prius excre- menta exhauriantur	547
caput vaporibus calidis facilè repleri, quibus hepa-	

I N D E X.

sis temperatura calida fuerit	175
caput repletia, & humorem excrementitium efficiencia	99
capitis corroboratio quomodo instituenda	58
capitis dolor cum destillatione ex imbecillitate ventriculi & hepatis, quomodo curetur	1
capitis dolor periodicus, grauitas eius, & sibilus aurium quomodo curentur	80
capitis dolori cum asthma, & dolori dextri lateris, cum leui febre, quomodo occurrendum	138
capitis humidi signa	235. 754
capitis repletionibus quinam subiecti sint	667
capite euacuato, temperatura frigida quomodo emendanda	554
capita decem in antidoto Aureæ Alexandrinæ consideranda	546
caput purgia per nares	513
caput purgia, & expurgationes per nares violentæ cur non laudentur	9
cardiacæ passionis cura	281
cardiaci affectus causæ	282
cardinalis quidam totus contractus ex balneo S. Bartholomæi curatus est	741
caro testudinis cur non omnibus febribus hecticis conferat	683
carpobalsami examen	557
Cassianus refutatur	201
cassia mannæ cur præferenda	337
cassiæ examen 560. eiusdem laus	337
vires 437. vfus	534
cassiam flatus & tormina excitare	176
cassiam magis corroborare stomachum & membra naturalia quàm cinnamomum	560
Cassianum & M. Antonium Barolinum ex fluxu ventris	

I N D E X.

trīs perijſſe	588
caſtoreum	557
cataplaſma expertum ad oculum ophthalmicum.	237
catarrhoſæ diſpoſitionis cum ventriculi imbecillitate curatio	164
catarrhoſi cur non fiant ſplenetici	639.940
catarrhus	141.200
catarrhus cur falſus fiat	771
catarrhus, dolor capitis cum vertigine, dolore podagrico, & œdematico tumore cruris, quomodo curentur	40
catarrhus quibus ſiſtatur	749
catarrhi cum affectu quodā melancholico cura.	784
catarrhum deſcendentem ſecundū locorum diuerſitatē, quænam ſymptomata conſequantur	41
catarrhum ſouentia, & generantia	27
catarrho nil deterrius, quàm dormituris bibere	271
catarrhi falſi vnde fiant	640
catarrhi ſenibus quomodo congeniti fiant	203
catarrhos & deſtillationes cur calculoſi ſummpere cauere debeant	416
catarrhos in ſenibus difficulter, id eſt, nunquam curari	166
catarrhi, cum fluore ſanguinis, macie corporis & dolore pectoris curatio	72
catarrhi cum multis alijs ſymptomatis cōiuncti, curatio	742
catarrhi curatio	130
catarrhi deſcendentis ad vertebraſ colli, & impediētis circumgyrationem capitis, item immun-dæ matricis, curatio	248
catarrhi diuturni ex intemperie frigida & humida cerebri, curatio	71
catarrhi, in quo periculum de tabe, curatio	170

I N D E X.

catarrho, dolori capitis, pleuritidi & febris quomodo succurrendum	616
catarrho subiectis quid sit omnium pestilentissimum.	73
catarrhum à superioribus ad inferiora non per arteriam descendere	637
causon improprie sumptum	774
causonicam febrem etiam ex pituita falsa fieri	ibid.
causae intrinsecae variorum symptomatum enarratae.	475
causae morbum facientes duplices	193
causae materiales epilepsiae duplices	604
causae procatarticae calculi	404
cauteria actualia	615
cauteria capitis cur sint valde periculosa	172
cauteria duplicia esse	615.
	(98
cerebrum ad maiorem aequalitatem quomodo traducatur	
cerebrum cur frigidum esse Aristoteles dixerit	235
cerebrum cur non possit ita exiccari, ut ea de causa contrahatur, & epilepsia fiat	62
cerebri calidi & sicci signa	790.811
cerebri & cordis corroboratio	147
cerebrum ex quibus quammaxime afficiatur nocu- cumento	15
cerebri caliditas unde indicetur	179.743.
	(163
cerebri exiccationem, melancholicis plurimum obesse	
cerebrum frigidum & siccum, cur sit necessario plu- rimis excrementis obnoxium	263
cerebri frigidi & humidi signa	250
cerebri frigidi & sicci signa	263
cerebri frigidi cum humiditate effectus	173
cerebri humiditas unde indicetur	14.63
cerebri imbecillitas, cum vertigine & catarrho, quo modo turetur	21
cerebri officium	235
cerebrum omnium sensuum principium	788
	cere-

I N D E X.

cerebri optimè dispositi signa	194
cerebri sicci signa 81.235.	(tur.635
cerebri tēperatura calida, ex quibus signis cognosca	
cerebrum crescere & decrefcere ad motū lunæ.	247
cerotum œsippi descriptione Philagrij	573
cerota ad lienis tumorem	347.348.349
ceruisia cur calculosis dimittenda	409
cerussam inficere dentes	360
chamæmelum	551
chamædrys	569
chebulos myrobalanos iuncturas corroborare	146
χῆμωσις quid	219
χῆμωσις ab ophthalmia quid differat	219
chiragra quid	812
cholera vitellina, ab Auicenna cholera maioris fa-	
mæ, appellata	144
cholici curatio	676
chordæ cur aliquando breuiores fiant	729.737
chordæ dolor cur non sit tam sensibilis ac nerui do-	
lor	ibid.
chordæ quomodo ossibus alligentur	733
chordarum officium	729
Chrysofomi Aretini mentio	486
clystere pro cholico	677
cibus nouus, nisi pristinus prorsus concoctus ac di-	
stributus fuerit, cur non sit ingerendus	161
cibi à cibo conuenientes stomacho	216
ciborum varietate & multitudine, cur nihil sit perni-	
ciosus	5.70.161.417.520
ciborū multitudine & varietate, nihil detestabilius,	
aut magis perniciosum esse	520. (161
ciborū varietas quæ malorū genera hominib. afferat	
cichoracea omnia confortando ventriculo apprimè	
utilia esse	614

I N D E X.

cinnamomū cur ptisanæ hordeacæ addendum	579
cichoreum	569
cinnamomum 95. vires eiusdem	679
cinnamomū verum non haberi, sed pro eo cassia nos vti 560. eius examen	ibid.
cinnamomo deficiente, cur eius vice duplo cassiæ vtendum sit	560
cinis alkali	615
circulus mutans lęsionem inter cerebrum & ventri- culum	1
climactericum maiorem paucissimos euadere	252
cochiarum pilularum vsus	642
coctio omnis vnde fiat	661
coctio redundantis humoris, cur ante expulsionem tentanda	550
coctio ventriculi vnde fiat	723
coctionis finis	661
cœliacæ anus curatio	678
cognitionem veram vtrum ex vrina semel corrupta & calida aqua reparata sumere possimus	580
coitus quando cauendus	160
coitus detestatio cur fiat	118
coitus nimij incommoda	187
collyrium ad suffusionem	624
collyrium corroborans, mundificans, abstergens, & confortans oculum	185
color vrinæ rufus	388
colorem dominium humorum attestari, nisi ad pro- fundum decumbant	355
colorem indicium præbere humorum existentium in corpore maximum	592
compositionis ex aloë, agarico & rhabarbaro vsus. 52 cōcocta medicari atque mouere, non cruda, cur de- beamus	376
	con-

I N D E X.

concoctio prima quibus de causis debilitetur	473
concoctio proprie dicta quid	549
concoctio quibus medicinis adiuuetur	551
& quomodo fiat	555. (551)
cōcoctioni materiæ crassæ & pituitosæ cōuenientia	
concoquendi vim quænam obtineant	547
concoquentia materiã frigidam, non debere secundum caliditatis gradum transire	580
confectionis hamech vtilitas	438.592. (284)
confectio ad cordis & ventriculi corroborationem	
confortatio quid sit	587
congelatio facta à frigido quomodo resoluenda.	739
consequentis fallaciæ	234.235 (496)
conseruatio sanitatis & præseueratio quid differant	
constrictionem capitis & tinnitum aurium symptoma esse	234
contagium morbi Gallici non habere nomen	307
contentio Montani cum reliquis quibusdam medicis de hydropico ex ascite & tympanite, num per sicca vel humida curandus sit	568
continuas febres non cum rigore fieri	670
coquo quis finis propositus	331
cor quibus confortandum	751
cor vbi putredo corripuerit, omnia destrui	621
cordis ac ventriculi corroborans confectio	284
cordis calidi & spiritib. referti signa. 82.179.194.635	
cordis calidi signa 635.811. eius officium	556
cordi quibus rebus prouidendum	556
corde affecto, cur necesse sit omnes corporis partes aut deficere, aut male habere	556
coralli examen	562
coralli & præoniæ suspensionem nihil prorsus iuuare neque nocere, Montanum expertum esse	563
coriandrum infrigidare	573.814

I N D E X.

coriandrorum assiduus vsus nocet	216
corneta	381
cornu cerui vsti, loco boli Armeni ad exiccationem esse vtendum	622
corpus ad excreméta multiplicáda in cerebro quod nam sit paratissimum	530
corpus cur non bene nutriatur	372, (683)
corpus in tabem dilapsum, quomodo humectandú corporis omnium partium mutuam quandam conuenientiam esse, vt suapte natura altera alteri occurrat, & secundú omnes affectus cósentiant.	175
corpora calida & humida cur facilius putredines patiantur	768
corpora habentia membra inferiora calida, & maxime hepar, cur faciliè capitís repletionem laborét.	179
corpora inæqualium membrorum cur perpetua præseruatione indigeant	162
corpora quæ humiditatib. & pituita redundant.	744
corpora quænam repletioni apta	636
corpora quæ tibi obnoxia	313
corpora vbi purgare volueris, oportet prius fluida facere	554
corricij laus	218
corroborantia calorem naturalem	306
corroboratio cerebri & cordis	147
corroborantia caput & ventriculum	536
corticis thuris examen	564
cotonei ptisanæ adiectæ vsus	751
coturnicum vsus improbatur	18
coxendicum dolor vnde causetur	791
crassities humorum vnde proueniat	394
crassum alimentum gignentia	468
crassum & nigrú vinú calculosis maximè noxiú.	501
crassos ac viscidos humores gignétia, renibus quam maxime	maxi-

I N D E X,

maximè aduersari	468
crocus	551.741
cruditas melancholico omnino vitanda	122
cruris gracilitas immodica vnde fiat	537
cruris vtriusque contractioni quomodo succurrendum	727
crus alentia	538
crurum emanantium sanatio & exiccatio, quid malorum excitet	12
crustæ & achores vnde proueniant	715.717
cubitum post cœnam ire, & capiti & oculis maximè aduersa esse	186
cucumeris, althææ, melopeponum &c. decoctû.	555
curæ vnde dicantur	781
curandi veræ indicationes vnde sumantur	28
curatio morbi quid requirat	507
curationis difficultas vnde oriatur	ibid.
curationem tria potissimùm requirere	253
cyperi radice examina	559

D

D AUCI species, carota vocata	418
debilitas cur ante cibum sentiatur	373
debilitati oculorum & periculo suffusionis ex consensu ventriculi, quomodo succurrendum	217
decoctio præstans atq; utilis, ad melancholicos succos sine molestia euacuandos, lienis q; affectus egregiè remouendos	7. (246
decoctionis nomine ex eleboro quid intelligendum	
decoctum althææ	741. maluæ ibid.
decoctum seminum althææ, cucumeris, melopeponum, capillorum Veneris	555
decoctum seminum lini & scœnugræci	741
defœdatio cutis quomodo curanda	756
demonstratio in secunda figura	685

I N D E X.

dentium dolor quomodo sedandus	614
destillatio catarrhi ad partes subiectas, cum fluore alui penè dysenterico, & alijs symptomatis, quo- modo curanda	77
destillatio propriè & impropriè quid	637
vnde oriatur	263
destillationis à capite, vlcerum, animi deliquiorum, epilepsiæ, imaginationum melancholicarum &c. cura	156
destillationis catarrhi causa	28
destillationi, podagræ, tumori splenis &c. quomodo succurrendum	633
destillationem dupliciter capi	637
destillationem & tumorem splenis cur nõnulli sple- netici simul patiantur	640
diacalamentum	167. 805
diaphœnicon quale sit	740
diapyrites	295
diarchici curatio	595
diaspermaton	749. 750
diapoliticum 805. diatrionpipereon	167
diatrionpipereon cur ad hepar perueniat	455
difficultati aperiendi mandibulã ex debilitate mu- sculorum quomodo succurrendum	246
digestiua cur ante minorationem materiæ non exhi- beri debeant	642
diminutio & corruptio vnde fiant	728
diminutio visus, & pili in palpebris interius retorti, quomodo curanda	190
diminutio visus è quibus causis oriatur	180
diminutionis menstruorum tres causæ	697
diminutioni visus quomodo succurrendum	177
dislocationi & contractioni sinistri cruris quomo- do succurrendum	734
	dislo-

I N D E X.

dislocationibus quānam obnoxij	737
dispositio proxima ad ἀχόνας & tineas	717
dispositionis ad cachexiam & ad hydropem causa.	32
dispositionum diuersarum præter naturam, cum metu futurae apoplexiæ, curatio	10
diuretica cōmuniōra quando conueniant	497
diuretica cur materiebus pectoris conueniant	746
diuretica improprie dicta ad renes & vesicam purgandam conuenire	555
diuretica in quo casu non tantum præparent humores, sed etiam euacuent	497
diuretica in quibus casibus concedantur, in quibus omnino reijciantur	498
diuretica num in præseruatione affectus renū & vesicæ conueniant	492
diuretica post cibum sumpta cur maximè noxia.	467
diuretica proprie dicta ad venas purgandas conuenire	555.
diuretica quæ vocentur	467
diuretica vias vrinæ aperiētia, incidentia, & abluentia, quando conueniant	500
diureticorum duæ acceptiones, quarum vna cōmuniōr, altera propria	495
dolor capitis, & dentium, cum varijs symptomatis quomodo curentur	87
dolor capitis periodicus, vetriculi debilitas, & mensis albi, cum detestatione coitus, quomodo curentur	117
dolor cur secundum temporum diuersitatem remittatur aut intendatur	505
dolor in brachio ex præseruatione ab apoplexia quomodo sedandus	795
dolor periodicus, vel non periodicus capitis, tam in anteriori quàm posteriori parte capitis, vnde causetur	85

I N D E X.

dolor vnde sedetur	590
doloris capitis cum tinnitu aurium curatio	132
doloris duæ causæ propriæ	48.65.504
dolori capitis post partû, cum symptomatibus melancholicis, quomodo occurrendum	121
doloris duplex causa	406
dolori genu obtuso ex destillatione pituitæ à capite quomodo succurrendum	510
dolorem calculi affectum distinguere	435
dolorem in ore ventriculi, morsum cordis, & cardia cum affectum appellari	370
dolores vel colici, vel cœlici vnde excitentur	474
dominorum atque principum consuetudo in refrigerando vino, perniciofa	329
durities, vel scirrhus, quibus de causis fiat	516
durus ac vehemens pulsus quid differant	585
dysentericæ curatio	675
dysuria quid	446

E

E Brij cur multùm dormiant	712
eduliorum varietas maximè noxia	25
effectus quales corallo de collo suspenso attribuantur	563
egestionum liquidarum, & urinæ fulvæ causæ	357
eiectioni materiæ crassæ & fœtidæ, per urinâ, cum dolore renum, quomodo succurrendum	428
electuarium ad catarrhum	131
electuarium ad epilepsiam	60
electuarium ad splenis tumorem post diuturnam febrem	346
electuarium ad suffusionis initium	241
electuarium ad suffusionem	624
electuarium pro quartanario	690
elephanticæ initium, psora	756
ele-	ele-

I N D E X.

elephas quid proprium habeat	753
elleborus niger ante euacuationem pituitæ, minimè dandus	758
empetron herba	615
emplastrum modo moderno cerotum vocari	574
emplastrum splenis pro quartanario	690
emplastra cur ægris molesta	574
εμπίημα quid	259
empyema ex peripneumonia cur fiat	745
empyema quomodo terminetur	259. (258
empyematis cum suppressione menstruorū curatio	
enema præstans ad excutiendos flatus, & sedandos calculi dolores	411
enematum vsus	16
epicrasis	785
epidemicos morbos habere causas vniuersales	299
epilepsia cur ab Hippoc. morbus sacer appellata	65
epilepsia quid sit	598 vnde fiat ibid.
epilepsiæ causæ intrinsecæ atq; extrinsecæ	61.600
epilepsiæ curatio	14.60.92.787
epilepsiæ causæ intrinsecæ & extrinsecæ	92
materiales	95.
efficientes	ibid. & 94
epilepsiæ causæ materiales duplices	604
epilepsię curam esse difficillimam, neque vacare pe- riculo	65
epilepsiæ definitio	61
epilepsiæ fontes	598
epilepsiæ per consensum curatio	54
epilepsiæ signa	60
epilepsiam à materia & à qualitate sola fieri posse.	62
epilepsiam à siccitate fieri non posse	ibid.
epilepticę puellæ curatio	597
Episcopū Laudensem ex familia principū Mediola-	

I N D E X.

ni, in destillationibus delectatum fuisse	687
epularum diuersitate nihil esse perniciosius	490
Erasistrati opinio de modo euacuandi reiecta	239
Erisypelas phlegmonodes	677
erodentes vrinas esse strangurię causam	434
εσχαρωτικά cauteria	615
euacuandi corporis instrumenta duo	599 (642
euacuantia crassa, pituitosa, & in iuncturis existentia	
euacuantia efficacissimè humorè melancholicū	376
euacuatio nimis validarum medicinarum quę incō-	
moda præstet	362
euacuationis genera	641
euacuationis modus in principio suffusionis	240
euacuatium in morbo Gallico	674
eupatorium antiquorum, non argemonem, per agri-	
moniam intelligi debere	569
excrementa multa in ventriculo & venis & extra ve-	
nas quoque, qua de causa potissimū aggregen-	
tur	36
excrementa procedente atate crassiora & frigidio-	
ra fieri	181
excrementa totius ad loca imbecilliora in humano	
corpore semper propelli decumbereq;	494
excretio quibus rebus iuuetur	555
exempla quorundam hydropicorū, quibus pars cor-	
poris tantū hydrope affecta fuit, recitantur.	568
exercendi tempus quod sit cōmodissimum	56
exiccantia pituitam	514
exiccatio corporis vnde cognoscatur	630
experientiæ plurimū esse fidendum	573
experimentum certissimū ad febrem ex obstructio-	
ne ortam tollendam	288
expulsiva virtus quibus de causis debilitetur	447
extrema cur frigeant	578
ex-	

I N D E X.

extensiuā lassitudo vnde fiat	502
exteriora membra frigentia, interiora feruētia quænam incommoda portendant	429
extrinsecæ causæ morborum quæ dicantur	193
F	
F Abio Contareno melancholia affecto balnea Calderiana mirum in modum profuisse	378
facienti omnia secundum rationem, si non succederit secundum rationem, non esse ad alia transfundendum	322
farfara cur tussilago appellata	205
fœminæ cur generentur	118
fœnugræci vires	714
febris pestilens quomodo curanda	621
febris continuæ ex bile & pituita crassa curatio.	687
febris tiphodes seu latica qualis sit	399
febris continuæ cum catarrho & leui quodam sputo sanguinis &c. curatio	663
febris continuæ curatio	693
febris cum catarrho si fuerit, cur non de febre curandum, sed ad catarrhum attendendum	750
febris cum præfocatione matricis curatio	680
febris cur circa pectus nullū permittat emplastrū.	751
febris cur sit ob putredinem in pulmone factam	771
febris erraticæ causæ tres	451
febris ex intemperie membrorū naturalium, & obstructione à materia frigida & crassa ortæ curatio.	284
febris ex obstructione ortæ curatio	287
febris hecticæ signum proximum & pathognomicum	49
febris quartanæ cura	689
febris interpolatæ curatio	690
febris putridæ in hecticam mutatæ curatio	682
febrem caufonicam ex pituita etiam salsa fieri	774

I N D E X.

febrem putridam ferè semper hecticæ iungi	590
febres continuæ cur periculose dicantur.	695. 743
febres non esse morbos per se, sed accidentia aliorû	
febres vnde cognoscendæ	658
februm continuarum proprium	695
feces cur indigestæ appareant	586
flatus hypochondriaci quomodo discutiantur	366
flatus plurimi vnde generentur	632
Florentiæ qualis sit aer	29
fluctuationis in ventriculo causa	354
fluxus alborum vnde proueniat	450
fluxus catarrhalis quomodo euitandus	414
fluxus quomodo sistendus	751
fluxus ventris tabidis noxius atque exitiosus	588
fluxui hæmorrhoidû quomodo succurrendum	398
fluxui materiæ albæ è virga per decennium, quibus remedijs occurrendum	484
fluxionis per virgam curatio	490
fluxionis regula	650. 646
fluxionem alborum in mulieribus gonorrhœæ flu- xum sequi	450
fluxionem quamlibet quatuor requirere	453
fluxionibus subiectos ab omnibus humoribus me- lancholicis liberari	755
scœnogræci decoctum	741
folium malabathri	560
folij malabathri loco, nardo vtendum esse	561
fomentatio pro confortatione iuncturarum	147
fomentationes ad dolorem calculi	417
fomentum pro cœliaca	678
fontanellæ	12
frequens & rarus pulsus quis dicatur	584
frequëntia & raritas pulsus quomodo cognoscat.	583
frigida in tertio & quarto, sed præcipue in quarto, cur	

I N D E X.

cur potius exiccare quàm humectare dicant	558
frigidas esse demonstrationes à calidis herbis	684
frigida validissimè penetrantia & incidentia	551
frigidi effectus	236
frigidissimum excedens, humidum còprimendo ex- haurire & diuellere continuum	558
frigiditatis proprium	466
frigiditatem causare dolorem	511
fixa potius inquinata quàm cocta esse	417
fructus autùnales post cibù comedendi, quibus ani- sum aut fœniculum admisceri minimè debet	418
fructus horarij ante cibum sumendi	418
fullones quid in sàpone conficiendo obseruent	552
fumus terræ cur rectè dicatur abluere melancholi- cos humores, & conferre succis adustis	573
fumi terræ certus gradus quomodo vera methodo inquirendus sit	572
fuscedinem cum palliditate adustionem humorum indicare	444
Galenus contra Auerroëm defenditur	504
Galenus cur acetù misceri medicamentis voluerit, cùm neruus in profundo vulneratus sit	642
Galenus cur diuretica lenitiuis & emplastice admi- sceri iusserit	497
Galenus & Auicenna de apio conciliantur	96
Galenus noratus	584
Galenum à Dioscoride de dendrolibani viribus dis- sentire	565
Galenum diuidentem genera pulsuum vsque ad mi- nimum, risisse	585. (143
Galenù dixisse, nullù ex dolore capitis mortuù esse	
Galenum fuisse bonum virù, qui nimio quodam stu- dio se conformare Dioscoridi voluerit	576
Galenum in catarrhi cura, nunquã cauterijs, sed tan	

I N D E X.

tum vesicatorijs vsus fuisse	172
Galenum multos in Asia per literas Roma missas, sola hiera simplici curasse	217
Galenū sæpe fluxiones sola euacuatione curasse	651
Galenum solo bolo Armeno multos asthmaticos curasse	34
Gallica scabies quando morbus sit vocandus	300
Gallicus morbus à qua temperatura pendeat	301
Gallicus morbus hominibus circa torridam zonam habitantibus cur sit proprius	ibid.
Gallici morbi curatio	124.292
Gallici morbi locus proprius	785
Gallici morbi signa	300
Gallici morbi, podagræ & hecticæ vnà cum pruritu maximo, cura	721
Gallicum morbum non ad solutionem cōtinui, sed ad hepatis intemperiem esse referendam	300
Gallicū morbum sedem suam habere in hepate	443
garbo	556
garyophyllum	566
garyophylli examen	558.559
Germanorum & Polonorum mos taxatus	409
Germanorum in calefaciendis hypocaustis mos im probatus	253
Germanorum mos taxatus	57.125
Germanos, hyeme præcipuè, in duob. extremis sum mopere peccare	55
gonorrhœa quid sit, & vnde accidat	448
gonorrhœam per se non posse fieri vitio renum, sed per consensum & ratione vicinitatis	449
grauitas capitis & sibilus aurium vnde	83
grauitatis causa	48
Guaiaci decoctum bibituris cum fructu quid sit necessarium	338
Gum-	

I N D E X.

gummi iuniperino Italiam carere	614
gummi nucis muscatae utilitas	43
gummi thuris 563. examen	564

H

Hæmorrhoides claudere volens, cur vnâ semper apertam relinquere debeat	334
hæmorrhoides vbi astringendæ sunt, vnâ semper apertam relinquendam esse	400
hæmorrhoides vt diuertamus tutius esse quàm constringere	ibid.
hæmorrhoidarum fluxus vnde proueniat	29
hamech confectio quæ cõmoda præstet	438.592
Hebræorũ ferè totum genus melancholicũ esse.	786
hæcticæ febris signum inseparabile	771
hæcticæ prima species cur facilius curetur, quàm illa quæ ex putredine humoris cholericici à cholera vitellina facta sit	49
hæcticæ primam & secundam speciẽ difficillimè cognosci	590
hæcticam primam & secundam, iuxta Auicennam, difficulter cognosci, tertiã verò ab omnibus percipi	748
hæcticæ tres species	ibid.
hepar calidum & siccũ habentes, cur perpetuò bonis actionib. in ventriculo destitui necesse sit.	645
hepar calidum & siccum habentes, cur multis euaporationibus ad caput, & destillationibus subiecti sint	149
hepar habentes calidum, cur facilè in dolores capitis incidant	64
hepar cur sit nobilius liene	669
hepar & cor refrigerata, cur non facilè calefiant.	399
hepar generationis sanguinis, ex quo spiritus generantur, instrumentum necessarium esse	358

I N D E X.

hepar quando non faciat sanguinem idoneum	373
hepar unde nimium refrigeretur	398
hepatis caliditas quantum ad capitis repletionem faciat	1
hepatis caliditatem insignem arguentia	384
hepatis caliditatem quæ sequantur	760
hepatis calidi signa	81.82.149.393.811
hepatis linimentum	401
hepatis malam temperaturam frigidam, quæ mala con sequantur	356
hepatis nimia caliditas, & amplitudo vasorum, quæ incommoda præsent	473
hepatis proprium munus	355
hepatis temperatura calida & humida, ad replendum caput aptissima	94
Heracliti dictum	235.704
herba falsaria	276
hermodactyli	643
herniæ curatio	381
hiera simplex, in defluxibus menstruorum alborum, cur sit præstantissimum remedium	255
hieræ simplicis confectio cur à pharmacopolis male conficiatur	217
hiera cur magis quam aloë exiccet	800
hieræ simplicis descriptio	382
hieræ vsus laudatus	477
hieram solam, sicut & aloë, nimium exiccare	167
hominem interdum non sentire, cum sit intentus in aliud	706
homines etsi modicè biberint, cur plurimùm sæpe de urina excernant	724
homines suapte natura ad omnes circa caput affectus perpetiendos, quinam paratissimi habeantur	2
hordei natura	316
	<u>horri-</u>

I N D E X.

horripilatio vnde fiat	578
humectantia melancholiam	662
humectantia substantificè, in quibus dispositionib. conueniant	628
humectare quandoque non per se, sed per accidens, vel per aliud, quomodo contingat	558
humiditatem arguentia	601
humidi capitis signum	512
humidi cerebri signa	211
humida corpora dummodo euentantur, non putre- scere	579
humor circa pulmonem quando putrescat	748
humor melancholicus duplex	706
humoris dominium à corporis colore indicari, nisi in profundum humores decubuerint	371
humorem radicalem quid maximè exiccet	394
humores ad flatus generandos apti	761
humores biliosi vnde generentur	632
humores cur falsi fiant	435
humores duo in corpore humano rubei	201
humores innominati vnde	632
humoris melancholici natura	761
humores melancholici quomodo præparandi	662
humores quomodo concoquendi	661
humores in euacuatione non esse trahendos ad lo- cum nobilem	303
humores quatuor esse qui putrescant	657
humores præparare & concoquere volentibus duo esse facienda	661
humorum prauorum ex ascensione vaporum peten- tium caput, indicia	179
hydrops quid sit	567
eius essentia	507
hydropis initium	398

I N D E X.

hydropen esse accidens, non ægritudinem	575
hydropen esse propriam passionē, quæ ad ipsam hepatis frigiditatem consequitur	33
hydropicus Venetijs ex ascite & tympanite curatus	568
hydropici & cachectici cur frequentissimè febricula laborent	399
hydropici ex ascite cum tympanite curatio	567
hydropici nonnulli cur plurima bile quandoq; abundant, cum tamen sint frigidissimi hepatis	399
hyemis frigiditas quos effectus habeat	160
hyosciami albi examen	558
hyosciamum nigrum & flauum venena esse	ibid.
hypochondriacæ affectionis confirmatæ cum multis symptomatis cura	773
hypochondriacæ affectioni quid proprium vnde fiat	774 ibid.
hypochondriacæ melancholiæ duæ species	ibid.
hypochondriacæ passionis cum quibusdam symptomatis curatio	368
hypochondriacam passionem quinquam facillimè patientur	785
hypochondriaci affectus curatio	383
hypochondrium inflatum quid indicet	692
hypochondrij dextri subtumidi causa	532
hyssopus humida	741
<i>ixop</i>	803
I	
I magines post fixationem visus cur appareant	214
imaginatio cur sensibus reliquis saluis, præter visum corrupta esse possit	529
imaginatio & tristitia præter rationem, ratione affectus hypochondriaci, per quæ signa propria & pathognomonica præbentur	370 im-

I N D E X.

imbecillitas totius capitis & oculorum quomodo curanda	67
imbecillitatis ventriculi, cum fluxu mensium alborum curatio	382
inæqualitas duplex	583
impostorum cõmenta detecta	480
impostorũ voces in curando morbo Gallico per linimenta vel suffumigia, negligendæ	322
impostura aromatariorum in destillandis aquis detecta	686
impresionum malarum facilitas atq; necessitas unde consequatur	I
incidentia sine mordicatione	437
incisam materiam distillandam esse	547
incisio quid	550
incisioni quæ idonea sint	551
inconstantia quorundam medicorum taxata	660
indicationem à symptomate nullam haberi, nisi causæ rationem habeat	631
indicationis magna pars unde sumatur	402
indicationes ab ophthalmia quatuor oriri	223. (361
indicationes curatiuæ unde principaliter sumantur	
indicationes præseruandi, à curandi rationibus non multum variare	407
inflammatio capitis, cum dolore dorfi, & suppressione menstruorum, quomodo curentur	44
inflammatio capitis cur aliquando sit absq; dolore.	48
inflammatio in tunica cõiunctiua quomodo cognoscenda & curanda	229, 230
inflammatio pulmonis cur fiat	111
inflammationes in senibus rarò contingere	621
innominata temperies quæ	301
intemperies humida cerebri quomodo emendanda, ac dentes insuper à nigredine & putredine præser	

I N D E X.

uandi	97
intemperiem cerebri calidam & humidam acriōnes corrumpere	704
intemperiem in membro secundū affluxum mate- riæ generari	504
intellectus quorundam imbecillitas notata	550
intentiones siue consilia quatuor, ad localem parti- cularemq; euacuationem materiæ frigidæ ac pi- tuitosæ in capite existētes, legitimè faciendā.	549
instrumenta duo potissimū, ad calculi curatio- nem	420
instrumenta prima naturalia stomachus & hepar es- se	555
intrinsecę causæ morborum quæ dicantur	193
Ioannes Baptista Lunisus scirrhus lienis affectus, curatur	289
Ioannes Grammaticus & Simplicius Alexandrię vi- xerunt	546
Ioannis Phrysijs mentio	687
isthiadici curatio	589
isthuria quid	447
ius pulli	766
ius pulli pinguis fluxum hæmorrhoidū curare	400
Iurisconsultorū sollicitudines & animi affectus	196
Iustiniani cuiusdam epileptici obitus	65
L	
L abor	501
laborantis fastidio & cruditate ventriculi cum ca- tarrho leui, curatio	612
lac mulieris quale	727
lac pessimum vnde generetur	718
lactis asinini vires	274
lactis caput	472
lactis, in quo ferrum candens fuerit extinctum, vti- litatē	litag

I N D E X.

fitas	588
lachryma terebinthina seu laricina cur tabidis com- moda	581
ladani vires	588
lapis insignis in vesica quomodo procreetur	405
lapis in pueris cur magis in vesica, quàm renibus ge- neretur	436
lapidis generationis causa	435
lapidem in renibus genitum mandari sæpe ad vesi- cam	405
lasisitudinis species	502
lasisitudini ex labore quomodo succurrendum	501
laticam febrem esse hecticæ simillimam	108
laticæ febres quæ dicantur	670
lauare aluum, & prouocare vrinam, febres putridas curat	700
Laurentium Brachalenum ex animi affectibus in epi- lepsiam incidisse	63
lenire aluum, & prouocare vrinam, nihil esse ad fe- brem ex obstructione tollendam, efficacius	5287
Leonora Sacrata Flischa quibus affectibus infestata fuerit	373
lepra antiquis quid propriè dicta	651
lepra vnde	754
lepræ proprium	753
lepram nostratum medicorum ab elephantiasi anti- quorum longè differre	651
librum de affectibus renum, non esse Galeni	166
libros de arte destillandi magnæ altitudinis Vene- tiji in S. Marci bibliotheca haberi	687
lichenes cur Plinius mentegram vocarit	581
lienis tumefacti inunctio	347
lieni expurgando quæ conueniant	556
lienem repletū melancholia quid sequatur incom-	

I N D E X,

modi	775
lienterici fluxus signa	596
lignum sanctum cur semper curet morbū Gallicum, si seruenturseruanda	308
ligni Guaiaci decoctum quæ commoda præstet.	454
455	
ligni sancti caliditas cur non exterius ita vt piperis, sentiatur	305
ligni sancti decoquendi atque vtendi modus.	311.312
319.320	
ligni sancti temperatura quæ	305
lignum sanctum interius sumptū mirum in modum calefacere	ibid.
limonum succus	552
limones cur non in alembico plumbeo destillari de- beant	438
lini & scœnugræci seminum decoctum	741
linimentum Montani, quo vsus est in quodam, cui tota abdominis pars ita exiccata erat, vt quasi in- testinorum contractio videretur	751
linimentum pectoris	679
linimentum pro corde	284
pro ventriculo 751.	pro toto ventre 574
lipothymix causa	174
liquiritiæ decoctum	741
lixiuum capitis acre	155
lixiuum capitis corroboratiuum	4.20.
23.38.58.73.244.269.514.	
locus affectus ac dolens ex calculo, cur ante euacua- tionē nullis calidis fomentis sit fomētandus.	426
loco affecto adhibere resoluentia & exiccātia reme- dia ante corporis euacuationem, omnino contra- rationem esse	539
locum catarrhi proprium, in quo putrescat, esse pe- cto-	cto-

I N D E X.

Acoris cavitatem	746
lotio ad resolutionem materiei, exiccationē & cor- roborationem cruris	538
lotio capitis pro suffusione	623
lotio pedum ad prouocandum somnum	138
lubricatio membrorum vnde fiat	737
Lucenses aquæ	76
Luna quibus temporibus potissimū humoribus do- minetur	731
Lunæ vires in cerebro	249
lupulos summopere caput replere	24
Lusitanus aër qualis	796
luxationis petis curatio	537
M	
M Agdaleon ad epilepsiam	60
magneti cur allium vim trahendi ferrū adimat	456
magnitudo pulsus vnde cognoscatur	583
magnitudinem pulsus in tribus considerari	584
malua	551
maluæ decoctum	741
mannæ examen 565. vsus	204
Marcus Antonius Contarenus philosophus	467
mastiche	588
mastiches simplicis commoda	184
mastiches vsus	513
materia ad medium muscoli defluens, abscessus : ad caput verò muscoli conuulsionē seu spasmus fa- cit	729
materia cur in aliquib. ad pectus subinde defluat.	391
materia crassa ex pectore ad pulmonem quomodo transeat	747
materia faciens vapores per consensum	530
materia melancholica quomodo coquenda	661
materia peccans vnde cognoscatur	638

I N D E X.

materia per diuretica quomodò præparanda	499
materia per quas vias ad vesicam defluat	392
materia prius concoquenda, quàm euacuanda	115
materia quæ difficulter emolliat aut resoluatur	739
materiae ad chordas defluentes, cur non motus conuulsuos excitent	729
materiae crassae duæ	789
materiae frigidae signa	504
materiae putrescentis in pulmone indicia	769
materiam à calido induratum & petrificatam, non posse mollificari	740
materiam defluentem in aliqua parte congregari, & ex ea collectione duo fieri	504
materia non esse trahendam ad loca infirma, sed potius auertendam, in conseruanda sanitate renum & vesicae	493
materiam pituitosam posse circa venas putrescere, ita vt pus appareat, & tamen non fieri vlcus	451
materiae crudae, cur per virgam quandoque excernantur	490
matricis suffocationem sæpissimè à zelotypia provenire	482
meatus duabus rationibus constipari posse	553
mediana cur tangatur	376
medicamen empiricorũ quorundam in abscessibus, simile cerino antidoto, ex quibus componat	308
medicamentum in lienteria ex vlcere præsentissimum	678
medicamentũ omne cõponitur, sumpta semper indicatione à morbo, què dedellèdũ aggredimur.	547
medicamenta, quæ ab ore sumuntur, cur varia nomina sortita fuerint	544. (414
medicina maxima & optima pro euitando catarrho	
medicinae hierae, id est, sacrae cur vocentur	545
	me-

I N D E X.

medicinæ purgantes moderatè, tam simplices quàm compositæ	272
medicinæ pituitam mixtam cum adustis humoribus digerentes & euacuautes	306
medicinæ quomodo forma specifica agere soleant	684
medicus arte expulsiurus materiam redundantē, co- ctionem prius tentare debet	550
meditus naturæ minister est, ipsa verò operatrix.	203
medicus quid in illis quæ sunt præter naturá atten- dere debeat	719. (581
medici cuiusdã super hydropico cõsulentis ineptiæ	
medico in dolore podagrico 4. considerata	722
medico quandã de ægroto non desperandum	587
medico quis finis præpositus	331
medicum esse debere naturæ ministrum	604
medicum præstantissimum, & coquum egregiũ ma- ximè sibi inuicem aduersari!	331
medici imperiti taxantur!	691
medicorum auarorum de urinæ inspectione inuen- tum	580
medicorum incitia ac temeritas taxata	225
medicos naturam imitari debere	550
medicos solos oculares esse debere	226
mel rosatum cur syrupo acetoso admiscendũ	740
mellis rosati vsus	750
melancholia hypochondriaca quid	370
melancholia hypochondriaca cur habeat interual- la	373
melancholia hypochondriaca vnde nascatur	363
melancholia vnde multiplicetur	626.627
melancholiæ curatio	608
melancholiæ duæ species	369
melancholiæ effectus	764

I N D E X.

melancholiæ hypochondriacæ curatio.	363.648.759
melancholiæ signa	626. causæ
symptomata	ibid. 627
melancholię triplex species	779
melancholiam hypochondriacam in omnibus pro-	
longari	783
melancholiam hypochondriacam habentibus, quæ	
propriè conueniant	770
melancholicus humor vbi multiplicetur	22.782
melancholici curatio	591.625.701
melancholici humoris signa	790
melancholici proprium timere	706
melancholicū humorem benignè & clementer tra-	
ctandum esse	765
melancholici an ad balnea mittendi	779
melancholici cur rideant, aut rixentur	630
melancholici in paracmastica ætate quinā fiant	639
melancholici cur sint venerei	761.775
melancholico humore abundantes cur plerunq; hy-	
dropici & splenetici efficiantur	705
melancholicorum variorum exempla	706
melancholicis cur stillicidia in commissuris capitis	
auertenda	163
melancholicis quid proprium	706.762
melancholicos esse frigidos & siccos	592
melancholicos plurimum appetere, sed parum pos-	
se	761
meliloti emplastrum	573.588
membrum aliquod dupliciter posse debilitari	638
membrū duplici ratione ad calidum alterari & vio-	
lenter attrahere	251
membrum quando primogenio affectū esse dicatur,	
& quando per essentiam	637
membrum sanum quod dicatur	711
	mem-

I N D E X.

membra debilia superfluitates aliorum suscipere	140
membra naturalia debilitari, cum febris phlegmatica x i i i .diem pertransierit	49
membra naturalia corroborantia	401
membra sine purgatione premissa, alterari non posse	596
membrorum enumeratio, in quibus quotidie excrementa aggregentur	555
membrorum temperaturæ ex actionib. cognosci.	440
membrorum tremor, & mouendi imbecillitas ex vitio cerebri, quomodo curanda	135
mens quando laboret	706
menstrua alba ultra sex menses, ex Hippocratis sententia, non curari	733
menstrua cur deficient, & in qua ætate	32
menstruorum diminutio ex quibus causis oriat.	694
menstruorum prouocatio	681
menstruorum retentionem, & præcipuè feminis, plurimum ad affectus cardiacos generandos posse	282
mercatori cuidam frumentario, ex hæmorrhoidibus xx. libras sanguinis exiuisse	377
Mesue cum Galeno de sero lactis quomodo concordandus sit	571
metus sine causa vnde proueniat	369
meu radicum examen	566
minutus pulsus vnde eueniat	583
mithridatum cur in febre exhibitum	681
mithridati confectio venenis occurrere à sua quæ habet occulta proprietate & forma	360
molles carne, aptos mente esse	664
mollentia in secundogradu	741
mollificatio ipsam resolutionem præcedat	741
Montanus cur à cauterijs capiti admouendis abhorreat	172

I N D E X.

cur strenui cuiusdam militis curam suscipere nolue- rit	151.152
cur totum corpus Balsiani oleo amygdalarū dulciū inunxerit	582
Montanus noluit curam cuiusdam strenui militis, so- lus suscipere	151
Montanus octo libros de destillationibus naturali- bus absoluit, octo de artificialibus pollicetur. 687	687
Montani de aquis thermarum iudicium	164
Montanum & Fracastorium quendam ex inunctio- ne Mercurij statim in epilepsiā incidisse, à qua vix curari potuit, vidisse	302
morbis calculosus quid proprij habeat	408
morbis & symptoma quid differant	650
morbis Gallicus cur epidemicus dici nequeat	299
vnde originem habeat	301
morbis quomodo curandus	197
morbis curatio quid requirat	507
morbis Gallici curatio 309.	313
morbis Gallici cum febre & cōtinuis vigilijs curatio	619
morbis natura vnde cognoscatur	619
morbis Gallico, doloribus in extremis partibus di- gitorum, vleribus narium ac gutturis, ex destil- latione acris, quomodo succurrendum	317
morbis Gallico affectos, & exquisitissimè prius pur- gatos, in decocto ligni sancti feliciter euadere. 307	307
morbis epilepticum esse morbum maximū, & non nisi à vehementi causa posse causari	64
morbis facientes, causæ duplices	193
morbis Gallicum confirmatū, duo curare	305
in morbo magno à leniorib. incipere, nihil aliud est, nisi parare ægro longum interitum	78
morbis curacionem tria requirere	595
morbis maximis, maxima & exquisita remedia adhi- ben-	ben-

I N D E X.

benda esse	78.554.772
morbos difficiles, longissimum curationis tempus requirere 168.	(174)
motus omnium musculorum à Gal. tonicus appellatus	
motum post cibum aut potum, pessimum esse	379
mucus quid proprie vocetur	149
mulieris cuiusdam deceptio detecta	686
mulieris Veneræ casus	737
multitudo epularum quæ incommoda pariat	154
musculi varicosi vnde fiant	517
vnde moueantur & excitentur	449
musculos & medias vacuitates expurgantia	556
myrobalani chebuli optimè conditi quæ commoda præstent	239
quomodo in India conficiantur	514
myrobalanorum vsus 644.	(239)
myrobalanos chebulos inhibere ascensum vaporum	
myrrha	551. 741
eius examen 559.	vires 253
N	
Nardi, id est, spicæ examen	561
natura morbi vnde cognoscatur 734.	(698)
natura quocunq; vertit, eò maximè ducere oportet	
natura vndecunq; rapit, eò ducere oportet. 198. 698	
naturæ propria opera quæ	661
naturæ secretum esse, non inuentum medicorum, qua- re vna hora eleuentur vapores præcise, & non alia hora	747
naturam ante expulsionem redundantis humoris in corpore animalis inuenti, perpetuò coctionem tentare	550
naturam esse valde sollicitam membrorum nobilium	745
naturam fluxionum in quatuor potissimum consistere	403
nebula quibus remedijs curanda	238. 239

I N D E X.

nebulam curatu difficilem, imò impossibile esse	238
nebulam interpositam, & inflammationem oculi, esse morbos	234
nepeta	565
nephriticis quid maximè infestum	466
nephriticos, & circa vesicam dolores, non facile curam admittere	458
nephriticos senes non curari	437
<i>vepētūōis vīngētā</i>	468
nerui	805
nerui sensus cur facilius quàm nerui motus ledi possint	703
neruorum officium	729
neruis vulneratis, & in profundo, acetum cum alijs medicamentis Galenum admiscuisse	739
neruos ex vulnere incisos curationem non recipere, nec consolidari	807

O

Obscuritas & nebula cur videndo quandoq; percipiatur	710
obstructio cur non fit circa vesicæ collum, cuius ratione fiat stranguria	434
obstructionis causæ 553. cura	700
effectus	202
obstructioni lienis, pectoris & hepatis cōferētia.	673
obstructionem esse putredinis causam	617
obstructiones quomodo aperiuntur	51
vnde orientur	15
oculus ophthalmicus quomodo curandus	230
oculus quando periodicè affligatur	51
oculorum lachrymantium curatio	207
oedematicus tumor cur calidus & rubicundus aliquando fiat	523
oedematis proprium signum	516
	oleum

I N D E X.

oleum amygdalarum dulcium quæ commoda præ- stet	582.579
oleum anethinum	580
oleum chamæmelinum	579.580.741
sine attractione resoluit	753
oleum garyophyllorum	79
oleum liliorum alborum	579
olei rosacei vires	727
ophiasis quid	716
eius curatio	715
ophthalmia quid	219
ophthalmia simplex quid, & eius causæ	219.220
quomodo distinguatur	ibid.
ophthalmia humida vnde contingat	222
sicca vnde	ibid.
ophthalmia quæ nam incurabilis	712
ophthalmiæ, cum principio suffusionis, & ulcere in cornea, curatio	233
ophthalmiæ curatio	218.708
quænam requirat obseruanda	225
ophthalmiæ distinctio à forma	222. tempora. 227
ophthalmiæ simplicis per defluxû à materia sangui- nea & biliosa generatæ, curatio	232
ophthalmiæ simplices quomodo distinguantur.	220
ophthalmiæ tempora	227
ophthalmiam, suffusionem, & vlcus, morbos esse in compositione, & solutione continui	238
ophthalmiæ pessimæ quæ dicantur	222
ophthalmici cuiusdam casus	226
opium cur à tota sua substantia rebellis sit calori na- turali &c.	559
opij examen	ibid.
opium refrigerare & exiccare	558
opobalsami examen	557

I N D E X.

præferuatio à podagra	54r
præferuatio à catarrho falso destillate ad partes subiectas, excitante diuersa symptomata	75
præferuationem à calculo totam, in manu patientis sitam esse	488
præferuationem duobus modis sumi	497. 498
præferuationem à timore vel cautela non separari.	496
præsidium nullum esse tam bonum, quin habeat aliquod nocumentum	727
prognosticum de epilepsia	95
prognosticum Galeni ex Diocle, de melancholia hypochondriaca	375
promptitudinis ad iram causæ	264
prunorum effectus	328
pruritus vel scabies, vel ἀχίρσις unde causentur	716
pruritus causæ	705. 715
prurimum generans	647
psora à lepra quomodo distinguatur	753
psora unde fiat	754
psydraciæ	ibid.
ptisanæ hordeacæ commoda	579
eius natura 316. vires	683
puella Dalmata 18. annorum, tota contracta, ex balneo S. Bartholomæi perfecte sanata est	74r
puellæ tredecim annorum, cur non viris desponsari debeant	730
pueri cur molles sint 46.	(436
pueri ex vesicæ lapide laborâtes cur sedere nequeant	
pueri in qua ætate maximam capitis debilitatem habeant	718
pueri melancholici cur in principio celeriter augeantur atque crescant	780
puerorum natura qualis	818
pueris theriacâ aut mithridatû non conuenire	147
	pueros

I N D E X.

tricoli, quomodo succurrendum	276
pectoris vinctio	581
pedes cnr estate intumescant, hyeme exsiccentur.	523
pedum frigiditas cur vitanda	15
pedum titubatione ex leui vertigine, quomodo succurrendum	526
pedum tumor vnde	778
pentaphylli virtus	515
periodus febris quomodo fiat	51
periodi variæ vnde causentur	452
peripneumonia quid	110
Petrarchæ dictum	494
petroselini & aliorum diureticorum vsus quotidianus, cur calculosis apprimè noxius sit	414
Petri Bembi laus	462
pharmaci proprium	47
pharmaca quid habeant cõmune	163
pharmaca multiplicare in hypochondriacis nihil esse perniciosius	783
pharmacopæorum ineptorum in medendo calculo, error taxatus	414
philonium infrigidare	814
phlebotomia an in febre pestilentiali conferat	621
phlebotomiam sæpe iteratam in melancholia conuenire	765
<i>φλογοσις</i>	774
phthiriasis, seu tinea capitis antiqua quomodo curanda	120
phthiæ causæ	772
phthiæ curam cum prognosticatione aggrediendam esse	772
phthiæ curatio	576
pilulæ ad capitis & stomachi confortationem	137
pilulæ ad præseruationem calculi	414. 649

I N D E X.

pilulæ ad præseruationem à podagra	542
pilulæ pro melancholico	649
pilulæ pro quartanario	690
pilulæ trahentes à iuncturis	740
pilularum de cynoglossa sine opio vsus	750
pilularum de hiera simplici descriptio	380
pili palpebrarû post euulsionem ne iucrescât, quid agendum	190
pilorum defectus vnde causetur	715.716
pilorum generationem prohibentia	ibid.
pilorum loco cur crustæ sæpe generentur	718
pilorum materia conueniens quæ	715
pilos instaurantia, eosque & solidiores & venustio- res, reddentia auxilia	343
Pincernæ Cardinalis de Medicis fuga	360
piuguedo	811
pinguedinis humanæ vsus	741
pinguia frigida esse	598
piper 552.556. eius vsus	513
piperis cum ptisana vsus	804
pituita cur aliquando falsa & nitrosa reddat.	390.725
pituita cur plurima in ventriculo generetur	777
pituita in hepate & ventriculo quid differant	393
pituita quando varios affectus producat	474
pituita falsa nitrosa vnde generetur	396
pituita vnde induretur	738
pituitæ & succi melancholici suapte natura redun- dantis, causa	523
pituitæ putredinem non ita detestabilem esse vt san- guinis	769
pituitam & humores crassos educentia	152
pituita non tam intense, vt sanguine putrescere.	768
pituitam non veram in ventriculo generari	64
pituitosus fluxus per vrinam, vlcus in pudendis &c. quo-	

I N D E X.

quomodo curanda	808
Platonem bene concupiscentiam in hepate, irascen- tiam in corde, animalem virtutem in cerebro po- fuisse	441
pleuresis vera signa	620
pleuritidem quęnam constituent	619
pleuretici curatio	612
plenitudinis cura	132
plenitudinem quid augeat	133
plethorę signa	483
plumbeum colorem super dominiũ frigiditatis at- testari	355
poculum ad nutriendum aptissimum	136
podagra 141.	(639
podagram calidam semper esse cum inflammatione	
podagram confirmatam nullam curationem admit- tere	726
podagram & alios morbos frigidos etiam sanguinis missione à Galeno curatos esse	254
podagrici doloris dextri pedis pollicem occupan- tis causę	475
Polonorum mos	632
polypnarium ad cancrum accedentis curatio	244
pomum odoriferum	23. 674
<i>πίνος</i>	501
potentialia cauteria bipartitò diuidi	615
potio ad cordis palpitationē & syncopen	611. (428
potus aquarũ mineraliũ cõstantes vires cur requirat	
præfocationis matricis curatio	481
præfocationem matricis quandoq; esse posse mor- bum in compositione	481
practicantiũ error, de administrandis diureticis cal- culosis taxatus	494
præseruatio à calculo	421. 422. 423

I N D E X.

omenti officium	47.648
origanum	565
orta debere attestari suis principijs	64
oua in febribus continuis cur nunquam danda	674
oua iuuenibus Galenum in tertiana exhibuisse	207
oxymel	773.
oxymel etiam actu calculos frangere	814. (145)
oxymel Galenus frigidum, Montanus calidum dixit	
oxymel Hippocr. cur in pleuritide exhibuerit	642
oxymel pharmacopolarum dulce esse	205
oxymellis vires	501.590

P

P Apauer & hyosciamum in refrigerando tertium & quartum gradum obtinere, in humectando ve- rò nullum	558
paralyfis	611
paralyfis & apoplexia quid differant	815
paralyfis quæ magna, quæ item parua dicatur	152
paralyseos sinistri lateris curatio	815
pararthralis quid Græcis vocetur	279. (426.427)
paroxysmus calculi, quæ medicamenta requirat.	
paroxysmi tertianæ, quartanæ, & quotidianæ causa	452
paroxysmorum dies cur non sint expectandi	658
passionem sensus cõmunis, etiam exteriores secum ad compatiendum trahere	529
passionibus pudendi, ardori urinæ, difficultati min- gendi, gonorrhœæ & febri erraticæ quomodo suc- currendum	439
passularum orientalium vires	328
Patauina balnea qualia	378
patientes diminutionem in motu quarundam par- tium corporis curatio	610
pectoris angustia ex catarrho, & imbecillitati ven- tri.	tri.

I N D E X.

pueros omnes humidioris esse cerebri	98
puerperæ tussientis admodum, curatio	679
pulmo cur sit faciliè putrescibilis	266.745
pulmonis carnem præ reliquis omnibus faciliè pu- trescere	266
pulmonis vasa cur ad corrosionem apta	767
pulmonis vlceris signum	III
pulmoni, & ægritudinibus pectoris, cur diuretica conueniant	746
pulsus quid	631
pulsus inæqualitas vnde causetur	109
pulsus vnde durus efficiatur	620
pulsus inæqualitatem semper duo significare	578
pulsus quæ faciant, tria esse	587
pulsuum differentias non plures Montanum, quàm sex nouisse	583
pulsuum vltimas quatuor differentias à Galeno po- sitas, esse forsitan imposturas	583
pulis capiti inspergendus	544
pulis ad renes	470
pulueres pro catarrhosis à cœna	675
puluisculus ad corroborandum caput	514.544
pupillæ dilatatio vnde 801. constrictio vnde ibid.	
purgandi modus in vere & autumno	336
purgatio pro quartanario	649
purgatio ad splenis duritiæ post diurnam febrē	346
purgationes cur opportunis temporibus faciendæ	3
purgationes quomodo fiant	384
pus duplex esse	746
pus & sedimē in vrina, media inter putrefactionem & concoctionem esse	581
pus in ossē per poros ad carnem transire	747
pus vnde fiat	746
pustula vnde generentur	650

I N D E X.

putredinis pituitæ duæ causæ	725
putredinem in humoribus curari posse, sed raro, & à peritis medicis	621
putredines, causis cessantibus cessare	299
pyrites vulgò marchesita dictus	540
pyritis lapidis vsus	741
pyritis loco, molaris lapis accipi debet	741
Q uestio vniuersalis, de diureticis, an in tempore sanitatis ad præseruationē conueniant ijs, qui num, vesicæq; affectibus sint obnoxij, in vtranq; partem explicatur	492. 493
Qualiarum esum epilepsiam generare	18
qualitates in cerebro quænam ad prudentiam maxi- mè faciant	263
quartanæ causæ	657
quartanæ frigus quomodo ab alijs febribus distin- guatur	658
quartanæ triplicis curatio	656. (765)
quartanā acrius curatam, duplicem fieri quartanam quotidianæ frigus quomodo ab alijs febribus distin- guatur	658
R amicis intestinalis curatio	379
rationis perturbationem quid cerebro inferat	627
Raymundi mentio	686
refrigerantia hepar	306
refrigeratio hepatis quomodo accipienda	399
refrigeratio immoderata vnde fiat	467
Reges medicæ artis semper studiosos fuisse	545
regimen quale morbo Gallico affectus præscriben- dum sit	320
regimen in potu ligni ex oculis laborantibus quale præscribendum	291
regula generalis de cibis, in primis obseruanda	330
remediū expertū contra fluxum hæmorrhoidū.	400.
	reme-

I N D E X.

remedium præstantissimum conferens flatibus ven- tris, remouens cordis affectus, diuertens & eua- cuans humores crudos, corruptos, obstructions aperiens. & membra naturalia corroborans	283
remedia qualia ægrotis ordinari debeant	576
remedia optima & familiarissima ad aluum emollien- dam in sanis etiam, sine aliqua molestia	270
renes diureticorū vsu, tanquam lacunam, ad super- fluitates totius corporis suscipiendas, effici	494
renes à natura cur facti	468
renes ad nocumenta suscipienda facillimè præpara- ri posse	494-495
renes aut vesica cur non ad excrementa suscipienda preparari debeant	494
renes cur nimium incalescere soleant	466
renes cur sanguinem aliquando trahant	469
renes per quæ media cōmodius officium suum præ- stare queant	468
renum caliditas quomodò ad salacitatem faciat.	441
renum caliditas vnde cognoscatur	384-635
renum & vesicæ mala cōplexio sine materia, & cum materia quomodo curanda	497
renum imbecillitas in senibus naturalis, & ætati ip- sorum consentanea	465
renum inflammationis causæ	803
renum inunctio	382
renum proprium officium	466
renes ex se nullius sensus esse	406
renes habere diuersa loca, in quibus calculi genera- ri possint	403
renibus nullius rei excessum salutarem esse	468
renibus quæ præcipuè aduersentur	467
repletionis capitis causæ	636
resoluētia ante mollificationē cur nō adhibēda.	741

I N D E X.

resolutioni in omni abscessu, semper intendendum esse	593
retentionis vrinæ causæ	447.498
retentio quibus rebus fiat	555
rhabarbari substantia	553 vsus 402.535.644
rhabarbari vsum cum saccharo rosaceo in æstate meliorem esse, quàm hieræ species in pilularum formam redactas	524
rhabarbari vsum renibus multū cōferre	470. (419
rhabarbari vsus calculosis & podagricis cōueniens	202
rigor in tertiana quando fiat	202
vnde fiat	650
rigorem etiam sine febre interdum esse	ibid.
rosas siccas intestina confortare	629
rosatum zuccharum	784
S	(640
Sabini sententiam de spleneticis vbi Gale. refutet sacchari rosacei vsum omnes corporis partes iuuare, præcipuè autem renes	275.469
sacculus pro ventriculo	401
salacitatis causâ	441
sapo pro lotionè capitis	38
Salernitana vina qualia sint	419
falsedinem ex duabus rebus prouenire	651
falsedo maris vnde	ibid.
falsedo & amaritudo quid differant	ibid.
falsedo vnde oriatur	667.771
falsedinis catarrhi causâ	265
falsedinis materiæ causâ	639.445.457
saluæ examen	565
sanguinea temperatura vnde cognoscatur	528
sanguis bonus vnde generetur	400
sanguis crassus & adustus vnde multiplicetur	372
sanguis cur niger, crassus & melancholicus efficiatur.	tur.

I N D E X.

tur	364
sanguis eiectus à quacūq; parte corporis, malū	113
sanguis è pulmone exiens, cur quandoque rubeus, quandoque subniger appareat	110
item cur spumofus	111
sanguis melancholicus plurimus vnde generet̃	811
sanguis ne mitri possit xlvii. annos, & laboranti calculo	412
sanguis per sputum vnde eijciatur	109
sanguinis missione vtrum in principio ophthalmiæ opus sit	223
sanguinis putredo cur ita detestabilis sit	768
sanguipē etiam non spumofum à pulmone exire	111
sanguinem extra venas facillimè ac citissimè putre- fcere	110
sanguinem pulmonis spumofum esse	109
sanguinem putrescentem non facere periodos	201
sanguinem putrefactū magis fœtere, & deteriorem esse quàm pituitam putrescentem	746
saphas 754. sapo odoratus	514
sapones & vitra vnde fiant	615
sapores tres in garyophyllis	558
scabies vnde fiat 725 eius cura	649
scabiei humidæ cum pruritu curatio	652
scabiei verâ causa	647
scabiei conferentia post purgationem	653
scabiei tinnitui aurium, hæmorrhoidibus quomodò succurrendum	645
scabiem generans 647	(770
scholares nō habere maiorē hostē quàm catarrhum	
scirrho lienis, & obstructionibus cum periculo hy- dropis, quomodò succurrendum	289
scirrhum dupliciter fieri	357
scirrhum lienis discutientia	395

I N D E X.

ſchirrhos hepatis ſecundùm Galenum nunquam eſſe curatos	358
ſcopus antidoti aureę Alexandrinę principalis	547
femen ad os veſicę non peruenire	810
feminis fluxionem ſecundùm Auicennam etiam muſculorum ratione fieri poſſe	449
feminis fluxum inuoluntariũ, Galenum ad duas cauſas retuliſſe	ibid.
feminis materia	450
feminis vnciam vnã importunè eiecti, plus afferre detrimenti, quàm ſanguinis quadraginta	422
feminum althęę, cucumeris &c. decoctum	555
feminis ſuperfluitas quando generetur	809
femine multo quĩnam careant	ibid.
ſemperuiui ſucci proprium	677
ſenectus ipſa cur morbus ſit	165. (66
ſenex epilepticus ſolo cauterio in brachijs ſanatus	
ſenem incõmoda ſenectutis declinare nõ poſſe.	464
ſenes cur ætate, iuuenes autem hyeme melius degant	252. 372
ſenes cur varijs morbis obnoxij	464
ſenes cur catarrhis redundant	236. (463
ſenum membra oĩa ipſo naturę curſu imbecillia eſſe	
ſenum morbi graues, longi, & magna ex parte mortales	465
ſenum propria paſſio catarrhi	236. 395
ſenum ventriculus cur in hyeme ſe peius quàm in æſtate habeat	372. (rus. 252
ſenibus cur aer frigidiffimus, ſit quãmaximè peſtiferus	
ſenilis ætatis commoda	463
ſenium primũ in ſeptimo ſeptennio, hoc eſt, 49. anno terminari	252
ſenium primum quando finiatur	165
ſenium ſecundũ ab anno 49. uſq; ad 63. durare, qui eſt	est

I N D E X.

est climactericus maior	252.	(173
fenfum ac motum corpori spiritus animales afferre		
ferpyllum		565
ferrinũ dicere pulsum, splendidũ esse mendaciũ		585
serum lactis		571
sibilus aurium vnde oriatur		83
ficei proprium		754
ficcioris alimenti cibaria		468
signum distinguens inter duritiem melancholicam, & pituitosam		516
simplex inæqualitas pulsus quid		585
fitis maximè diu perseverantis indicationes		429
folutiuis multis corpus macerare, in ægritudinibus chronicis nihil esse perniciosius		119
fomni immodica noxa		215
fomni meridiani effectus	4.	(682
fomnũ conciliantia cur per os non exhiberi debeãt		
fomnum, cibum & balneum humectare		630
spasmus ab epilepsia quid differat		62.815
spasmi causæ	61.	species tres
spasnum tripliciter fieri		61
spatium inter cœnã & prandiũ sit nouem horarũ		5
sperma quomodo per conuulsionem exeat cum quis in epilepsiam inciderit		449
spicam magis conuenire hepati, quàm stomacho.		561
spiritus quid		802
spiritus siccus, anima prudentissima		235.704
spiritus vndosi causa		601
spiritus vnde multiplicentur		400
spiritus dupliciter impediri posse		611
spirituum animalium paucitas vnde proueniat		214
spirituum caliditas è quibus signis perspiciatur		325
splen cur catarrholis intumescere nequeat		640
splen redundans humore melancholico, & intume.		

I N D E X.

scens, etiam vicina membra refrigerare	762
splenis durities post longam quartanā oborta, quomodò curanda	655
splenis frigidi cum tumore insigni &c. curatio	349
splenis tumor vnde causetur	639
splenem affectam melancholiam non euacuare	627
splenem ex inflammatione hypochondriorum, non intumescere	643
splene infrigidato, etiam hepar infrigidari, vnde hydrops	782
splene tumefacto cur corpus marcescat	639
splenetici & hepatici cura	605
sputum cur spumosum efficiatur	586
sputum sanguinis fortissimis curandum	113
sputum sanguinis triplici instrumento curari	255
sputi sanguinis causæ	268
sputi sanguinis cum febre hectica curatio	257
sputi sanguinis, & puris, cum catarrho curatio	767
staphisagriæ vsus	513
stillicidia thermarum quibus incommoda	163
stomachus vnde frigidus reddatur	179
stranguria quid 446. eius causa	436
stranguriam & ardorem vrinæ tardè curari	ibid.
studendi munus horis importunissimis quid malorum afferat	264
studiosi cur plerunq; debilem ventrem habeant.	798
succus balsami cur maximè calefacere & exiccare distyrax 551.	(cat. 557)
succus nucum 566. succi blitis vires	680
succi rosarum vires	581
sudoris materia quæ	803
suffocatio à plethora orta	483
suffocationem matricis etiam à retentione seminis prouenire	483
	suffo-

I N D E X.

suffocationem matricis à tribus prouenire	482
suffumigium ad anum	402
suffusio, seu descensus aquæ	237
suffusionem iuxta Galenum, ad summũ per sex menses durare, deinde fieri turbulentiam	213
suffusionem, quòd sex menses præterierint, incurabilem esse	238
suffusionum, quæ omnium deterrima	ibid.
fulphuris vires	784
sumach vires	679
summi ingenij causã	664
superfluitates omnes ad partẽ debile defluere.	746
suppressionis mensũ cum grauitate capitis cura.	168
surditas quæ nam incurabilis existat	783
surditatis causæ 787. curatio	ibid.
surditati ac tinnitui aurium quomodò succurrendum	680
surditatem & auriũ tinnitum antiquatũ iuuantia.	137
surditatẽ post 3. aut 4. annos etiam curatã esse	79
syncopæ causã	434
symptoma nullum curã ad se trahere nisi sub ratione morbi	774
symptomata & causæ symptomatum, pendentes ab affectu hypochondriaco	373
symptomata quæ vt morbi curentur	742
symptomata visionis diminutæ continua vnde cognoscenda	211
syrupus de cichorea cum rhabarbaro, quæ commoda præstet	506
syrupus violaceus cur substantificè humectet	683
syrupi acetosi vsus 739. 740. de betonica proprietates atq; vsus 34. de corticib. citri vsus	307
syrupi de pomis natura	376
syrupi rosati vsus	307

I N D E X.

fyropi rofati folutiui vfus	773
fyropi ad concoquendam bilem & pituitam	152
T	
T Abis caufæ 812.	curatio ibid.
tabem cordis quid fequitur	725
tabidi quomodo fiant	111
tabidorum fympfoma	586
<i>τάραξις</i> à chimofi & ophthalmia quid differat	219
<i>τάραξις</i> quid	ibid.
temperatura quæ multam pituitam generet	201
temperaturâ non ab excrementis iudicandam effe, fed ab adnatis	592
tempus opportunû tam Veneris quàm exercitij	386
tempore breui nil bene effici	168
tentionis caufæ	696
tentionis hypochondrij dextri ex affectu frigido he patis 352.	(551
tenuitas ad incifioné cur primò & per fe neceffaria	
terebinthinæ Cypriæ vfus	6.167.386.525
eius frequens vfus quæ commoda præftet	41
termini duo boni, duo mali ipfius abfcelfus	593
terreum à calido coagulatum vt lateres, non facile à calido aut frigido dilui poffe	543
theriaca noua	749.750
thermarum Calderianarum vires	78
thermarum omnium aquas fiue calidas fiue frigidas exiccare	76
thermas omnes, licet frigidæ fint, ex Galeni fenten- tia exiccare	723
thuris quatuor partes	563
timor fubitus, & triftitia præter rationem melancho- lia vocata, ex quibus caulis oriantur	369
timoris perpetui caufa	ibid.
tophos vel poros lapideos in mufculis membrorum gen-	

I N D E X.

generari posse	403
tragacanthæ examen	563
transitū facilem fieri in habentibus solum	664
tremor cordis vnde causetur	370
tremor ex duobus motibus contrarijs cur fiat	174
tremoris manus curatio	654
tremoris, ophthalmiæ sinistri oculi, & aliorum, quæ ex vitio cerebri orta sunt, curatio	173
tremorem aliquando fieri ob spirituum paucitatem.	174
Tridentinus aer qualis	796
tristem spiritum exiccare ossa	630
tristitiam causantia	777
tuberculi circa thoracis regionē lateris sinistri, tam in anteriori quàm posteriori parte curatio	278
tumor splenis vnde causetur	639
tumoris œdematici vtriusq; pedis curatio	522
tumoris splenis post diuturnam febrem curatio.	344
tumoris tā in regione hepatis quàm lienis, cause.	358
tumori in vtroq; genu quomodò succurrendum.	515
turbith Mesuei quale, & nostrum quale	740
turbith nihil eduxisse, sed tantum fecisse conturba- tiones	ibid.
tussis ex catarrho cum sputo sanguinis curatio	262
tussis quid	747
tutiam antiquorum minimè mordacem fuisse	714
tutiam non rectè preparari, cum sit mordax	714
τύφος quid Græcis denotet	578
τυφώδα, Auicennam Laticam appellasse	578
typhodes febris	108
tympania cui minus malum sit, quàm ascites	569
tympaniam & ascitem plerunq; iungi	567
valetudini quid sit maximè perniciosum	332
vapores ascendere quomodò prohibeantur	533
vapores cur plurimi ad caput transmittant, & ipsum	

I N D E X.

plurimis excrementis redundare faciant	636
vapores in caput ascendentes, cur faciliè in catarrhum vertantur	236. 636
vaporum causæ	529. 530
varices, & <i>κακοήθη</i> vlcera vnde fiant	575
vasa feminaria vnde ortum trahant	449
vasa urinaria quod officium vesicæ præstent	392
vehementia & debilitas pulsus vnde cognoscant	583
vehemens ac debilis pulsus quis dicatur	584
velocitas pulsus vnde cognoscatur	583
venam pulmonis corrosam nunquã consolidari posse, disruptam verò intra triduum posse consoli- dari, postmodum autem nunquam	266
venam secare in principio febris pestilentis, cur sit optimum	621.
venæ	805
venenum à forma specifica operans statim interfice- re	360
veneni per frigiditatem operantis, si prima die non operatur, cur virtus statim cesset	360
venena omnia ad tria capita posse deduci	359
Venetijs puellæ, & scholaris Patauij admodum iuue- nis, cur post cauteria capitis miserimè interie- rint	172
Venetorum nobilium mos taxatus	781
veniam debere à virtute, tanquam à principe terre- no sumi	204
ventositatum causæ	776
ventriculus cur non concoquat	373
ventriculus cur non stringatur	776
ventriculus frigidus, & hepar calidum, quomodo tra- ctanda	385. (373)
ventriculus sentiens mordicationem, cur debilitet	614
ventriculi actiones	614
ven-	

I N D E X.

ventriculi frigidioris, & hepatis calidioris homines, cur ad repletionem capitis sint paratissimi	1.163
ventriculi frigiditas cur ferè semper cum caliditate hepatis sit	47
ventriculi frigiditas vnde cognoscatur	82
ventriculi frigidi effectus 665. signa	117.264
ventriculi imbecilli signa	264
ventriculi imbecillitatem, atq; hepatis caliditatem, ex omnibus intrinsecis causis, quæ ad affectus ca- pitis præter naturam generandos cõducunt, po- tissimos esse	I
ventriculi inunctio	492
ventriculi robur vnde violetur atq; diminuatur.	762
ventriculum atque hepar corroborantia	42
ventriculũ præ omnibus quid maximè debilitet.	670
ventris totius vnctio	581
ventres hyeme cur natura calidissimi sint	371
venularum minimarum apertio in pulmone vnde fiat	769
venerem nihil aliud esse quàm breuẽ epilepsiã	17.58
venerem in senibus nullum vnquam locum habere debere	466
verdaceum, pruni genus esse	272
vertigo quid sit 529. vnde oriatur	22
vertiginis, & tinnitus aurium antiqui curatio	137
vertiginis leuis causa	531
vesica à quibus nam membris mandantib. pituitam recipiat	340
vesica materias defluentes cur recipiat	381
vesica cur superfluitates potius, quàm cætera mem- bra recipiat	ibid.
vesicæ imbecillis signa	392
vesicæ in naribus cur fiant	639
vesicam esse siccam	391

I N D E X.

vesicantia cauteria	615
vesicatoria	116.276.615
vesicatoriorum catalogus	276
viæ, per quas renum calculi transeant	405
vias cõmunes à cerebro ad pulmonem non esse, nisi asperam arteriam maiorem	745
victus ratione optima in longis & pertinacib. mor- bis nihil efficacius, neq; præstantius esse	518
vigiliæ ac tabes vnde oriuntur	554
vigiliæ nimix noxa	215
vigiliarum causa immediata, siccitas	315
vim seu tonû omnibus membris esse necessariû	493
vinum acidum & austerû, quæ cõmoda præstet	534
vinum album & leue 579. tenue	555
vinum album vrinam prouocare	167
vinum album calculosis cur maximè suspectum esse debeat	500
vinum an epilepticis concedendum	66
vinum cur epilepticis in principio morbi interdica- tur	96. 603
vinum cur podagricis interdendum	643
vinum cur præ cæteris alimentis corpus humanum maximè afficiat & mutet	419
vinum pauciferum ventriculo obesse	66
vinum quale calculosis conueniat	409
vinum quod optimè nutriat, quale sit parandû	400
vinum quomodò neruis noceat	147
V. vinum sublimatû cum hedera syluestri ad calcu- lum renum, ac igneo calore concoctû, profit	413
vinum sublimatum cum hedera syluestri sumptum, calculos renum expellere	ibid.
vinum tenue & subrubrum, cur calculosis maximè conueniat	500
vinum rufissimum excitans	271
	vi-

I N D E X.

vinum vinosum	419
vini commoda secundum Auicennam	69
vini potatio Germanorum, quos effectus habeat	785
vino aut glacie, aut alia ratione refrigerato nihil esse perniciosius	329
virtutis imaginatiuæ læsio, quando & reliquos sen- sus tam interiores quam exteriores, secum ad cõ- patiendum trahat	529
virtutis robur in tribus consistere	586. (631
virtutem naturalem esse valde læsam vnde cognoscat	
virtutes in stomacho & hepate tres potissimum cor- roborandæ	555
virtutum mineras destruentia	800
viscidi alimenti cibaria	468
visionis diminutæ continuæ & corruptæ, sed inter- mittentis, curatio	210
visus debilitati, & paralyfi diminutæ, & vertigini quomodò succurrendum	193
visui imbecillitati quomodò succurrendum	801
vitæ thesaurus, sanguis	114
vites raræ cur dicantur	584
viuendi recta ratio duplex	465
vlcerosa lassitudo vnde fiat	502
vlcus sequi sanguinis putrefactionem	746
unctio argenti viui maledicta	389
unicornu æquiualens esse cornu cerui vsti	629
vnita fortiora semper dissolutis	602
vnguentum infrigidans Galeni ad renes calidos	489
vnguentum ad hepar	38
vnguentum ad lepram, seu scabiem, purgato antea toto corpore	653
vnguentum ad nares cancerosas	244
vnguentum de pompholyge 593. ad renes	471
pro splene 656. stomachi	37. 188

I N D E X.

unguenti de Tutia vsus	742
vociferationem caput vaporibus replere	198
vrina acrior vnde efficiat ur	640
vrina in exitu cur mordicet, & horrorem faciat.	446
vrina statim putrescens, indicat concoctionem statim factam esse	581
vrinæ aureæ indicium	725
vrinæ impedimentum & suppressio vnde fiat	640
vrinæ difficultatis causæ	389
vrinæ mordacissimæ effectus	435
vrinæ prouocatio	629
vrinæ difficultati, cum pruritu, & dolore dorsi ac renum, item grauitati in inguine quomodò succurrendum	388
vrina collecta quando inspicienda	581
vrinæ albæ ac perspicuæ præsertim in delirantibus, malum	633
vrinæ cur foeteant	389
vrinas crassas & rubras phlebotomiâ postulare	671
vterus cur cordi consentiat	751
vterus in coitu cur sæpe lædatur	118
vtero consentire & ventriculum & cerebrum	731
vtero expurgando quæ conueniant	555
vulnerati in omento, cur malè concoquant	646
xylobalsami examen	557
<i>ξύλου ἰσχυρῆς</i>	220
zaduræ siue zedoariæ examen	561
venenatorum moribus quomodò conferre dicatur	562
zingiberis examen	ibid.
zucchari rosati recentis commoda	198
zucchari rosati vires	146.410.209.414


E R R A T A.

Fol. 2. lin. 9. aliquavittia. 10. 8. bono. 23. nimio. 32. 7. mē-
 strua. 46. 31. coctio. 51. 28. abstergendo. 74. 1. parcissi-
 mē. 77. 4. excernūtur. 141. 24. efficiens. 142. 18. ferrinus
 157. 24. petitioni. 175. 32. hepatis. 201. 6. *Exvth*. 257. 9. pri-
 mo. 295. 2. celsi. 308. 10. aceti. 350. 3. euitet. 357. 20. sit.
 384. 34. è præpositio delenda. 399. 16. caliditatē. 420.
 1. rei. 428. 5. grana. 428. 33. vires. 436. 19. facit. 436. 21. re-
 git. 448. 6. promoueat. 489. 24. circa. 519. 12. confu-
 luerunt. 533. 1. fortē. 548. 4. somnū. 594. 14. etiam. ibid.
 conuenit. 619. 5. iuuaret. 633. II. tumore. 633. 21. affici-
 citur. 635. 8. semper. 940. 34. propter. 650. 20. virtutis
 659. 5. ideo. pagina 670. abundat primus versus, qui
 in finem sequentis pagine trāsferendus est: item cu-
 stos eiusdē pagine delendus. 677. 23. erisypelas. 682.
 10. curauerat. 714. verisimile. 736. 19. ponere. 738. 33. lo-
 co. 779. 33. venis.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

10

11



log. str. p. 11/12

